MENA
Comment.
Galeni

FERDINANDI MENA

DOCTORIS MEDICI AC Philoſophi, PHILIPPI MAGNI Hiſpaniarum, Regis a cubiculo medici, atq; in complutenſi Academia profeſſoris publici

Commentaria

In libros Galeni de ſanguinis miſsione, & purgatione.

Quibus additur libellus vtiliſſimus de ratione permiſcendi medicamenta, quæ paſſim in vſim veniunt.

Eodem Autore.

Editio ſecunda, in qua a quàmplurimis mendis, quæ typographorum incuriam contigerunt, purgata ſunt omnia.



AVGVSTAE TAVRINORVM.
Apud Io. Baptiſtam Beuilaquam. 1587.

AD
ILLVSTRISS. AM
DOM. MARIAM MENDOCIAM,

Aluari Gumezij Toletani in Philoſophia magiſtri, & omnium linguarũ eruditione peritiſſimi. S.

Nunc tandem moriar libens, ad orcum
Illuſtris Maria, & volens migrabo,
Si fatis placet id nimis ſeueris,
Poſtquam luminibus videre noſtris,
Conſpectum licuit tuum nitentem
Qualem luciferum refert ſerenus
Aether, dum radijs nouis corruſcans,
Depulſis tenebris docet propinquum
Auroræ croceum iubar venire.
Mena Phœbigenis honor decusq;
Qui talem Marię adplicas medellam
Vt morti eriperes eam prǽmenti,
Grates quas referã tibi, aut quod vnquã
Carmen pro meritis te ad aſtra tollet?

ILLVSTRI ADMODVM MVLTISQVE,

MAIORVM SVORVM IMAGInibus ornatissimæ. D. M. Mendociæ, Iacobi Mendocij Comitis quondam Melitensis, viri post multa gesta clarissimi, filiæ,

Ducis de Franca villa, viri alioqui Illustrissimi, sorori dilectissimæ, studiorum omnium mecœnati, Ferdinandus Mena. S. P.



ROMISSERAM olim commentarios in Gal. τετραβίβλιον, hoc est quatuor libros, quos equidē tunc credideram oppidò quàm profuturos, cùm scholæ medicorū, quam semper feci maximi, tùm præterea reliquæ

 bo-

hominũ turbæ: quod vix aliquãdo contin gat homines ægrotare, quibus non ſit neceſſaria eorumquæ in illis traduntur præſens commemoratio, & diligentiſſima, ſi quando aliàs, ad libram (quod aiunt) examinatio. Nam quem in medium efferes morbum, ſiuè ille partem aliquam inceßerit corporis, ſiue totum corpus, cui auxiliari non debeat medicus, præſpectis prius lotij, & pulſus conditionibus: aut ſi hæc minus viſa fuerint exploratu neceßaria: propterea quòd particula quæ patitur, nihil cum illis indicijs habeat commercij, ſanguinis tamen emiſſio, atque humorum expurgatio, non poſſunt non eße omnibus morbis familiaria & conducibilia, præſertim eis, qui ob magnitudinem ſuam, medicorum operam expoſtulare videntur admodũ ſtrenuam. Ex illis quatuor libris prodierunt in lucem iam pridem duo, quorum alter

de

de pulsibus inscriptus est, alter verò de lotiorum inspiciendorum ratione superant duo alij, de quibus proxima tractatione dissertur, de sanguinis educendi methodo vnus, alius verò de purgatione succorum: quos, qua de causa tibi, perquàm illustris Maria, inprimis dicandos curauerim, præsertim quùm nunquam in curando illo pertinacissimo morbo quo hisce retrò diebus iniquè vexabaris, nec per somnium quidem illis præsidijs fuerim vsus, aut vti quempiam permißerim, iam dicam. Solent quidem scriptorum plurimi, quæ literis mandant opera, potentissimis ditissimisquè principibus sapientissimè nuncupare, quò illorum vmbra protecta, maledicētissimorum alioqui hominum effrenes linguas refringant, inuidentissimorū pectora impunè percellant, & si quādo, tam malè de republica meritarum

mentium liuor, in publicam insaniam non erumpere haud potuerit, tantorũ virorum autoritate, atque potentia dexterè repellant, fiatq;, ne vnquàm, quæ a tam pijs animis in publicam omnino vtilitatem edũtur, fine suo frustrentur. quãquàm enim (vt pluribus visum est, atq; inter eos Platoni) discendum esset potius, quàm docendum per omnem ætatẽ, atq; hac potissimum de causa, quòd quibus animus est propensior ad mordendũ quàm ad aliquid reipublicæ pervtile condendum. hinc ansam arripuerint, ad nihil non à neotericis scriptum, labefactãdum deterendumuè, quòd nihil (vt ipsi aiunt) nunc dicatur, quòd non sit dictum prius; veruntamen si rectè, quæ literis sunt prodita à maioribus, præsertim ab his, quorum ductu atq; autoritate quicquid dicitur aut scribitur comprobatur, euoluißent, proculdubio bona studiosorum

diosorum ingenia ad vlteriorem artium elaboratione potius adhortarentur, quàm vlla ratione ab ea reuocare contenderēt. Etenim nisi Hipp. omnium Philosophorū, & medicorum facilè primus, vnicū Gal. fuisset nactus, qui, quæ ille ceu prægnantia; & in seminario quodam sepulta reliquit, eruerisset excoluissetq; accuratissimè, nunquam profectò vel a limine ipso medicinalem disciplinā quis salutauißet necdū ad id fastigij peruenisset, & illius disciplinæ splendorē, quibus quàm plurimi ijdemque eruditissimi viri, hodierna die, se se proferunt clarissimos, & omnibus numeris admirandos. Iā verò Arist. & Platonem quos ex industria (si credere par est) obscuritatem intendisse referunt, & sententias veluti ex tripode Apollinis protulisse omnes nouimus, quis plenè vnquam aut intellexit, aut intelligentem nouit? Nimirum quod

vnus interpres post multas vigilias tandem exhausit, alius facilè perturbat, quod prior ex multis autoris locis se comprobaße arbitratus est, posterior pluribus alijs, eiusdem testimonijs euidenter videtur profligasse: adeo vt nisi duces quosdam bonarum disciplinarum, perspicuosq; expositores, diuina misera nostri prouidentia, misisset, in perpetuis tenebris illi adhuc iacerent, ægrèq; admodum caligantia ingenia in lucem potuißent vlla emergere. Produxit sanè natura Theophrastum, Ciceronem, Rodolphum, atque alios huius farinæ præclari nominis viros, qui diuina quadã eloquentia sua tenebras Arist. potuerunt quodam tenus euincere. Produxit Gal. qui Hippocratis senticosa, & antiqua breuitate abditissima loca complanaret, coleret, & vsquè ad ipsas rerum indiuiduas species partiretur, methodos

omnes

omnes curationis ostenderet, & à quibus sint accipiendæ faciendorum inuentiones diligentissimè pertractaret. post quos, si qui, bona fortuna auspice, ad perfectiorem earundem rerum elaborationem, manentisque adhuc obscuritatis tenebras expellerent, nati fuisse videbuntur, nõ est quòd inuidus macrescere debeat, aut ad carpendos alienos labores & studia animum intendere, sed fruatur potius his bonis, quæ per alios natura aliôqui indulgentissima, illi porrexiße videtur. Nam vt alia omittam, quis ferat Gal. qui quum aërem monstrare voluisset quid faciat, ad morborum curationẽ ceu tertium indicans asseruerit, reliquas verò causas externas nihil ad id conducere libenter affirmat, ob id quòd vitari illæ ad nutum queant, aër minimè? Certè neque illud schola medicorum libenter admittet, vt patientibus, nudas

& absque humoribus distemperies, partibus nostri corporis, nulla sit habenda ratio actionis earum, parumquè intersit, sit illa toti corpori vtilis, an soli vni particulæ. Sed dimissa nunc eius rei demonstratione, de qua in expositionibus methodorum curatricum ad satietatem disceptauimus, ad te perquàm illustris. M. Conuertatur oratio. Poteram sanè iure optimo, eodem prætextu quo dixi potentissimis principibus solere dicari scriptorũ opera, tibi vni mihiq; velut magnificentissimo mecœnati libellum hũc, paruum quidem pro tua dignitate munusculum, nuncupare: vt qui probè sciam, te tuosque, si quos alios nostræ Hispaniæ viros, regijs stemmatis cum Hispanicis tum Gallicis posse gloriari, nec id longinquè admodum petita historia, sed è proximo satis arrepta, quod clarissimo testimonio palam faciunt, quæ vulgo circunferuntur

feruntur tuorum imagines manu conſcriptæ. Poteram equidem tuo patrocinio confiſus, intrepidè admodum hæc atque alia in publicum diuulgare forum: quanquam enim mulieribus datum non ſit, externas ſuorum propulſare iniurias, domum ſuosq́; tueri, ea tamen polles benignitate, humanitate, prudentiæ dexteritate, atque ſapientia Chriſtianæ religioni coniuncta, vt quoquò eas, quicquid cogites, quicquid faciendum eſſe decreueris, vtraque manu cuncti libenter amplexantur, ſanctè factum religioſeq́ue dicentes, quod à te ſancitum eſſe ſemel cognouerunt. Sed quid, quæſo, aliundè comparandam eſſe duxi tui patrocinij potestatem, quum domi habeas quantum quiſque alius? Adeſt tibi Dux Illuſtriſſimus de Franca-villa frater dilectiſſimus, qui quantum apud noſtræ religionis caput Philippum regem inui-

ctissimum, valeat, ostendit sanè magistratus illi datus, quo regni Neapolitani senatui præesse, à consilioq; esse supremo regi ipsi, & debeat, & possit: neque id iniuria, quandoquidem, quæ ad regiã gubernationem pertinent, & dignitatem nonnisi, qui de stirpe sunt oriundi regia, æquè satis, & pro rei ipsius maiestate administrare posse videbantur. Adest tibi deditissimus Comes Militensis Rodericus Gumezius de Sylua, annæ ex fratre nepotis vir illustrissimus, qui tanta semper valuit prudentia, & in dispensandis rebus grauissimis dexteritate, vt secundus à rege ipso sit: tanta etiam cunctos Hispanos prosecutus est beneuolentia atq; humanitate, vt vix vllum inuenias, qui neruis omnibus ac viribus, illi vxoriquè suæ genere, & moribus splendidissimæ, faustum fœlixq; non exoptet euentum, æter-

nam

nam gloriam, famam immortalẽ. quod æquidem rarissimæ fœlicitatis puto esse argumentum. Sed quanquam hæc vera sunt, possitque tua præstantia plurimùm, siuè autoritatem ex nobilitate profectam spectemus, siuè potestatem quæ non sine opibus quicquam magnum efficere philosophi Aristo. testimonio potest: admiratus tamen perpetuo magnanimitatem istam tuam qua in rebus minus prosperis semper fungeris, nihil prosternata infortunijs, prospera contrectans perindè ac si de more venire consueuissent, pro nulla vnquam re quantumuis magni pretij, quod iustum est ac sanctum deserens, admiratus deinde prudentiam tuam, quæ in quibuscunq; rebus gerendis tibi præsto est, qua tam quæ scripta sunt, quam quæ dicuntur omnia, ita calles ac penetras, vt non raò consulta sis, dum de difficilli-

mus quæstionibus ageretur, quid sentires. Admiratus item quotidie tuam temperantiam, quæ quùm poßes si voluißes, Crœsi diuitias superare, humanæ pompę fastigium exæquare, ita te attemperas, atq; ad Christianæ religionis normam accommodas, vt monasticam potius vitam degere, quàm secularem videaris. Persuasi mihi tandem non posse contingere studijs meis, & laboribus (quanticunque illi sint) præstantius ac firmius presidium, quam nobilitatem tuam tot egregijs virtutibus exornatã, vitæ candore, & probitate illustratam: præterquàm quòd, nulli æquius rem omnem meam atq; profectum, famam, & quicquid sum, referenda esse censeam, quàm tibi vni virtutum omnium singulari exemplo, quæ cum tot beneficijs, patrocinijs perpetuis, apud potentissimos quoq; singulari commendatione, nomen

meum

meum in dies magis ac magis illustrare coneris, ita me deuinctum habes, vt nũquam, & si longissima mihi suppetat vita, soluendo esse possim. Accipe igitur illustrissima. M. munus hoc meum in te fidei certissimum argumentum quod & si parem vicem rependere pro tantis in me beneficijs neque certet neq; possit, cupit tamen expromere quantum tibi debeam, & quàm soluendo tributo per omnem vitam, imparo sim, & obligatus. Vale decus, & præsidium meum.

COMMENTARIA

IN GALENI LIBRVM

De sanguinis missione,



Autore Ferdinando Mena Philippi magni Hispaniarum Regis medico, & Complutensis Scholæ professore.

Additur libellus Galeni de purgatione, eodem enarratore, atque expositore.

Proœmium.



NTEQVAM de sectionis venæ opportuna occasione, deque his quæ ad congruam eiusdem administrationem conducunt, disceptemus, in primis esse conducibile satis scio, si à definitione ipsius principium fecero: qua constabit proculdubiò, an iuxta artis præcepta recipiendum sit id auxilium, ac demum quæ res sit, quæ toties artis Medicę professoribus in vsũ venit haud momentaneum. Fieri porrò non posse videtur Platoni libello de Philosophia, vt quale sit quodque probè sciatur, nisi prius quid ipsum sit, quisque norit. Ac quum varia variis temporibus vsurpentur remedia, plurimaq; sint interdum Medico necessaria, nullum efficatius, nullumque insi-

gnius sectione venæ existimandum est: tametsi secundas partes purgationi tribuisse Galenus sæpe offendatur, sed præcipuè 6. de com. pharma. secundum partes ac simul vtranque vacuationem, insigne appellauerit auxilium, 2. de ratione victus in acutis comm. 11. Sciendum ergo est autore Auicenna, phlebotomiam esse vacuationem vniuersalem, quæ multitudinem euacuat. (Vniuersalem vacuationem) subaudias oportet duorum modorum altero: aut quoniam totum corpus, aut quod omnes humores similiter exhauriat. Posteriori ratione capi nequit, siquidem expurgatio totum corpus quoque vacuat & inanit. Quamobrem eo sensu interpretari debet, vt genere conueniant, non quod omnes humores simul educere dicantur. Exponit deinde Auicenna (multitudinem) sequenti oratione, (est augmentum humorum super æqualitatem ipsorum in venis) minus exactè profectò: nam aut exemplum sanguinis missionis in sola multitudine posuisse dicendus est, aut eam perperam declarasse. Quòd autem parum doctè (multitudinē) exposuerit, Galenus euidenter monstrauit, libro de comp. pharmacorum 2. per part. capite de dolore capitis ex frigore, plenitudinem ita describens: (quando omnes humores similiter augentur, aut solus sanguis redundat.) Non satis præterea animaduertit Auicēna dum explicuit multitudinem: quandoquidem ipsius etiam sententia citrà multitudinem succorum venam secamus, in his præcipuè qui ab alto ceciderunt loco: adeò vt nulla existenti omnino redundātia succorum, ob solam ma-

Improbatur Auicenna.

gnitudinem

gnitudinem morbi crebro expediatur ſanguis, 4. libro methodi. Taxatur etiam Menodotus quarto Acutorum com.19. qui in ſola plethorica appellata ſyndrome ſanguinis miſſionem obſeruari aſſeuerabat: quum ea nõ exiſtente venam aperiamus, idque facimus cum dolor vehemens hominem prę henderit, vel pars aliqua fracta fuerit, vel os ex loco pulſum ſit, vel alius quiſpiam articulus contractus reductuſquè ſit. Multò itaq; cõmodior eſt de phlebotomia Galeni interpretatio, quæ libello de facultatibus purgantium medicamentorum ſcripta eſt hoc modo, eſt vacuatio quę omnes humores indifferenter vacuat: (expurgatio verò eligit ſecundum naturam expurgantis medicamenti, certum quendam humorem.) Quòd ſi compoſitum aliquod medicamẽtum arte aut natura comperiatur, quod omnes ſimul humorum differentias eduxerit, non protinus ſanguinis miſſionis ratio manca exiſtimãda eſt: quippe huiuſmodi medicamẽtum haud quaquam omnes humores indifferenter trahet, ſed eos ſeliget perindè ac vnum. Atqui Fuchſius vir ſanê perquàm doctus libello compẽdij cap. 20. magno certamine adſtruxit, plenitudinem duntaxat fieri quãdo omnes humores æqualiter augentur: quòd quidem hoc pacto plenitudinem explicuerit Galenus 13. libro Methodi. Et quum legiſſet Galenum 2. de compo. Medicam. per part. capite nuper adducto, vbi ſolum ſanguinem plenitudinem conſtituere affirmauit, capi ibidem ſanguinem, pro impuro & aliis humoribus commiſto pertinaciter defendere facile curauit ea potiſſimũ demõſtratione, quòd

Quid ſit ſanguinis miſſio.

Et 2. aphoriſ. 17.

Quæ sit plenitudo simpliciter dicta.

nusquam dari queat solus sanguis per se, sed perpetuò cum aliis succis confusus existat. En quantum insudauerit ille in defendenda quæstione meo iudicio citra omnem controuersiam falsissima: nimirũ præter citatam dudum sententiam quæ solum sanguinem plenitudinis causam statuit, libro etiam de plenitudine quid sit plethôra definiens, quæ sequuntur scripta reliquit. (Est augmentum omniũ humorum æqualiter, aut quando vnus ex his breuem quendam excessum receperit. Potest ergò sanguis in plethoricis dispositionibus excessum amplissimum adipisci, nullus aliorum potest: humorũ enim prauitas id genus, non etiam multitudo, aut plethora nuncupatur.) Hæc Galenus, quibus apertè satis monstrauit, plenitudinem non vnica tantum ratione constare, sed aut omnibus succis proportione similiter auctis, aut solo sanguine præstanter redundante, & cęteros humores pręcellente: non esse præterea seruandam exactam humorũ omnium æqualitatem ad plenitudinis constitutionem, (vt vulgares Medici passim iudicant) verùm posse aliquantulum excessum ad reliquos, vnunquenque alium à sanguine recipere, sanguinem verò largissimum posse nancisci. Rursum 2. de comp. pharm. secundum locos capite modo citato si Græcum exaudiueris contextum. Omnis destruitur controuersia, sic habet. γίνεται δὲ ἡ πληθώρα τῶν τεττάρων χυμῶν ἀνάλογον αὐξηθέντων ἢ τοῦ αἵματος μόνου. Hoc est. Fit autem plenitudo quatuor humoribus ad portionem exauctis, aut solo sanguine. Opponit ergo quatuor humoribus priori sermo

nis

nis regione comprahensis, solū sanguinem. Quā-obrem nulla fiet ratione, vti sanguis hoc loco pro aggregatis simul humoribus pariter ac inuicē confusis capiatur: aliôqui temerè adiecisset (aut solus sanguis) quum in vtraq; orationis parte de cunctis humoribus egisse dicatur Fuchsio interprete. Præstabilius fortasse fuisset tantum virum, sanguinem interdum pro humorum omniū aceruo (qualem sectis venis, aut vulneratis particulis eggredi conspicimus) cœpisse, interdum verò pro sanguine, quarto humore, & alijs humoribus minimè confuso, quantum ad intellectum ipsum attinet, sic enim vulgares omnes Medici obseruauerunt Galenum sequuti, primo lib. de natura hominis comm. 28. ita scribentem. (At verò cum bifariam sanguis dicatur: tum hic, quem in sanguinis missione & vulneribus euacuari videmus vtriusq; bilis & pituitæ, vt docuimus, participem: tum purus ille & integer alijs humoribus non confusus.) Postremò si singuli alij humores valent excrescere per se, alijs humoribus in pristina quātitate manentibus, quanquam in venis nunquam loco separentur, quid vetat sanguinem solum, quartum nempe succum, redundare copiosius, ac cæteros longo interuallo præcellere, alijs à sanguine debitam ac genuinam quantitatem asseruantibus? At dices, autore Gal. sanguinem perpetuò alijs confundi, pariter ac commisceri: fatemur non separari loco humores ab inuicem, sed omnes simul eadem capacitate contineri; quid tum? Ob id statim negandum est bilem augeri posse solam, aut pituitam, aut melan-

Conuellitur Fuchsius.

choliam, aut solum sanguinem si hunc cum rectè philosophantibus in venis admisseris? Eadem sanè opera icterum denegares, leucophlegmatiam, ascitem, elephantiasim, & (vt vno verbo dicam) omnes simplicissimarum causarum excessus: quos equidem cuncti experimur frequenter euenire, sicut & nonnunquam exquisitam tertianam, & legitimum causonem, nec non Synochum ex sanguine superfluente genitum. Obiter igitur hoc loco perstringendi sunt vulgarium Medicorum plurimi, qui ad plenitudinis rationem, proportionem illam humorum quatuor naturaliũ, seruari debere mordicus expræsserunt: Docente Galeno satis esse, si non magno, ab inuicem recesserint interstitio, excepto solo sanguine, qui amplissimum indipiscitur recessum, aliorum comparatione. Refellebat antiquitas sanguinis missionem, eamque ceu perniciosissimum remedium de medio tollebat, cuius factionis Erasistrat[9], Chrisippus Stratoq; fuere: ij namq; difficilimum esse remedium si quod aliud, & ob cognitionis difficultatem, & ob venæ faciendam rupturam palàm clamabant. Nempe quum exercetur venæ sectio, periculum imminet, si pro vena tundatur arteria: non pauci tunc præ timore animo linquuntur ac mortem obeunt, idque ante sectionem venæ & post: alij demum irreparabili sanguinis effluxione defecerunt. Cæterum alia ratione id genus auxilij esse relegandum prorsus nituntur efficere, ea nimirum qua incommensurabile ipsum sicuti cætera quæ ad quantitatem pertinent, supponentes, declinandum esse aut ad

maiorem aut minorem quàm cōueniat effluxum mox colligunt:& subinde verò diminutè vacuantibus nihil plus cōtinget, quam si venam non aperuissent. At mediocritatē excedētibus & morbo inequabilē maxima impēdebit noxa & vitæ discrimē est etenim (inquiunt) sanguinis missio modum exuperans, remedium nihilo à cæde ipsa differens. Addunt arterias solos spiritus continere, qui in vacuatas venas facilè prosilient, ac tandem per apertam fenestram tumultuatim pariter ac cumulatim exibunt. Hæc illi. Secus multo venarum sectiones æstimauerunt Hipocrates atque eius disciplinæ Galenus indefessus assertor: qui vbi opus esse hoc præsidio crediderunt, nihil eo expeditus, nihil in summa magis necessarium sunt arbitrati, quod sequentibus analogismis fiet perspicuum, omissa modo plurimorum locorum enarratione, quos ideó prudens silentio conticui, ne rem clarissimam illorum sententia, suspectam redderem testimoniorum congerie. Sed demonstranda est iam horum virorum sapientissimorum verissima sententia. In quàm plurimis affectionibus, nulla spes manet ægrotantem salutis, nisi ad sanguinis missionem ceu ad sacratissimam arcem confugeris: qua nam ergo ratione in tam ancipite rerum periculo, eliminandum duxeris necessariū maximè præsidium? Dices, inædia sola & leuibus alijs suppetiis, vacuari posse illorum corporum redundantiam, absq; sanguinis iactura, & cutis detrimento. hoc est argumentum, quo ceu in expugnabili arce, vel pleriq; nostræ tempestatis medici nō

Huius auxilii defensio.

verentur Galenum phlebotomiam in suam libertatem asserentem, mordere satis impudenter, patrocinantes interim valdè studiosè Erasistrato velut omnium veracissimo. At hi flagris cædendi forent potius, aut publica pœna mulctandi acriter, ob temerariam eorũ impudẽtiam, quàm excogitatis diligenter demonstrationibus debeant conuinci stupidissimi aliôqui. Verùm quia detegenda est ignorantium cęcitas atq; caligo, trahendaq; est popularis consensio in res etiam admodum necessarias persuasionibus, breuissimè saltem componenda est nobis ista controuersia. Si namque morbus sit acutissimus quatuor aut quinque diebus finiendus, quas suppetias afferet inædia quæ non nisi longa temporis intercapedine plenitudinem exhaurire poterit? Inædia præterea non solũ peccantes humores exoluere potis est, verum etiã corpora ipsa, & ipsius corporis particulas uerè inculpatas proscindet atq; corrodet non suffecto alimento: modo veró quid turpius, quid arte magis indignum, quàm carnes & ossa vacuatione minimè indigentia colliquare, ac ceu nocentissima resecare? Peccat sanè sanguis, aut alii humores, aut omnes vnà sunt inquinati, quos posses sanguinis detractione iucundè, citissimè, citra vllam corporis iniuriam extra corpus pellere. Quo iure igitur carnes castigas, neruos, ligamenta & cæteras corporis particulas firmissimas excrucias fame, & ad maciem perducis minus necessariam? Quid, quòd inædia vires collabuntur, succi biliosiores redduntur, cordis morsus, alui retentio, excrementa acerbiora

biora fiunt: quæ non mediocria sunt in curatione febrium nocumenta, queq; presentes admodum expostulant vires ad sui curationem? Imitanda etiam est natura in his quæ sedulò & frugi facit, vt autor est Arist. 4. Metheororum Hippocratem æmulatus. 1. Epi. part. 2. comment. 44. quæ quum spōte sanguinem sæpius effundat, morbosq; soleat profligare eo copiosè & tempestiuè propulso, si id quoq; confecerit ministerijs artis adiuta, laudandum est ministerium id ac summè commendandū. Spōte autem facere naturam sanguinis effusiones notauit Hippo. 5. Aphoris. 32. & 33. Mulieri (inquit) sanguinem vomenti, menstruis erumpentibus solutio fit. Et menstruis deficientibus sanguis ex naribus fluens bonū. Quibus suffragatur solēnis illa sanguinis emissio, quæ singulis quibusq; mensibus eueniens, fœminas à grauissimis ægritudinibus liberat. Quæ omnia, & si non alia, saltem ea potissimum comprobantur ab ipsa natura nobis indita præceptione, quæ contrariorū contraria esse remedia, & nobis primum attendentibus suggerit, & in alijs quibusq; malis tollendis, multis experimentis fecit perspicuum. Neq; enim illud vllius extat precij, quo difficilem huius auxilij causantes mensuram, idcircò excludendum idē concludunt: quippe rerum omnium vtensiliū quātitas (omnium consensione) in nulla re, Medicis vsurpanda, definiri exactè à quoquam potest, neque in victu ipso nobis maximè necessario, neque in clysteribus, neque in purgatione, aut vrinam cientibus, potu, cibisuè, nihilominus tamen quan-

quàm rerum omnium certa quantitas præscribi nequeat, facilius tamen ac certius posse commensurari sanguinis eductionem nemo iure suo diffitebitur. Plurimæ porrò à cunctis annotatæ sunt cõiecturæ, quibus & posſis & debeas veritati propinquiſsimè certam sanguinis emittere quantitatem, paucæ admodum, eæque impensè obscuræq; quibus alias vacuationum differentias metiaris: ita enim secũdo accutorum, coloris mutationem spectari iussum est, tum patientis ipsius, tum sanguinis exeuntis; prima Apho. 23. ad animi deliquium sufficientis fluxionis statuit terminum Hippocrates. Et pulsus mutationem in magnitudine præsertim & vehementia, cohibendi fluxus sanguinis definiuit notam liber de sanguinis miſsione Galeni. Vltimo, his qui pulsus noticiam assequuntur, nihil tam esse mensurabile constabit, atq; sanguinis detractioné: nam quum cæteræ vacuationes, maximè vero expurgatio, difficillimè semel inceptæ inhiberi, queat, idq; nõ nisi multis admotis machinamẽtis, quod ostendunt diarrhææ, dysenteriæ, lienterię, & consimiles fluxus immodici, quorum plures sine remedio luce hominem priuant, solus sanguinis exitus, atque is præsertim qui pertusa vena erumpit, omnium facilimè sistitur, & digitis appositis mensuratur, & compescitur: mensuratur quidem, dum pulsus inæqualis esse incipit in vehemẽtia præsertim, compescitur digitorum admotione. Iam verò hoc sibi vendicat peculiare phlebotomia, vt si copiam sanguinis pro morbi magnitudine haud quaquam extraxeris idoneam, eam reperita

tita vacuatione ſupplere permittat, tutius ſemper exiſtimans infra ſubſiſtere. quid enim nocere poterit, ſi duas libras ſanguinis redundantis bis teruè repetita vacuatione eduxeris, aut ſi dimidio ablato, reliquum aut frictione, aut balneis, diſſoluendum relinquas? pręſtat ſanè quàm maximè cauſas comminuiſſe morbificas, & vehementiam earundem retudiſſe abſq; inſigni corporis alteratione: quod neutiquàm expurgatione præſtabis, quæ aut mouet & non vacuat, aut vacuat immodicè, aut cum pertimeſcenda totius corporis perturbatione. Nihil igitur delinques, ſi minus quàm conueniat, ſanguinis abſtuleris: eo maximè, quòd in morbis in quibus plurimum pertimeſcimus corporis inducere calfactionem, cuiuſmodi ſunt ſanguinis reiectiones & ſputa, non datur locus frictionibus, balneis, exercitijs, atq; aliis corpus agitantibus remedijs. Si qua ergò medela ſupereſt, illa forſan (illorum erit ſententia) quæ ieiunio conficitur. At hoc cunctanter faciet, & prius interibit ægrotus, quàm valeat omnium morborum crudeliſsimo obuiam ire. Quamobrem nihil inædia præſtante, ad ſanguinis miſsionem cõfugiendum eſt. Habes iam, an ſit in re medicinali hoc recipiendum auxilium, & quid ſit. Quæ res forſan tertiò, quomodo extrahatur ſanguis, numne attractrice aut expultrice facultate, aut vacui ratione ſeu conſecutione ad id quod vacuatur? Primum quidem nulla ratione defendes, quemadmodum noſtri temporis quidã contentioſè & pro roſtris auſus eſt affirmare: nam neq; autore aliquo id probabitur, neq; aliqua ratione

tione inuenies, virtutem aliquam per sectionem venis imprimi, si de vacuatione agatur (inquam) solo artificio confecta; secus habet, si eam quæ ab artifice fit, cùm ea quæ natura tentatur, cómisceas. Neq; vacui ratione venarum siquidem tunicæ plicatiles sunt, & in seipsas concidere natæ, quarè effluenti sanguine non sinent vacuum sequi, sed promptissimè committentur. Consequentia igitur ad id quod euacuatur, emittitur sanguis secta vena, quod pleriq; rerum euentus euidenter probant. Neq; eo inficias iuuari humoris eggressum, membri quod secatur decliui positu, vt grauitate sua ducatur, atque irruat humor, qua de causa multum agit ad strenuè mittendum sanguinem, si æger brachium attollat & corpus, & sectum locũ declinem constituat. Conferunt nonnihil ligaturæ & præcedentes frictiones; ligaturæ quidem, quòd detentus, ac impulsus humor maiorem impetum acquirit & pódus, frictiones quoq; illo impulsu factæ, humores ad motum parant, & illis mouendi impetum adeiscunt, sed horum omnium potissima est causa, arteriarũ depressio, simul & thoracis. *Notatur Fernelius.* Fernelius Therapeutices lib. 2. cap. 3. ob retẽtricis debilitatem, quę non potest fibris obliquis tã arctè sanguinem continere, exitum fieri opinatur sanguinis; quem certè aliqua ex parte verum asseruisse confiteor, eatenus scilicet, quatenus motũ incipere & exitum humorum hac ratione videmus, verùm hic exitus non sola fibrarum dissectarum ratione fit, sed ipsius tunicę capacitate disrupta. Præterea pauculus ille sanguis, qui foramini

respon-

respondet, prodiret tantum, copia verò alia, quæ post subsequitur quanam de causa prodeat esset illi interpretandum. Reliqui sanguinis effluxus a natura sponte facti, non obscuram habent causam, si facultatum naturalium munera memoriter tenuerimus: expultrix etenim copia humorum impetita, & vitiosis humoribus lacessita, eos pellit per emissacula ad id destinata, quæ si occlusa fuerint, eodē appulsu dirumpit oscula venarum, aut ipsarum solidiores partes.

Caput primum.



*IS qui de sanguinis missione contemplationem instituunt, vna quidem & prima est speculatio, vt qui affectus corporis vacuatione egeant, considerent. Deinde altera, quinam ea, quæ per sanguinis fit missionem: quippe multi sunt affectus, qui alia quapiam vacuatione, non sanguinis mißione indigent. Tertia post has consideratio est; vt diiudicent qui hanc vacuationem citra noxam ferre queant. Nam nonnunquam quidem affectus reperitur qui sanguinis mißionem requirit, atqui ægrotans eam tolerare non potest: idque aut propter ætatem, aut anni tempus, aut regionis naturam, aut oris ventriculi * vexationem, quod nomine abutentes sæpe stomachum appellant: quemadmodum sanè nunc etiam per totum hunc librum, breuitatis* χάκωσιν

gratia,

*gratia, hac appellatione vtimur. Sed sunt quoque qui ob vniuersi corporis habitum sanguinis missionem non ferunt, etsi, quod ad morbum attinet, ea maximè egent. Quæ vbi quis definierit, ea quæ est de *occasione succedit consideratio, vti in alio quouis auxilio. Deinceps verò ea quæ est de venis quas incidere oportet: quippe de istis abundè quæsitum est, nihil ne vtique referat quam quis incidere venam volet, quum omnes omnibus affectibus æquè prosint: an quemadmodum Hippocrates & probatissimi Medicorum quiq; censuerunt, plurimum intersit hanc præ illa incidere? Cæterum hac quoque consideratione definita, succedit de scopis sermo, quibus videlicet quis animum intendens vacuationis mensuram coniectura assequatur. Posthæc verò omnia in quibus vtique semel auferre præstat, in quibus verò repetitam vocatam ablationem fieri conuenit, & quos ad animi vsque defectionem vacuare, in quibus autem hanc veluti maximum detrimentum, cauere expedit. Hæc itaq; considerare eum, qui rectè hoc præsidio vti volet, necesse est.*

* καιροῦ.

Commentarius.



HISCE iactis tradendæ disciplinæ cæmentis, non temerè & citra egregiam præmeditationem ad exercendam sanguinis detractionem accedemus: vt enim autor est Hippo. 6. Epid. sect. 2. comm. 37. (transitus aperire oportet, vt nares & alia quibus opus

opus est,& vt conuenit,& qualia,& vbi,& quando,
& quantũ oportet, vt sudores & alia planè omnia)
quæ sic interpretatur Galenus. Quæ deinceps scri
pta sunt, plerunq; iam ab ipso in omni vacuatione
commoda esse didicimus: Decet.n.cum euacuatio
requiritur, non simpliciter ad ipsam accedere, sed
prius definientem, qua ratione facienda sit, & quæ
debeat esse euacuanda materia, per quam regio-
nem, quo tempore,& qua mensura hactenus, Gal.
Scopos igitur de quibus in primis peritus Medi-
cus deliberare debet, ante quàm curationi corpo-
rum manũ adhibeat, hîc Galenus proposuit, quos doctus quilibet poterit è varijs Hippocratis locis eleganter eruere, quemadmodum exponentes 20. Aphor. 1. sect. Apho. ad nouem eos reducentes fecimus. Prima etenim quæstionum naturalium an sit quidquam agendum artifici statim in ipso limi- 1
ne est agitanda, de qua. 1. sect. Apho. 20. Secundo, 2.
quibus præsidijs, quod dictione illa, sexto Epidem.
dudum citato posita, (& vt conuenit) insinuatum
est Galeno interprete: Tertio, quantum sit, 2.3. Al- 3.
ph. præ Apho. quale sit, quod ibidem ostenditur, 4.
& eiusdem particulæ Apho. 2. locus, eo Apho. cu- 5.
ius initium est, quò natura repit eó per conueniẽ-
tem regionem: ordo, quarto acutorum 21. tem- 6.
pus, Aphorismo illo docetur, qui incipit, Cocta me 7.
dicari: & illo, in acutis passionibus rarò & inter ini
tia: seu illo, incipientibus morbis si quid videtur
mouendum, moue. quæ vires, ob eam siquidem 8.
causam. 1. sect. Apho. 2. additum est, (& benè tole
rant.) In cuius commentatione, vires esse obseruã-
das

Quæ sint cõsideranda: antequã ad sanguinis detractionẽ accedat.

9. das in omni vacuatione præcipimus nono, prius examinare debet Medicus an purgandum sit corpus, an per sanguinis missionem inaniendum, quàm quibus præsidiis illud exerceri debeat: vbi etenim constiterit expurgandum esse corpus, adhuc superest rogandum Clysteri ne, an vomitu: quam obrem quid agendum sit, inuestigandum est, quod nono hoc scopo quærimus, vt deinde denuò quæratur, quibus adminiculis illud fiat.

Verum neglecta aliorum omnium ampliori expositione, quę suis locis profundius disputabũtur, de his quæ nunc Galenus suo sermone annexuit dicendum nobis est paulò accuratius. Atque inprimis, is qui sanguinis missionem exercere instituit, illud animaduertat necesse est, qui affectus egeant vacuatione: sunt etenim morbi plurimi adiectione potius, quàm detractione medicandi, vt Hippocrates lib. 2. de natura hominis commentatione prima sanciuit, inquiens, (quos excitat euacuatio morbos, curat repletio) Quo loco & 2. Aphoris. 22. damnauit Galenus eos, qui negabant sola vacuatione partos morbos: propterea quòd, (vt ipsi dicebant) vacuationes vires tantum adimant, corpus debilitent atque exhauriant, morborum autem nequeant vlla ratione esse effectrices. At hi, si considerassent accuratius, qui morbi immodicas inanitiones sequantur, minimè dubitarent corpora, à quibusuis causis exinanita, facilè refrigerari, exuri, lassitudinibus tentari, ac demum ab omnibus propemodum causis externis occursantibus, molestè affici: nam quum (aiunt)

solas

solas febres morbos constituere, decipiuntur proculdubiò, nec est qui illis suffragetur. Si namquè morbus est dispositio pręter naturam lædens operationes ad sensum, intemperatura frigida, sicca, humida, morbos efficient, nihilominus atque ipsa calida facit intemperies. Fluxio item menstruorũ immodica, innumera mala progignit, necnon inædia, quæ pręter mala primo acutorum dinumerata, febrem ingenerat: vt copiosè, vnico exemplo 10. metho. medi. demonstratum est. Sed est quòd torqueat argumentum. Vacuatio non est morbi causa continens, quùm sit priuatio quæ nihil per se facit: secundò, nunquam dispositio vacuatione inducta, tempus aliquod durabit, quin secum materialem causam accersat, humores scilicet, quos ex alimentis assiduè ingestis, vitiatos præ debilitate creat: haud quaquam igitur morbus ex sola euacuatione corpus affliget. Vt cunq; velis argumẽtis vrgere, id duntaxat conficies, vacuationem per se & proximè non generare morbos, Cæterum ad illam subsequuntur necessarió: quum enim fœmina refrigeratur, nimia sanguinis copia effusa, ac inde in hydropen insanabilem delabitur, luce clarius commostrat, exinanitionis occasione hæc mala fuisse consequuta. Porrò disposi io sine materia particulam in qua est crucians, consequent er vitiosos humores temporis processu adiungit, potissimum nisi debita victus institutione regatur laborans. Verum tamen donandum est, aliquo saltem tempore, nõ opus esse vacuatione, nempe illo quo noxij succi generãtur, & solo afficitur corpus intẽ-

B peramen-

peramento. Secũda speculatio Medico statim proponenda, qui affectus curandi sint vacuatione per sanguinis missionem effecta: nõ enim cum plerisq; in eam eundum est sententiam, qui putant magnitudine morbi postulante & robore virium consentiente, absq; discrimine fore mittendum sanguinẽ: quùm hoc loco aperto sermone ostendatur, non satis esse Medicum considerasse an opus sit vacuatione, sed an illa, quæ fit venarum apertione, præcipuè quum semper acclamauerit Galenus, & ex industria libro de optima secta ad Trasibulum, à causa ipsa morbi petendum esse genus auxilij: quãtum veró, & quo loco ex alijs fore diiudicandum. Quin & c. 7. huius tractationis, prius considerandum esse voluit, quale sit quod in ipsis corporibus coaceruatur humidum quàm ad vacuationem exercẽdam accedere quemquam permittat. Quod luculentius edocuit 4. lib. Metho. med. vbi inspecta prius idea humoris, seligendum esse vacuationum genus arbitratur: quemadmodum pri. Apho. 23. sanguinis missionem ad lipothymiam vsq; imperauit, facta parum anteà diligenti inquisitione, expediatne expurgatio, an sanguinis missio. Præcipuè quùm 2. Aphor. 17. expurgationem exposuerit, quando vitiosi qualitate humores vacuantur: sectionem vero venę, quùm omnes similiter humores educuntur. Tertiò considerentur, qui valeant impunè ferre hanc vacuationem: contingit etenim aliquandò affectio huiuscemodi auxilij indiga, laborans tamen aut præ virium debilitate illud non ferat, aut propter ætatem quidem,
quem-

quemadmodum solemus pueros & seniores ceu minus aptos sanguinis missioni religiosè admodũ præcauere, de quibus postea dicemus. Aut ob anni tempus, nam quo tempore exorit caniculæ ardor, vitant cane peius & angue talem vacuationẽ, primo ad Glauconem, & ob regionis consimilem distemperiem prohibetur ista vacuatio. Idcirco lib. de sectis, septentrionales, & meridionales, quales sunt Scythæ & Aegyptij, haudquaquam sustinent effusiones quibus omne simul educitur. Sed de his posteà exactius: * Vitium quoque oris ventriculi, (quod hîc abutentes appellatione, stomachum, appellabimus, hoc nomine proprius designatur gulam, vt traditur quarto & quinto de vsu partiũ & patientium locorum, quamquàm vt ibidem adnotauimus, barbaris ventriculum ipsum in quo cibus recipitur, significet) arcet hanc vacuationem, vt enim primo ad Glauconem scriptum est, dolor oris ventriculi, cardialgia, & consequenter cunctæ eius affectiones, quæ vires sua vehementia prosternunt, prohibent vacuationem prædictam, cogũtque, relicta tantisper præcipui morbi curatione, vt ad ipsas Medici studium conuertatur, iuxta præcepta 12. Metho. in ipsoq; limine exarata: aut ob habitum corporis, rariori quippe cute donati, & expirationi faciliores, quum natura sua facile euacuetur, ac propriarum humiditatum patiantur iacturam, fit Herculè, vti aliam minus commodè ferant. contraria ratione se habent, qui stipata cute constant, & magis compacta. κάκωσις

Quartò, de tempore habenda est contemplatio,

deque opportunitate id genus præsidij exercendi: quocirca quamuis tertio artis Medicinalis, temporis considerationem ablegauerit, eamque sub quantitate & qualitate ministrandorum compræhẽdi asseruerit, vt potè quod si tali & tanta re allata egeat corpus, protinus tempore opportuno afferatur necesse est: sæpius tamen eo tanquàm tertio quodam illustrioris disciplinæ gratia, vtendum esse ibidem asseuerat. Quare facturus mox de venis in particulari, tempestiuam de tempore considerationem præmisit; quo sensu Rasius lib. 28. continentis citauit hunc locum, codicis antiqui fidem sequutus. Repeteret profectò bis eandem cõtemplationem, si hoc loco legeretur, ἡ περί τοῦ μέρους σκέψις, i. de parte consideratio, melius multò, ἡ περὶ τοῦ καιροῦ id est, de tempore. Tempus apud Galenum trifariam dicitur, aut enim ætatis successionem, aut tempus simpliciter, qui motus est secundum prius & posterius consideratus Philosophorum sententia, insinuat: aut opportunitatem rerum gerendarum seu occasionem, quod tempus auxilij ferendi nuncupatur à Galeno lib. de optima secta ad Trasybulum. quod quidem cõstat duobus potissimum, re scilicet poscente remedium & non prohibente virtute. Hoc sanè tempus quantam exigat inquisitionem, & quantum expostulet studium, vti vnaquæque res ad votum suũ, & suppetias tempestiuas sentiat, & mala vitet instantia: abundè solus scripsit Hipp. qui eiusmodi
1. Apho. 1. considerationis vastum pelagus despiciens præcipitem occasionem seu pernicissimam aliquandò pronun-

pronunciauit. Quintò: quæ venæ aperiẽdę sint speculandum est, atq; hęc est merito in particulari seu de parte subiecta consideratio: quę id maximè conatur efficere, vt oblatæ iam ęgritudini correspondentem venam adaptet, nempe quę recta sit posita, & communionem cum laborante particula seruans, si vacuatione opus est citò subuenire, aut si reuellere, longius sita quærenda est, vt posterius fiet magis perspicuum. Sextò, quibus scopis freti mensurabimus quatenus datur, quantitátem sanguinis, & quando ad lipothymiam vsque, & quando non: quando demum repetita vacuatione vti erit consultius ἐπαφαίρεσιν Græci dicunt, & quando affatim atq; repentè facta. De quibus omnibus seorsum agendum est posteà.

Caput secundum.



T de omnibus istis in tractatione de medendi ratiõe dictum est, quemadmodum, & priuatim aduersus Erasistratum, quòd ipse perperam ab hoc præsidio abstinuit. Deinde alium rursus librum conscripsimus aduersus eos Erasistratæos, qui virum hunc vsum eße hoc auxilio affirmant. Proinde odio digna est scelestorum Sophistarum tùm vafritia, quòd quùm mentiri se sciant, præ studio tamen nouarum rerum dolose agunt: tùm sapientiæ vanæ iactatio, quòd optimarum rerũ ignari, contraria verbis comminiscantur. Horum enim

alterum Chrysippo Cnidio accidit, qui venæ sectionem è numero medicinalium præsidiorum prorsus sustulit. Sequuti sunt illum discipuli, Medius & Aristogenes, clari & ipsi apud Græcos. His verò magis Erasistratus ad splendidissimam euectus gloriam, Chrysippi sententiam retinuit. Huius deinceps discipuli omnes initio præceptoris dogmati insistebant, progressu autem temporis quidam horum ab eo defecerunt, pudore confusi impudentissimo. Nam quid aliud dicam in eos, qui asseuerare audent Erasistratum venæ sectionis præsidium admittere, quùm tamen nusquam in suis commentarijs vllo in malo hoc consulere videatur. Verùm consentaneum erat (inquiunt) vt ei qui inædiam tanquàm vacuatorium auxilium recipit, multo magis venæ sectio vacuet. Qui verò hæc dicunt omnes: venam incidendam esse, in ijs quibus Erasistratus inædia præcepit, vti censent. Quum igitur ipse in libro de febribus in morborum principijs inædiam adhibendam esse tradat, sequitur hunc omnibus sanguinem mittere, illo vtiq; tempore, quemadmodum etiam ipsi loquuntur. Verùm maximum id malum est si ita faciendum artem discentibus iuuenibus persuasserint, multòquè etiam peius si non alia quoquè quæ definire conuenit, considerauerint. Qua propter alio in libro exponere coactus sum, ac iuuenibus demonstrare Erasistratum nequaquam venæ sectione vsum: præstat enim hoc credere, quàm omnibus quibus ille vti inædia præcipit ordine incidere venam, maximumq; ægrotantibus ex hoc præsidio commodum fieri, si quis eo rectè utatur. Non igitur mea quidem sententia, aliud quic-

quicquam de venæ sectione me scribere oportuit, quòd scilicet huius auxilij vsus in opere de medendi ratione sit expositus, quemadmodum etiam in libris de tuenda sanitate: in duobus verò libellis, quorum alter aduersum Erasistratum inscriptus est, alter contra Erasistratæos Romæ agentes, ea quæ ille non rectè est opinatus à me sunt demonstrata. Verum quùm crebro à me multi amici Medici, quos piget, vt mihi videtur, Medendi libros perlegere, efflagitarent, coactus tandem sum ad præsentem explicationem redire, ne scilicet inuidere illis videar, ac subinde conuenienti ordine omnia de hoc præsidio narrare. Atque iam quidem tempestiuum est ordiri sermonem.

Commentarius.



ED de his ad nauseam vsq; disseruerat Galenus, nihil prorsus omittens eorum quæ ad plenam de sanguinis missione tractationem conducere videntur, tùm alibi, tùm prestantius libro de morborum curandorum ratione & libro de tuenda valetudine, atq; alijs duabus seorsum scriptis tractationibus, quarum altera Erasistratum ipsum hoc præsidium negantem abegit, altera vero contra eius egit discipulos, qui rerum euidentia conuicti, vulgo Medicorum persuadere studebant, Erasistratum vsum quidē fuisse hoc remedio, vt qui inediā in morborū saltē principiis imperauerit: quod si inedia (inquiunt) vacuatorio auxilio vsus est,

Inscribitur liber aduersus Erasistratæos.

multo æquius sectione venę vteretur. Hos confuta uit libello dudum citato Galenus, ostendens nunquã subijsse in mentem Erasistrato huiusmodi pręsidium, vt ex scriptis eius sæpius adductis comprobat: sed & hac argumentatione eos redarguit acutissimè. Si vbi inędia est vsus, ibidem sanguinis missionem quoq; vsurparet, sicut in omni morbi principio pręcepit inędiam, in omni etiam venam secaret, quod nulla utiq; ratione tyronibus est instillandum: at prius speculanda sunt quæ propo suimus omnia, pensandaq; sunt diligentissimè ad libram, quò conueniens sit pręstantissimi huiusmodi remedij administratio. Verùm tamen quamquàm copiosè anteà disceptasset Galenus, ut modo dicebamus, de secandarum venarum ratione in morbis, nihilominus suasu plurium amicorum, & ne inuidisse hominum vtilitati iudicaretur, factum est, vt cuncta quę ad phlebotomiam pertinent in ordinem redegerit compendiarium magis & lectu faciliorem: sic enim fiet, vt qui prolixiorem tractatum perlegere cunctabantur, breuitate sermonis pellecti, nihil morentur amplius, sed abacta omni desperatione, totius rei colophonem attingere contendant. Cæterum in proœmio narrauimus argumenta quibus antiqui tollere de medio sanguinis missionem insudauerunt: quamobrẽ non est expetanda huius capitis fusior explanatio. Chrysippus Cnidius pręceptor Erasistrati fuit, atque huius expositę sententię acris defensor.

Laertius lib de Chrysippis.

Caput

Caput tertium.



FFECTVS *quidem vox, quemadmodũ alibi quoq; à nobis dictum est, ab afsici verbo deducta, similiter atq; illud de multis effertur rebus. verùm nunc mutationes in habitum præter naturam, qualescunquè fuerint, affectus, per vniuersum hunc librum nominamus. Quæremus autem primò quot, qualesque sint affectus vacuationem poscentes: deinde qui nam illorum venæ sectionem postulent. Quùm autem omnia quæ in quæstionem veniunt, duo inuentionis instrumenta obtineant, nempe rationem & experientiam, idquè in omnibus artibus, nec minus per vniuersam vitam, necessarium eße puto & nunc, aut sola ratione, aut sola experientia, aut vtrisque ea quæ proposita sunt, inuenire. Quoniam verò ratio ipsa partim ex communibus dumtaxat notionibus incipiens inuenit & demonstrat, partim autem & ijs, quæ ex illis inuenta sunt ad demonstrationem vtitur, vtraque ratione omnes vti artes nobis demonstratum est: & nos quidem in præsentia vtra earum vtilis reperitur, illam deligemus. Priori quidem ratione omnes per vniuersam vitam homines vtuntur, altera verò non omnes, ad artifices enim tantùm pertinet: * Nam Geometra primum suæ artis Theorema per solam priorem rationem demonstrat, deinde in secundo non sola priori vtitur, sed ad demonstrationẽ eius, quod ex primo probatum est, coaßumit.*

Quan-

Quantò autem plus à primo theoremate recedit, tantò etiam magis à prima ratione discedit, ac postremo quidem paucissimis vtitur, per ea quæ demonstrata sunt alia demonstrans, & per illa rursus alia, & deinceps iterum per illa alia, vt tandem demonstratio eorum ad ea quæ plebeijs incredibilia sunt, progrediatur. Solis nimirum, lunæ & terræ non solum magnitudinis sed & distantiæ cognitionem. Ex quibus vtiquè inuentis horologia constituunt, & clepsydras, qui hac via incedentes solis lunæque deliquia prædicunt.

Pari ratione nostra quoque arte procedens oratio multis, quæ in alijs operibus demonstrata sunt vtetur, vt quòd aliquæ sint facultates quæ animantia gubernant, quarum alias naturales, alias animales nominant. Cæterum principia generationis in omnibus rebus materiam habent quatuor elementa, quæ tota inuicem misceri, & mutuo inter se agere consueuerunt. Qua propter nullam Asclepiadis mentionem in hoc libro faciemus, vt cuius elementa falsa in decimo tertio de demonstratione commentario, & in opere de placitis Asclepiadis, in quo quintus & sextus liber elementorum eius confutationem habet, ostendimus. Demonstratum verò & in commentario de elementis Hippocratis, de effectricibus qualitatibus, quarum nomina caliditas, frigiditas, humiditas, siccitas, & de humorum tùm differentia, tùm generatione. Dicta quoque sunt de Medicamentis singulos humores purgantibus pauca quædam in libro de elementis & singulatim in alio commentario. Vtilis etiam ad præsentem sermonem tractatio

de

de tēperamentis, quæ eam quæ est de elementis sequitur. Omnium verò maximè liber de plenitudine, in quo monstratum est duplicem esse plenitudinem, vnā quidem ad vires, alteram verò ad vasorum, in quibus hæc continetur, amplitudinem. Vocatur autem hæc plenitudo à Medicis Græcis, κατὰ τὸ ἔγχυμα. id est ex infusione. Optimum igitur est, vt ij, qui scienter scrutari ea, quæ in hoc libro dicuntur volent, de plenitudine librum perlegerint: quæ verò iterum antea esse perlecta requirit, ipse indicabit. Nemo verò miretur si tot opus sit nobis, vt rectè de venæ sectione consideremus: non enim ad huius modò præsidij inuentionem, sed aliorum etiam omnium necessaria est tam comprehensorum cognitio. Proinde si citra illorum notitiam rectè curare liceret, haud tam accuratè ea prosequeremur. Hæc itaque præfari necesse fuit.

Commentarius.



GGREDIENTIBVS itaq; nobis commentationem sciendum est in primis, dictionem hanc διάθεσιν idest dispositionem seu affectum, vario modo priscis autoribus fuisse acceptam: nempe sicuti verbum ipsum à quo deducitur, de quacūq; re, & vtcunq; affecta prædicatur, quomodo corpus seu animatum siue inanimatum affectum esse passim audimus, audimus etiam secundò, sanitatem

ratem & morbum dispositionem nominari & constitutionem, vti primo libro de morbo, & symptomate, eaque omnia sicut vna communi ratione ἀπὸ τοῦ διακεῖσθαι, id est ab eo quod est disponi dicuntur, sic quoq; dispositio ipsa: quod ostendit Aristoteles cathegoria de qualitate, dum ad habitũ & dispositionem & generalius ad ipsam dispositionem, quæ ad primam speciem qualitatis pertinent qualitates, reduxit. Verum in præsenti omnem mutationem præter naturam significat, siue morbus sit, siue causa, siue subsequens symptoma: nam quùm res præter naturam omnis, aliqua istarum trium rerum sit necessariò, si speciatim ac distinctè loqui velis, morbum dispositionẽ nominamus ceu rem stabilẽ & permanentẽ, symptoma verò pathos interdũ existit, in ipso fieri seu mutari obtinẽs suam generationem, nimirum idẽ est, cum ipsa actione sexto de placitis, differenti tamen ratione, nempe motio efficientis actio existit, ipsius verò patientis pathos. Etenim scindentis actio, scissi passio existit. Interdum etiam ipsa dispositio permanens passio nominatur, non quidem simpliciter, sed facta, vt libro de differentijs symptomatum. Itaque hoc loco quidquid præter naturam nobis accedit, affectus significat: quo sensu deinceps quęrendum est, qui affectus & quot egeant vacuatione, ac subinde quinam ea quę per sanguinis missionem exercetur. Id equidem inuestigabimus ratione & experientia, quæ duo sunt instrumenta in omni artium genere inueniendi aliquid: ac proinde his duobus constare medicinalem disciplinam

Lib. de differentiis symptomatum.

libro

libro de sectis comprobauit. Quemadmodum etenim res in vniuersum in manifestas, & occultas diuiduntur, atq; illæ sensu, eæ verò mente dignoscuntur: duobus item inuentionis organis ceu duobus cruribus, omnes artes stabiliri primo Apho. primo, & primo methodi, ac centies alibi repetiuit. In quæ duo inuentionis instrumenta, vias doctrinales Philosophorum reducere erit operæpretium: nam quod illi, à signo & causa & ob quid dicere solent, id experientia & ratione aut vtraque ratione in præsente dici posset. Ratio quippe, quintiliano autore, inartificialis, quæq; per se ipsam est euidens, à signo ducitur, quare quæ à signo procedit, & ad experientiam apprimè pertinere dicenda est, vti tertio pronosticorum commento 37. quadam tenus insinuatum est: quæ verò propter quid & à causa remota, ratio est demonstrans, quæ interdum ex primis, veris, notioribusque conclusione proficiscitur (quæ quidem dignitates, maximæ, & ex seipsis manifestæ libro de optima secta nuncupantur) interdum verò ex his quę per demonstrationem aliam pręostensa sunt, qualia sunt Theoremata Euclidis quorum reliqua ex primo pendent, eiusque innituntur fidei. Quam ob rem optime Fuchsius hunc locum emaculauit, iuxta antiqui codicis lectionem, legendumque est. 1. *Phisic.*

* (Geometra enim primum suæ artis theorema per priorem solam rationem demonstrat, deinde in secundo non sola priori vtitur, sed coassumit ad demonstrationem eius, id quod per primum probatum est. Codex autem mendosus Basileæ sic

habet.

habet, (Geometra namque primum theorema ipsius artis priori ratione demonstrat, in secundo verò deinde sola vtitur, & coassumit id quod prima est adstructum.) Nam quomodo, quæso, sola vtitur, si coassumit, id quod prima est collectum? Ast secus habet, nempe pluribus collectis prius cõclusionibus, in particulares descendunt Geometrę conclusiones: quibus equidem lunę eclypsim, solisquè deducunt, horologia fingunt, & Clepsydras, id est, aquę horologia, qualia sunt quę nos hodie confingimus ex puluisculis tenuissimis. Haud secus Galenus in pręsente libello, quędam probabit per se, quædam ex his, quę alibi sunt demonstrata: in libro de temperamentis iecit veluti principia medicinalis disciplinę, & libro de facultatibus naturalibus, in quibus priori probandi ratione progressus videtur, in pręsenti, secunda magis vtetur, his, quę illis libris fuere persuasa, concessis in libro de facultatibus naturalibus, tria facultatũ genera, animalem scilicet, naturalem, vitalem comprobauit: & si quando silentio pertransijsse vitalẽ est visus, id sanè ea causa factum esse arbitrandum est, quòd sub naturali sępius vitalem complectatur quemadmodum secundo libro de causis symptomatum inter initia spontè fatetur. Quatuor elementa preterea, quę vniuersę generationis obtinẽt principia, constituit: ea sunt quatuor qualitates primę, caliditas, frigiditas, humiditas, siccitas, ex quibus & materia, ipsa constant elementa (non quòd formam seu ideam substantię diffiteamur, quam cum ceteris Philosophis semper exosculati sumus)

sed

ſed quòd Galeni more, modò loquamur, qui formas ſubſtantiæ, ceu abditiſsimas ſilentio prętermiſſas, præter materiam, ſolas formas accidentarias velut obuias quas nunc deſcribimus, & temperamentũ nominauerit. Elementum porrò ignem in duo cogitatione ſaltem diſcerpit, in eſſentiam nempe illius quod mutatur & mutationem: mutari, ſubiecti credidit eſſe, mutationem verò qualitatũ viciſsitudine fieri. Accedens itaq; ſumma caliditas, ignem conſtituit; humiditas ſumma, aquam; ſiccitas extrema, terram; de primo frigido nondum liquet Galeno primo libro de natura humana commentatione tertia: hæc elementa miſcentur mutuò & quoad qualitates, & quo ad ſubſtantias per ſe totas, ac idcirco tertio ſimplicium medicamentorum inter initia, qualitates haſce ſpecificas appellari decernit, cæteras verò alteratorias tantum, quod alteratum faciant ſubiectum, non vnum ex alio commutent. Medicamentis expurgantibus ineſt facultas ſeu poteſtas ſubductoria, hoc eſt electione trahens vis humores, de qua lib. de purgantibus medicamentis: quatuor humores & eorumdem naturas, libri de temperamentis, & de atrabile doctiſsimè explicuerunt: quare reijciendus eſt planè Aſclepiades, qui ſuis atomis mixta cuncta componens, anſam dedit prauè philoſophantibus, ad negandas naturę mutationes, & ad præſtigiaturis quibuſdam, & apparentijs colludendum hominum conſpectus, erga rem præſertim cunctis conſpicuam & nulli magis notam quam alijs. Sed hunc ſatis ſe profligaſſe lib. 13. de demonſtratione

Gale-

Galenus insinuat: qui libri vtinam ad nos iam essent allati, quemadmodum caluus quidam se daturum industria Iacobi de Mendoza legati, non paucis retro diebus illos promiſſerat: proculdubiò dialecticam interim veluti demortuã, intelligas, quanquàm non obscurum illi splendorem Rodolphus ille clarissimus aliôqui vir, ac magno cum fructu comparauerit. de plenitudine mox.

Caput quartum.



Aeterum iam tempus est ordiri sermonem, considerando quot sint affectus, qui vacuatione indigent. Si igitur eos quispiam experientia collectos recenseat, sola ad enarrationem opus est memoria: quòd si verò rationali via, commune, & vniuersum genus inueniat necesse est, ex illius deinde in species & differentias sectione vsq; ad extremas species, numerum affectuum qui vacuationem indicant inuestigare oportet, sic enim constare omnia quæ per viam ratione vtentem inueniuntur, demonstrauimus. Quum itaque Medicæ artis officium sit, omnium partium corporis quæ secundum naturam sunt actiones, siquidem pereunt, recuperare, tueri autem vbi saluæ fuerint, hæque constitutionem naturalem sequantur: hanc quidem præsentem tueri, intereuntem vero restaurare necesse est. Postquam igitur demonstratum est, primarias actiones à similaribus corporibus perfici, ab instrumentarijs verò secundarias, consideran-

randum tibi erit quam vtilitatem aut noxam humores qui in corpore continentur, partibus eius afferāt. Quum itaque in lib. de plenitudine ostensum sit bifariam fieri, & dici multitudinem, vno quidem significato ad vires, altero verò ad amplitudinem vasorum humores continentium, quam nonnulli κατὰ τὸ ἔγχυμα, hoc est ex infusione nominant: vtrique vacuatione opus est, siue in ægrotante homine, siue sano euenerit. Quemadmodum enim qui onus gestat non protinus vbi grauatur ac fatigatur iam concidit & victus ab eo est: ad eundem modum vbi virtus à plenitudine grauatur, fieri potest vt nondum ægrotet homo. Si quidem nonnulli qui consueta etiamnum munia obeunt, sentire se graues, pigros, segnes, & ægrè mobiles dicunt, ea ipsa est plenitudo ad vires: veluti etiam quum ab exercitijs tendi videntur, vt Erasistratus dixit, implentur brachia & cubitus: haud exigua est alterius plenitudinis, quam κατὰ τό ἔγχυμα, hoc est ex infusione vocari dixi, eò quòd ex humoribus in vasa infusis consistit & intelligitur, nota. Dictum verò est in libris de sanitate tuenda, vbi in vniuerso corpore fit vlceris sensus, potissimùm verò per motiones ipsas, hunc affectum vitiosi humoris esse sobolem: attamen hoc ipsum non paucis etiam dum consuetas obeuntibus actiones accidere apparet, interdum etiam in partibus quibusdam corporis, non in vniuersa eius mole, signa conspiciuntur illis in partibus consistentium affectuum, similium ijs quales vtiq; in toto corpore cōsistere diximus, Quippè caput aliquandò solùm grauari, aut vlceris quendam sensum habere, vel temporum musculos tendi,

idquè simpliciter, aut cum plurimo calore: sic etiam in iecore, liene, ventriculo, costis, & septo transuerso grauitatem sæpennumero sentimus. Pari ratione in ore ventriculi aut grauitatem, aut morsum, aut nauseam, aut ciborum fastidium, aut absurdam appetentiam percipimus. Ad hæc fixi in parte aliqua dolores, idquè aut propter humorum confertim ingruentem multitudinem, aut flatuosum ob spiritum, vacuationem indicant, perinde atque ij dolores qui ob acrem humorem partem exedentem rodentemq; excitantur. Sunt verò nonnulli qui ab intemperie nascuntur, & horũ ipsorum quidem alij à nuda citra humores intemperie, alij verò cum humoribus. In omnibus itaque iam dictis, infestantium humorum, aut vaporum vacuationes hominem à malis liberant non tamen omnino sectione venæ opus est, sed sufficit etiam purgatio, frictio, balneũ, & inunctio discutientis alicuius medicamẽti. Qui igitur sunt affectus quos sanguinis missio iuuat, deinceps dicantur.

Commentarius.



QVANAM ratione inuestigari debeant affectus vacuatione indigentes dictum est proximo capite, quumquè in recensendis his quæ nobis experientia innotuerunt, sola opus sit memoria, non alio artificio; rationali via quæque magis decet artificem inquirere, quæ ad dictos affectus pertinent. Hoc autẽ fiet si prius plenitudinis differentias desi

gna-

gnauerimus, ex quarũ distinctione, penum vberrimum his, quos proposuimus, inquirendis affectibus, accedet. Plenitudo duplex est, seu redundantia, qualitatum, & humorum: illa nudarum qualitatum seu sine materia vulgo vocatur: hæc verò diuiditur in plenitudinem & corruptelam, iuxta Galeni decretum libello aduersus Iulianum hoc pacto inquientis (causarum quæ in humoribus accenduntur duplex est genus, alterum ex plenitudine, alterum ex corruptela) prius πλῆθος secundum διαφθορὰν Græci dicunt, hoc ẽst plenitudinem & corruptionem. Quæ corruptio à plenitudine abducitur atque separatur euidenter, vt 2. Apho. 17. decretum est hisce verbis (incipere potest plenitudo quo ad vires citra corruptionem, non tamen sine illa permanere) lib. etiam de plenitudine, & 3. de sanitate tuenda, baiulantes duos homines comminiscitur, quorum alteri grauissimum onus imposuit, alteri verò leuissimas spinas ac paucissimas sed acutissimas, quam vlcerosam dispositionem nuncupauit, hanc corruptionem, inemendabilem ratus est, vt quæ nequeat vllis suppetijs pristinam bonitatem recuperare: nam humorum redundantiam, quæ coctione à natura facta salubrẽ resumere valet constitutionem, plenitudinis retinere vsq; quaq; nomen author est Aphorismo nuper citato. Plenitudo deinceps quædam est quoad vasa, quædam ad vires: quæ quo ad vasa dicitur, vasorum capacitatem replet plus nimio, appellaturque simpliciter plenitudo, fitq; omnibus humoribus æqualiter auctis aut solo sanguine copiosius

redundante. Quandò veró alius humor à sanguine symmetriam sua quantitate excedit, non simpliciter plenitudo, sed pituitæ aut bilis, aut atræ bilis nuncupatur, cacochymiam alio nomine dum distinctius loquuntur, eam plenitudinem appellant. Sane difficillimum est alium quemlibet humorem à sanguine vasa replere, verumtamen contingit vt aqua aut pituita vniuersum corpus, non sola vasa, refertum sit, quare plenitudo quo ad vasa seu simpliciter dicta plenitudo, tunc solummodo fiet, quum omnes humores simul, aut solus sanguis plus æquo redundarit; & quanquam interdũ vasa ipsa oppleta cõspiciantur & sint cacochymia, quod luce clarius monstrant ascites & leucophlegmatia, illa tamen plenitudo, cacochymia ritè cõsiderantibus rerum & vocabulorum vsum, est vocitanda. Plenitudo ad vires omnem plenitudinis modum comitatur, Connectiq; possunt plenitudo quo ad vires & vasa, eo scilicet tempore quo vires humoribus immoderatè auctis, incommoda patiuntur. Sanguis etiam inculpatam gerens naturam, sed paulò vberiorem, coit aliquando cum bile putrefacta, quantitate verò minimè peccant. Quòd si quispiam exactius humorum redundantiam partiri concupiuerit, sub diapthora seu corruptione comprehendat oportet cacochymiam. quemadmodum fecisse videtur Galenus, qui, 2. Aphor. 5. vlcerosam dispositionem à cachocymia ortum duxisse testatus est. Qua propter deficit Fuchsij partitio libro compendij posita: ibi equidem redundantiam capiens amplissimè, eam in quali-

tatum

tatum & humorum secuit, deinde humorum copiam, in omnium humorum simul, & vnius diuisit. Illa siquidem vlcerosa dispositio nullius humoris indicat immoderatum excessum, sed solum vitium: præterquàm, quòd sanguis solus plenitudinem illam constituat quam omnes humores similiter auctos efficere existimauit. sed de his in præfatione controuersiam discusimus. Curiosè præterea admodum, πλησμονὴν, distinxit quoad vires & vasa, & deinde plenitudinem, illam ventriculo tribuens, hanc venis: quippe siuè ventriculi, siuè cuiusuis alterius partis plenitudò nominatur, atque hanc libello de plenitudine, in eam quæ ad vasa & vires perpetuò dissecuit, siuè totum corpus, siuè quamlibet particulam occupet. Commodiùs itaquè partiretur quis omne vitium istiusmodi, si sic exordiretur. Redundantiarum alia qualitatis, & alia humoris: humorum item quædam est qualitate peccantium & vocari debet corruptio, alia verò eorundem copia molestantium, idq; aut omnium simul vèl solius sanguinis, vocatur plenitudo simpliciter seu plethora: aut alterius cuiuslibet humoris à sanguine, ac tunc cacochymia dicitur seu illius humoris plenitudo. Vnde Auerrois quarto suarum collectionum & Auicenna secunda primi doctrina 3. capite 6. perperàm scriptum reliquerunt dicentes, quandò sanguis quantitate sola peccat, repletio quoad vasa nuncupatur, quandò qualitate mutatur, repletio quo ad vires, quoniam vacuat, dissoluitque vires: tùm quòd ad solum sanguinem eam diuisionem arctauerint, tùm

Satietatē. πλῆθος.

etiam quòd non intellexerint citra qualitatis mutationem aggrauari posse vires solo quantitatis excessu. Cæterum difficillimum est has plenitudinum differentias suis signis ad æquilibrium figurasse: nam quùm varia describantur facultatum genera, vitalis scilicet, naturalis, animalis, quarum comparatione plenitudo quæ ad vires extat dimetienda, distincta opus est tradantur indicia, nec satis est grauitas sola, quæ sensificam facultatem duntaxat spectat. Item tensio & grauitas, quę potissima designantur indicia plenitudinum, haud quaquam illas semper ostendunt, quòd non sint illarum propria: tensio quidem, ob flatuosam substantiam distendentem vt in colico cruciatu, & ob pituitam, vt in leucophlegmatia seu hyposarca, subsequi solet, idcircòq; non magis humorum multitudinem, quàm spirituum comitatur, quod docet etiam tympanites. Grauitas paralyticis trementibus senibus absque humorum vlla redundantia adest, nec illa semper præstò est vbi grauantur vires, nisi sensu prædita sit particula. πολύσαρκοι seu corpulenti homines grauitate premuntur, & ceu vincti compedibus escariam vitam tantum agunt, minimè redundantibus humoribus: haud quaquam igitur caret istiusmodi plenitudinum indagatio difficultate maxima. Auget amplius huius speculationis difficultatem, remquè totam facit magis perplexam Galenus ipse: qui quùm tam diligenter de plenitudine scripsisset, nondum tamen plenam nobis reliquit disciplinam qua hosce labyrinthos veluti filo quodam ducti euadere posse-

ſemus. Quin & ille multò mihi difficilior nodus fuit ſemper, quòd apud Galenum libro de ſanguinis miſsione & libello de plenitudine, tenſionem & grauitatem notas interdum quidem proprias, interdum verò inſeparabiles harum plenitudinũ vocari offenderim. Atq; in calce huius tractationis indicia in ſcientifica, & his inferiora partitus, tenſionem & grauitatem, pigritiem, pulſuum mutationes, ſecretis cunctis recentibus monitionibus, ſcientifica compellarit, rurſum ſuppræſsionem menſtruorum, inertem vitam, copioſiores eſcas, regionem, tempus, habitum corporis denſum, illis inferiora. Quum ex Galeni placitis in eas ſimus coniecti anguſtias, vt propria indicia illa tantum *1. Porrethi* accipiamus, quæ aut perpetuò adſunt, aut ſoli rei *corum 4.* cuius eſſe dicuntur, quæquè, ſi vt oſtendimus, alias etiam affectiones coindicant, cur ſcientifica ſigna dici mereantur non video. Itaq; ſi explicandus eſt vtcunq; obiatus nodus hac ratione profectò fiet, nimirum ſi dicamus tenſionem & grauitatē duas plenitudinum ſpecies demonſtrare, tenſionem quidem plenitudinem quoad vaſa, grauitatem vero, eam quæ ad vires, idq; ceu inſeparabilia ſigna: verùm quia latius patent, & alias quoq; affectiones conſequuntur, alia ſunt aſſocianda ſigna, quibus atteſtentur vt quas quærimus plenitudines veluti digito commonſtrent. Nempe tenſio citra recentes occaſiones, cum tumore venarum, rubore præterea totius corporis habitus, ac cæteris ſiue ſcientificis, ſiue inferioribus his, adiacentibus indicijs, vniuerſalem corporis plenitudinem ſubſcribit quę

ad vasa, si per totum corpus appareant, si vero per partem aliquam solam, particularem. Quod doctissimè Rasius lib. 28. continentis olfecit dum ita scripsit. Cum ponderositas, & tensio non fiunt ex alio humore, quàm à sanguine, qđ cognoscitur ex colore, atq; calore, victu & alijs; minutio (supple) sanguinis fiat. In hyposarca igitur, colico cruciatu, ascite, tympanite, tensio subest nonnunquam ingens, ac crudelissimè torquẽs, in modum etiam tormentorum dilanians, inquietudines, anguores, dolores intollerabiles inferens, adeòq; cutem tendit aliquandò, vt neq; cuticulam forcipe præhendere liceat, nec flectere corpus. Subindè grauitas, in paralyticis & multę carnis hominibus percipitur egregia, nec id vllus inficiabitur sanæ mentis. cæterum hæc exempla id tantum conficiunt, præfatas notas non solis plenitudinibus iam nominatis conuenire, sed opus esse pluribus significatiobus, quarum accessione facta, omnium herculè, aut plurimarum, exacta prodeat multitudinis depræhensio. Iam verò sensus grauitatis multitudinis est nota, in illis duntaxat particulis, quæ sensu vigènt, in alijs verò proprior quærenda est: in arterijs nempe inæqualitas pulsus in magnitudine, & paruitate euidentior, in alijs differentiis pulsuum, obscurior, quod constabit vberius ijs qui de pulsu volumina perlegerunt. In venis autem quanquã nulla. extet propria nota eius plenitudinis, quæ ad vires, ex pulsus eiusdem inæqualitate mutuanda est, ob eam, quæ inter vasa intercedit, conspirationem, σύμπνοιαν Græci dicunt. Quod vtiq; magna ex parte

te interpraetandum est: accidit namq;, licèt rarissimè, vti humores qui sunt in venis prae visco, & crassitie, quibus maximi sunt infecti, vt neutiquã in arterias migrare valeant, ac proinde per pulsum minime repraesententur. Quî ergo tunc humorum vires grauantium cognoscemus multitudinẽ, si quidem nullam propriam notam venis haerere asseruimus huius plenitudinis, ac aliunde quaerendam? Certè coniecturis aliis, quae tum ex rebus naturalibus, tum non naturalibus, ac tertio ex his, quae praeter naturam emicant symptomatis, expiscanda est vacuationis necessitas & plenitudinis dignotio. Et quoniam opitulari alia signa huiusmodi plenitudinum dignotioni cõfessi sumus praeter illa duo saepius repetita, consentaneum est illorum apposita expositione, pergamus vlterius. Rubor non est nota communis omnium humorum indifferenter, sed sanguinis redũdãtis. Quam ob rem quatuor quum sint plenitudinis species, sanguinea, biliosa, pituitosa, Melancholica, eas oportet ex colorum discrimine ab inuicẽ separare, biliosam scilicet ex aurio colore, pituitosam, ex albo liuidoq; &c. Tumor Venarum non vtcunq; & citra suas distinctiones existimari debet plenitudinis iam dictę index certissimus: est sane quandò fit ob immodicum calorem, ob inaequalem etiam quendam corporis affectum, & quia membrum in decliui sit positum, quo tempore nõdum plenitudinem vacuationis indigam praescribit. Hîc quoq; Fuchsius monendus est qui corruptionis oblitus manifestè deprehenditur in ea partitio-

Ars, aetas, regio, virtus, complexio, forma, mos, & symptoma, tempus repletio victus. Haec sunt pensanda medico vacuare volenti.

4. de sanitate tuenda principio. vlceris sensus; neq; à plenitudine quæ ad vasa, neq; ab ea quæ ad vires nascitur, sed ab acrimonia tenuis calidiq; humoris.

titione quæ superius est diceptata: quippe corruptioni non copulatur aut tensio, aut grauitas, sed vlceris sensus: consequenterquè aliud est vitium humorum ab his duobus quæ plenitudine ad vasa, & ad vires denotantur. Dubitaret forsan aliquis, quæ sit causa, vt quum Galenus de Erasistrati sententia, plenitudinis exemplum figurasset, de ea nominatim prudens mentionem fecerit quę ab exercitijs nata sit, dicens, (veluti quum ab exercitijs tendi videntur, vt Erasistratus dixit) subiudicans tensionem tunc esse plenitudinis certum vestigium, quum citra recentes occasiones suboritur. Respondetur Galenum locutum de plenitudine, siue communi, siue partis alicuius, idq; siue spōte sit nata, siue ex consilio: verè siquidem replentur vasa particularum exercitio calfactarum, ob id quod calor inter causas annumeretur quæ humores aliunde trahunt. At eiusmodi plenitudo similiter ac tensio, quæ exercitium sequitur, haudquaquàm doce patrandam fore vacuationem de qua præcipuus nobis est sermo. Prædicta signa plenitudinis in sanis pariter ac ægris eueniunt, sana quippe corpora sed ægritudinibus parata, istiusmodi signis, quæ neutra vocantur 2. artis Medicin. ad calcem, se ipsa præmunienda esse prænuntiant. pigrities porrò, tensio, inappetentia, atque alia multa ibidem enarrata, futurorum morborum sunt indicia, prouidentiamque expostulant artis Medicinalis præseruatricis nuncupatæ. Insuper dictæ plenitudines in peculiares & communes dissecantur; communes appellatæ quæ in toto corpore

ver-

versantur aut in plurimis nostri corporis partibus, aut saltem præstantissimis; peculiares verò cæteræ. videmus equidem non solum vniuersum corpus tensione & grauitate opprimi similiter ac defatigari, sed & caput, lienem, ventriculum, costas, atque alias ignobiliores particulas. Dolores itē passim corpora incessunt, aut grauantes, aut tendentes, aut mordentes, aut pulsantes, aut ex his commisti, (plures etenim dolorum differentias esse negauimus exponentes secundum librum de patientibus locis) ijque aut ob nudas qualitates exoriuntur, aut cum materia copulatas, eaquè aut multa, aut flatuosa aut mordaci, vti 2. de compo. Phar. local. traditum est. Quoniam verò non parum interest in hac affectionum dolorificarum inquisitione, nosse, à qua nam causa emerserint, id saltem perfunctoriè docebimus. Doloris proximam causam Galeni decreto, continui esse solutionē, cæteras remotas quidem & quæ non nisi intercedente diuisione id efficere posint, existimamus. Quod apertè lib. 1. de causis sympto. monstrauit, inquiēs ostensum est alibi diuellendo substantiam calidū & frigidum producere dolorem: quòd sicubi duas in genere doloris causas declarauit, non quòd illas proximas voluerit, sed quòd nonnunquam alteratione qualitatum partus sit, nonnunquam verò sine illa, ob alias causas quæ per se scindunt continuam substantiam, vt sunt contusio, scissioq;. Eius sententiæ fuisse Galenum, testatur Auicenna secūda primi capite de causis doloris, & Auerous tertio collectionum cap. 31. Sed mea sententia quam

in expositione 6. Aphor. 2. sect. expræsſi, quot ſunt ſenſibilia, totidem ſunt cauſæ doloris quum excellentia ſenſum ipſum violenter pungunt atq; conuellunt, Iuxta Philoſophorum dogma, (excellens ſenſibile corrumpit ſenſum, hoc eſt dolorem generat): Et quoniam non videtur dolor leui contuſione aut præſſu, aut diſtenſione factus, in continui diuiſionem eſſe referendus; aliôqui quùm conſedimus aut recubantes malè locamus artus, doloremq; exinde percipimus, diuulſam carnem, & cæteras particulas paſsim auderemus cauſari. Inter cauſas dolorificas calidum & frigidum vehementes creant dolores, quòd maximè ſint efficaces: humiditas nuda, doloris eſt expers, ſiccitas autem moderatum facit, 2. de cõpoſi. ſecundum locos inter initia, primo de cauſis ſymptomatum humiditatẽ, & ariditatem indolentes aſſeruit, quod de ſolis, ſine humoribus exponendum duximus, aut valde modicos dolores, perinde ac ſi non fierent, reputari. Hactenus ergo collegimus plenitudinem, quæ ad vires, & quæ ad vaſa, corruptionem, dolores quoque quando à materia pendent vacuatione fore curandos: quod experientia ipſa credens ſatis confirmatum, Methodica ratione Fuſius paulò demonſtrare Galenus conatur. Nam quum actionũ ſaluus ſtatus à cunctis ſummis votis expetatur, haſq; inculpatæ ſi ſint, ſeruare omni ſtudio, & contentione Medicinale procuret artificium, labefactatas vero in melius corrigere quantum datur: ſubinde verò, quùm in vtranque partem plurimum interſit de conſtitutione corporis actionum opifi-

ce certiorem esse artificem, hanc rursum saluā manere studet, aut perditam restituere. Neq; hîc sistitur. Quippe vbi inuenit diligenti admodum meditatione, actiones primariò per similares particulas exerceri, secundariò verò per organicas seu instrumentarias, quod vitium afferant humores hisce partibus tentat euoluere medicinæ studiosus: quæ vbi eleganter perquisiuit, plenitudinem, vtrāque corruptionem, dolores à materia subortos, vacuatione fore propulsandos concludit, compositoria inuentionis Methodo. Ast quonam pacto operationes à similaribus fiant particulis, quæ primæ subsunt, secundariò verò ab organicis, luculentissimè libro de locis patientibus enodauimus, Aristotelem cum Galeno conciliantes: id vnum ceu inuiolabile defendentes dogma, à parte vna similari ceu à primario effectore vnamquamquè actionem dimanare, secundariò tamen ad id cooperari organicorum instrumentorum fabricam. Exempli causa. Cruris incessus à virtute animali per neruos demandata proficiscitur, ac scaturiginem suam recipit, in qua motione primū mobile est neruus, qui nunquam crus commouisset, nisi tot ossiculis, ligamentis, figura commodissimè fabrefacta, fungeretur. Crystallinus item humor primùm est instrumentum visionis, ac primum mobile animalē facultatem ad id exorbans: visionem tamen neutiquam operaretur, absq; mirabili illo tunicarū contextu, & substantiarum, quibus oculus constat, exactissima compositione atque structura.

2. de partibus. c. 1. actiones à cōpositis partibus sensus à similaribus fieri insinuauit.

Lib. de constitutiōe artis medicæ, lib. de oculis, lib. 3 de patientibus locis.

Caput

Caput quintum.



ON *solum partes animantis sanguine aluntur, sed & natiuus calor perseuerantiam ex sanguine obtinet, perinde atque ignis qui in foco est ex lignis ad ardēdum idoneis, à quo totas ædes calefactas conspicimus. Quemadmodum igitur ignis ille offenditur, interim quidem confertim ei iniectis lignis, interim verò tametsi non multis, tamen admodum humidis, non numquam autem omnino non impositis, aut prorsus exiguis: sic calor qui in corde existit vel propter sanguinis copiam, vel propter multam indigentiam, vel ob qualitatem frigidam se ipso minor efficitur: interim verò maior, aut propter calidam sanguinis qualitatem aut ob exiguum defectum. Quidquid autem cor per caliditatem vel frigiditatem patitur, huius etiam confestim aliæ corporis partes participes fiunt. Fit autem & vna aliqua in parte nonnumquam præter naturam tùm caliditas, tùm frigiditas, quemadmodum sæpius à nobis in alijs commentariis est demonstratum. Harum verò generatio bifariàm accidit, interim propter humores calidos, aut frigidos, interim etiam ob solam intemperiem. cæterum particulares caliditates & frigiditates, quæcunquè parti malè affectæ vicina sunt simul alterant, in totum verò corpus, priusquàm cor alterent, haud extenduntur. Eundem in modum &*

cor-

corpus cordis duplici ratione alterari ostensum est, vel per intemperiem, vel ob calidos aut frigidos humores, vel propter alicuius horum indigentiam. Porrò humores calidos frigidosq; fieri demonstratum est propter eorum quæ comeduntur, & bibuntur quantitatem, & ob plurimam animi corporisq; tùm motionẽ, tùm quietem. Quemadmodum autem in ventriculo prauæ concoctiones frequenter eueniunt, iis quę assumpta sunt magis pituitosis aut biliosis effectis, aliáuè quandam præter naturam corruptionem perpessis, aut crudis & alterationis expertibus, plurimo tempore manentibus, & inflatum versis: ita etiam vbi sanguinis procreatione defraudamur, humorum in arterijs venisq; affectus proportione iis quæ â frustrata in ventriculo concoctione fiunt, respondebunt. Quoniam verò calida, & humida omnia facillimè putrescere apparent; potissimum quandò in calidis contineantur locis, neceße erit alimentum quod ex ventriculo distribuitur, vbi à natura non vincitur, inq; sanguinem bonum haud mutatur, aliàs aliam perpeti putredinem. atqui quum quæ ex calida materia putrescunt calidiora fieri contingat, calidior proinde erit sanguis putrescens; hoc verò calidiori facto, calidior quoque sensibiliter erit pars in qua putrescit. Quoniam verò à sensibiliter calidis quæ vicina sunt, vnà incalescunt, sic vtiq; affectis partibus quæ circumquaque sunt, omnia vnà incalescent, idq; mordaci, & acri calore. Eius modi enim est, qui à putredine proficiscitur. Si igitur pars quæ ita incaluit effatu digna fuerit, caloremque suum ad cor vsq; protendere valuerit, idque vel quòd vicina sit, vel quòd

prin-

princeps, vel quòd calida, vnà quoque ipsum accendet, vt pote natura calidissimum. Quòd si verò semel illud accensum fuerit, promptè iam totum ipsius corpus simul incalescet, perinde atq; à foco aliquo ingentem flammam habente, quæ illum continet domus. Vocant autem id malum corporis, febrem. Verùm interdum priusquam sanguinis multitudo putrescere incipiat, in partem aliquam confertim decumbens, aut prorsus eam extinxit, vt actio aboleretur, aut non contemnendam noxam acciperet. Si quidem adhunc modum apoplexiæ fiunt, multo nimirum saguine in principium animalis confertim irruente. Proinde vbi in aliam partem cum impetu ruit, tumorem in ea preter naturam efficit, ex hoc genere est phlegmone. Vbi verò crassior magisq; melancholicus fuerit sanguis eò decumbens, durus fit tumor: sicuti vbi pituitosior fuerit fluxio, laxus: biliosa verò existenti fluxione, erypsi pelas efficitur. Sed hæc omnia exquisitè distincta habes in his, quæ modo diximus operibus. Verùm nunc vt dixi, ea quæ demonstrata sunt, hypothesium loco in hoc libro assumens, congruenter illis sermonem de sanguinis missione demonstro. Quùm itaquè plenitudo sit duplex (optimum enim est hinc auspicari) & ea quæ vires prægrauat, in putredinem promptè incidat, & nonnunquam etiam in partes quasdam impetu aliquo decumbat, inibique tumores præter naturam efficiat: altera verò, quæ ad vasa nominatur, sæpe in partes ingruat, ac tumores excitet, imò apoplexias, venarumque ruptiones moliatur, eam quam celeriter vacuare tentandum est, priusquam magnum aliquod

malum

malum in homine creet. Atqui plenissimè quo pacto vtraquè mala & dignoscere & sanare oporteat, in tractatione de tuenda sanitate dictum est: sicuti vbi vel febris vel sanguinis reiectio propter plenitudinem, vel apoplecticorum morborum aliquis inuaserit, quomodo & illis mederi conueniat, in medendi ratione ostensum est. Quare de his plura cõscribere superuacaneum esse censeo. Nam si perinde atquè in illis libris scripsi, & hic scribam, bis eadem de re disserere cogar, & propterea sermonem ad modùm prolongare: si verò in compendium librum hunc contraham, duorum alterum accidere periculum erit, vt vel obscurius aliquid ob breuitatem dicam, vel distinctionem aliquam vtilem prætercam. Sed cùm non meo consilio hunc librum aggressus sim, si quod iam dictorum in eo delictum occurrat, illi culpam ferent, qui vt onus hoc susciperem autores fuerunt: sicut si rectè eueniat, vtilisque appareat, laudem illis omnem concedo.

Commentarius.



VI affectus vacuatione egeãt ostensum est superius, superest modo disputaudum secũdum theorema in quo continetur potissima huius operis controuersia, quod, qui sint affectus, sanguinis missione, ceu adaptato remedio, curandi, docet. nam, tametsi dictæ affectiones

2. sectione com. 33. Quãdo fas est cutaneas fœditates vngentis demoliri citra totius corporis prouidẽtiam.

nes vacuationem efflagitarent, non tamen semper illis, aut purgatio, aut venæ sectio est irroganda, quum leuioribus liceat remedijs exiguas causas præcipuè, demoliri, cuiusmodi sunt iniunctio, frictio, quibus in simone vsus legitur Hipp. 6. Epi. exanthematis laboranti, atq; in alijs consimilibus affectibus cutem duntaxat inquinantibus, & interiora corporis munda relinquentibus: in illis etenim, vnguentis commodè quispiam hæc mala tollet, nequè opus est vehementioribus remedijs.. Quod quidem deauranda illa sententia Hippocratis strenuè nobis admodum inculcauit, dum inquit, 2. Aphor. 16. (vbi fauces ægrotant, & tubercula nascuntur in corpore.) Et quãquam mali sæuitia, non possit absque efficacissimis illis præsidiis sanguinis missione (inquam) & expurgatione corrigi, & in melius traduci: non dum tamen liquet, efficiẽdũ nè id sit sanguinis missione, quod in hoc sermone inuenire enixè contendimus. Quocirca difficilis censetur controuersia, quę an apparentibus ex anthematis, lepris, scabie atq; similibus cutis vitijs, vacuandum sit corpus sanguinis missione nec nè, curiosè admodum explorat. consultius sanè factum duxissem, si non id quidem agitarent tantopere, sed in eam potius intenderent contemplationem, quæ an corpus interius vlla labe detineretur, an omne vitium in cutem ipsam deposuisset, sedulò consideraret. Sic etenim fieret, vt quum ex excrementis sanis penetralia corporis incolumia iudicauerimus, solis forinsecus adhibitis medicamentis mala depellamus: rursum eisdem sordidis,

didis, & à debita ſanitate nimium deuiantibus, & toti corpori efficacioribus remedijs prouideamus, ac deinde cuti ipſi. Præterea ſi leuiora ſunt mala quàm quę tantis motionibus commoueri debeant, quamuis vniuerſum corpus aſperſerint, nõ protinus purgandum eſt, aut ſectione venæ medicandum. Sat eſt etenim plerumquè benignioribus auxilijs hiſce malis repugnare, cuiusmodi ſunt balneum, ſudor, frictio, vnguina, timentibus nobis cum Platone in timæo: ne magna in corpore fiat perturbatio, & vniuerſarum euerſio virium. Sic nimirum mortales omnes exhortatur Plato, (At ſi quis in curando corpore illam imitetur naturam, quam altricem vniuerſi vocauimus, ita vt nunquã torpere permittat, ſed moueat ſemper iugiq; agitatione internis externisq; motibus ſecundum naturam vbiq; reſiſtat, & moderata quadam commotione aberrantes paſsiones corporis parteſquè cognationis ratione ſeruata viciſsim in ordinem redigat ac exornet, ſecundùm illum ſuperiorem ſermonem quem de vniuerſo habuimus, nequaquã ſinet inimicum inimico admotum pręlia in corpore morboſq: ciere: ſed efficiet potius, vt amicum adhærens amico, ſanitatem corporis tueatur. Omnium vero motuum optimus ille eſt, qui in ſemet ex ſe ipſo fit, nam & mentis & totius corporis motioni cognatiſsimus eſt: qui ab alio fit deterior: deterrimus autem motus, quando iacens & quietem agens corpus ab alijs mouetur ſecundum partes. Quapropter purgationum cõſtitutionumquè omnium corporis, quæ gymnaſtica exercitatione

fit, saluberrima est: proximè accedit ad hanc vectio facilis, siue naui, siue quouis alio vehiculo peragatur. Tertia commotionis species tunc demum cum summa cogit necessitas vtilis, aliter verò nullo modo sanæ mentis homini suscipienda. Medicorum illa purgatio est, quæ pharmacis idest solutiuis medelis fieri solet. Morbi enim nisi periculosissimi, pharmacis irritandi non sunt.) Hanc Platonis sententiam ideò retuli iusto prolixiorem, vt eliminandam plurimorum hæresim in medium adducerem, qui nusquam loci, nec vnquam temporis, satis ex officio medici sese egisse putant, nisi miseros quoscunq; laborantes, & leuissima quacunq; de causa conquestos, pharmacis cruciarint, torserint, ac in finitis penè tormentis confoderint quum aliôqui præter Platonis monimentum, Celsus in re medicinali haud contemnendus, lib. 5. c. 1. irritanda corpora haud quaquàm consuluerit, nisi grandis periculi immineat negocium. Quorum vestigia Gal. coniunctissimè æmulatus. 3. Aphoris. 15. expurgationem longo interuallo temporis, atque valde indigentibus duntaxat expedire, decreuit: quód paruis & non multi momenti ægritudinibus, atq; corporis ab inculpata sanitate discessibus nequaquam effatu dignis, inediam, cibi parci-
4. Methi.
tatem alijs, alijs aluum moderatiùs solutam, balneum frequentius, quibusdam alijs solam exercitationem, vel multam frictionem satisfacere facilè crediderit. Sed ad institutum reuersi. Id equidem principio præstare studiosè enitebamur, quandò sanguinis missione nobis vtendum sit, & in quibusnam

busnam affectionibus ac quot: quod hercule præstabimus, si prius hypothesium loco cum Gal. hoc aliud exceperimus, dicendis modò perquam necessarium. Nempe sanguinem corporis humani materiam existere, & ex eo seminarium assiduæ eius nutritionis & vitæ cursus suppeditari. per sanguinem vtiq;, non quartum illum humorem ab alijs tribus seiunctum intelligent solùm, sed eum quem vtriusque bilis participem & pituitę, ex quo formari fœtum, primo libro de natura humana comm. 28. autor est. Quin & sanguis qui quatuor humores complexus est, secundo de elementis, alimentum impertire hominum corporibus demonstratur. cũ etenim tot constent membris corpora, tamque diuersa natura dotatis, credere haud quaquam est dignum, vnico & simplicissimo nutrimento ea foueri. Varias porrò in sanguinis minutionibus exire intuemur eius species & colores: vt tam discordibus & discoloribus imaginibus inspectis, nemo sit, qui non libenter affirmet corpora mortalium ex quadruplici illa humorum substantia nutriri orta, & ortum quoq; duxisse. Hanc rursum multiiugam sanguinis formam morborum diuersæ species contestantur, temporum quadripartita illa discursio, nationum atquè ciuitatum distinctum cęlum: in quibus varijs, & mutationem aliquampiam passis, modò biliosiorem conspicimus sanguinem, modò pituitosiorem, atquè aliàs alium, qua Metamorphosi nullum esse potest vrgentius argumentum ad probandam propositam nobis hypotesim. Vndè licet Auerrous probabilem defenderit opi-

2. collectio. cap. 1. solum sanguinem alere tuetur.

nionem & assertionibus Arist. satis consonam, vt illis donat spontè Galenus: non caret tamen reprehensione sua illa in mordendo effrenis impudentia, qui perinde atq; si Hippocrates omni destitutus esset fundamento, irreuerenter admodum cõuellit & vellicat ponentes in vtero quatuor humores bilemq; & atram bilem nostræ substantiæ, reparationis elementa. Sed de his alibi acommodatius. Ab hoc (inquam) sanguine, quem nostræ natiuitatis & vitę seruandæ statuimus perpetuam originem, fouetur calor nobis insitus, & pabulum mendîcat alioquin periturus. Quam ob rem eo variato permutetur ipse necesse est; ac quum ille multis modis à sua deciscat moderata natura, consequio quodam, calor ipse ab illo pendens necessario, cõmutabitur multifariàm. Sed neq; solius sanguinis causa prædictas mutationes suscipere solet nobis insitus calor, verum etiam nudarum qualitatum accessione: quippe vt scriptum est 3. lib. de temperamentis, animas calidius bifariam efficitur, aut caloris qualitate intensa, aut substantia eius adaucta, quod libro de causis morborum confirmauit. Hãc deinceps mutationem aliter atquè conuenit, factam, quinque causæ potissimum inferunt, motus videlicet tam corporis quam animi: putredo, vt de fimo columbino putredinis ratione incenso historiam Galenus scripsit: tertia, exterius admotorum fotus, cuiusmodi est balnearum, emplastorũ, solis & similium: quarta, viarum constrictio, per quas halitus corporis calidi expirare consueuerũt, quibus vice versa cohibitis, & impeditis corpus in-

cen-

cenditur:quinta,cibi, & potus calidiorum vſus crebber,cuius generis allia & cæpe,cōſiſtunt.Frigiditatem, contrarie cauſæ omnino accerſunt, excepta putredine:& quæ ſi ſemel concepta calorem exſuſcitat atq; accēdit, non protinus illi oppoſita generatio aut putredinis omnimoda expulſio, frigiditatem ſubiecto corpori adſcribet. Hæ ſunt vtiq; quæ nos calidiores reddunt cauſæ, modò cum qualitatis ſola intenſione,modo verò additione facta humoris:eaq; eſt caloris innati conſuetudo, vti parte vna calfacta, mox totum corpus caleſcat intercedente corde. Aliter nequit vniuerſa corporis moles calore alicundè profecto permutari,vt hoc loco manifeſtè Galenus illud opinatur, atq; libello de maraſmo propè principium ſic habet. (Hinc liquidò apertum eſt, quòd ſi corporis totius paſsio ſit, affici animal ſine principis membri paſsione nequeat,ſicut neq; affectus quiſquam alius, membro principe aliter affecto,fieri in toto poteſt, propterea tabidis ſiccari cor oportet.) Quòd ſi in tabidis cor ſimul affici cōcluſit, ad totius corporis tabem conuincendam, in alijs ſimiliter per totum corpus expanſis affectibus & paſsionibus, lex eadem atq; conditio extat accipienda.Nec ſolius caloris, autore Galeno, exiſtimari debet peculiare quod nunc aſſeruimus,verum de quibuſuis alijs paſsionibus et frigidis,dictum putandum eſt:tertio namq; de ſimplicibus medicamentis c. 17. frigida deleteria non valere animal vllum interimere, ni cor prius refrigerio contaminaſſent, decreuit atque demonſtrationibus & experimentis conuincit. Hinc par eſt

Nulla corporis affectio communis eſſe poteſt, illæſo corde.

conijcere, vt penes primę clasſis cunctos medicos facilè reperimus ſcriptum, cor primum eſſe febris ſubiectum:rationemq; hanc omnes,nemine excepto,connectunt. Quum enim cor caloris exiſtat ſeminarium, illumq; in totum diſtribuat corpus, arteriarum iugi perenniq; motione pulſus, ſi quando contigerit eundem calorem à ſuo naturali ſtatu declinaſſe,aliamq; ſortiri nouam conditionem, illam toti è veſtigio communicabit: Cæteræ verò particulæ,quum nec motu fruantur vllo, qui ſe in totum corpus diſpergat, nec inſtrumento propriȩ alterationis gerulo, fit meritò, vti propriam affectionem, vniuerſo corpori communem nequeant efficere. Negandum eſt igitur iecur calidius ȩquo redditum,poſſe totum corpus febrile facere, ob eā quam modò inſinuauimus demonſtrationem,Galeni teſtimoniis corroboratam. Poſtremo quum ſanguinis miſsionis negocium erga ſanguinem vt dictum eſt, acceptum, verſetur, haud immeritò tradita eſt eiuſdem in gubernando corpore neceſsitas:quod neq; illum deficere,neq; nimium redundare conueniat, ſi corpus proba fungi debeat ſanitate.Subireq; debet medicorum omnium mentes,in cunctis aggrediendis remediis medicinalibus ſubaudienda præceptio, (ne quid nimis) ſed in detrahendo ſanguine potiſsimum: propterea quòd vitæ theſaurus ſit, non temerè nec ſine maxima cauſa fundendus. Ac vt nihil prȩtermiſſum eſſe videatur, de ſanguine quædam ſunt vlterius addenda. Sanguis aut in toto corpore redundat & peccat,aut in parte aliqua:ſi in toto peccans

redundarit, communem parit affectum sicuti febrem, si verò in aliquam partem decubuerit, diuersam creabit affectionem pro diuersa eius natura. Siquidem sanguis effusus phlegmonem seu inflãmationem producit, quandiu eam retinet appellationem: si verò biliosus, erysipelata: si pituitosus aquosus, ędema: si crassus à pituita, scirrhum: à melancholia verò cancros. Sed de tumorum generatione, non est opus nunc sermonem aliò properantem distinere: quandoquidem libro decimo tertio meth. & secundo de differentiis febrium, & libello his dicato de tumoribus, ostensum est abundè, eos generari potentioribus particulis pellentibus superflua recrementa, imbecillioribus verò suscipientibus.

Caput sextum.



Hoc igitur deinceps orationis sit exordium. Quibus vtiq; dum consueta adhuc obeunt munia, aut pars aliqua princeps, aut vniuersum corpus grauatur vel tenditur, his quidem necessaria est vacuatio. Si verò ætate nec pueri adhuc fuerint, nec senes, de sanguinis missione consilium inito, primos hosce maximè scopos intuens, nempe plenitudinis tùm quantitatem tùm qualitatem, & virium robur aut imbecillitatem, deinde naturalem vniuersi corporis habitum, tempusq, & regionem, victumque præcedentem, nùm scili-

ſcilicet qui ſic affectus eſt plurimis cibis & potionibus & præſertim multum nutrientibus, vſus ſit. Ad hæc conſueta & inconſueta, quos motus exercuerit, quaſque excretiones habuerit, aut præter cõſuetudinem retentæ ſint, ad omnia hæc num gracilior aut craſſior euaſerit. Cæterum vtriuſq; plenitudinis quantitas è propriorum ſignorum magnitudine definietur: quantò enim grauior ſibi homo videtur eſſe, tantum etiam plenitudinem ad vires auctam eſſe, manifeſtum eſt. Ad eundem modum quantum tenſionis ſenſus augetur, tantum etiam altera plenitudo, quàm à nonnullis ex infuſione vocari dixi, aucta erit. Verum vtriuſquè plenitudinis qualitatem partim è colore dignoſces, memor colorem humorum eſſe ſi quidem vniuerſum corpus in calore, & frigore externo mediocriter ſe habeat, partim ex his quæ humorum naturæ inſunt. Frigidiores namq; frigidior totius corporis ſenſus ſequitur, calidiores autem calidior: & eos quidem qui in venis coaceruantur humores, tumor, & tenſio vaſorum: qui verò in carne ſunt, eos ſenſus aut grauitatis aut tenſionis, ſicuti etiam caloris in illa comitatur. Porrò gubernantium nos facultatum imbecillitatem & robur proprijs iudicari functionibus monſtratum eſt, voluntarijs quidem ea quæ in neruis, & horum principio cerebro eſt facultas: ijs verò quæ per pulſus fiunt, ea quæ in arterijs, & corde. Verum per bonam & prorſus abolitam nutritionem, tùm colorem bonum & vitioſum, tertia facultas, nutrix nimirum, quam ex iecore proficiſci demoſtraui, dignotionem ſortita eſt. Vbi igitur præſentibus plenitudinis ſignis facultates robuſtæ fuerint, ſangui-

nem

nem mittes videlicet in affectu tẽsionis nulla adhibita distinctione, magisq; etiam in phlegmonoso. Si verò degrauans plenitudo infestat, non semper sanguis detrahendus est: fieri enim potest vt crudus per corpus sit coaceruatus humor. In quo exquisitè attendere oportet quantum valeat virtus & quantum ipsius humoris sit genitum: quippe prius exoluta ab eiusmodi affectibus virtus, per sanguinis missionem in extremum malum recidere solet, vt nequaquam ipsa postea reparari queat. Quòd si factum fuerit, periculum haud leue sequitur, præsertim si æstiua constitutione, stomacho malè habente, febris accesserit, aut vniuerso corpore natura molli & temperamento humido existenti: hi enim promptè discutiuntur, celerrimèq; in animi deliquium incidunt, etiamsi magna febris haud accedit. Si vero horum nihil fuerit, cæterum hyems, vel regio natura frigida sit, aut hominis natura frigidior, ijs per sanguinis missionem, & accidunt nonnulla, quæ ad vehementem refrigerationem sequuntur symptomata. Qui sic affecti sunt, hos sanguinis missione non conuenit euacuare, sed frictionibus, & mediocriter calefacientibus vnctionibus, potionibusque crassitudinem humorum incidentibus ac mediocriter calefacientibus. Quæ enim valenter calfaciunt, confertim admodum vires deijciunt, vt curationi haud sufficiant. Sæpe etiam febrem auxerunt; vt & inde vires noxam contraxerint: quapropter tùm ciborum, tùm potionum humorum crassitudinem incidentium calefaciendi facultas mediocris esto.

Com-

Commentarius.



ISCE comprobatis conclusionibus quas ob id hypotheses seu suppositiones vocant quòd alibi sint persuasę, hîc verò prętermittantur, & ad eam quæstionem veniamus quę de affectibus sanguinis missione reparãdis, disceptat. Dũ ergo aut in toto corpore, aut saltem in parte principe plenitudo consistit quæ ad vasa quidem, quæ tensione potissimũ dignoscitur, siue quæ ad vires, quæ grauitate, cõ festim & per quam cito eam deponere per venæ sectionem properandum est. Sic enim Græca continet oratiô. διὰ ταχέως, capite præcedente. Haud temerè adiectum esse putandũ est, (plenitudinem totius aut partis principis.) nimirum si ignobilem aliquam particulam & non magni momenti: incesserit, non eget affectio magnis præsidiis: sed tunc maximè, quum arces primas ac munimenta præcipua corporis humani occupare cœperit. Qua in re vellem paululum immorari, quò non parum frugis studiosis medicinæ sit accessurum, si rectè intelligatur quid per partẽ præcipuã voluerimus. Sexto de vsu partiũ, membrorum principatum tripliciter esse considerandũ definiuit Galenus: aut enim vitæ ipsius intuitu hoc nomine particula quæque debet nominari, ac tunc eas dicemus præcipuas citra quarum facultatum

im-

immissas & demandatas auxiliares copias viriū, humana vita seruari indemnis nequit. quo pacto, cor, hepar, cerebrum tales dicentur. Aut vitę commodioris, eruntquè hac de causa præcipuę omnes illę non quidem quæ ad vitę permansionem sunt necessariæ, sed quæ ad meliùs viuendum agūt, cuiusmodi esse dicemus partes cordis, hepatis, cerebri, quæ facultatum præstantissimarum officinas ornant atq; cōmuniunt, vt cōmodiùs suas exerant functiones & demandata munia. Aut tertia ratione, quoniam priores has duas cōseruent ac protegant, ac quantum in ipsis est, vitæ perpetuitatem polliceantur, iniurijs primæ obuiam exeuntes, & pugnæ primos ac vehementissimos periclitantes conflictus accipientes. Quæ vitam conferunt sine dubitatione sunt principes, reliqua duo genera eatenus pluris æstimāda sunt, quatenus illis principes magis compatiuntur læsis, aut minus: & inter eas quæ ad tutelam & salutem aliarum deseruiunt, digniores sunt iudicandæ quæ vitam sustinentes protegunt & tutantur quàm quæ, vitam commodiorem prestant. Inde colligendum est plerosquè morbos & affectiones morborum prænūcias, Medicis perspectissimis horrorem & metū mortis incutere iure suo: non quidem quòd præstantissimas infestent particulas, id enim foret cunctis perspicuum, sed quòd eas occupauerint, quæ ad custodiā principum sunt destinatę, & sine quarum ministerio, illæ succūberent, & vita ipsa ab ipsis primùm dependens. Hac de causa, in anginis, in obstructionibus magnarum arteriarum, ita propēse occurrimus

mus

mus & ad deferendas ſuppetias imus præcipites, quamuis non ſine mineruæ conſilio, vt parem nobis offerant periculi magnitudinem, cum his quæ omnium primas partes vexãt affectionibus: ſiquidem prædicta mala, eam impediunt actionem quę in primis ſeruandæ vitæ eſt neceſſaria, reſpirationẽ ſcilicet. Eiuſdem cenſus & periculi diaphragmatis exiſtit opus: vt pote quod inſtrumentum credatur potiſſimum reſpirationis, cætera illi ceu primo, famulentur ac ſeruiant. In eandem ſententiam iuit Galenus libro ſeptimo de morbis curandis, dum morbi magnitudinẽ commendauit, aut quia præcellentem partem fatigat, & quæ corpus ipſum gubernat, vt ſunt tres primę: aut quia præſtantem offendat actionem, qualis reſpiratio eſt: aut propriæ eſſentiæ intenſione: & quam hoc locò magnitudinem, propter præſtã, tem actionem vocauit, quarto de morbis curandis cacoethiam ſeu malignum morem conuertit, vt intelligatur planè tertium genus magnitudinis morbi tunc inſediſſe corpori, quum eæ partes afficiuntur quę operationem vitæ principibus valde neceſſariam exercent, & quarum lęſio, promptiſſimè partium aliquam ex principibus in compaſſionem deducit. Ob id ſanè articulorum, & neruorum læſiones exiſtimantur magnum conſtituere morbum quarto de morbis curandis, quòd vigilias, deliria, ſpaſmos inducant, atque eadem de cauſa oris ventriculi paſſiones, & reſpirationis inſtrumentorum læſiones, de genere malignarum reputantur, ꝙ præſtantẽ obledant actionem, & principes in compaſſionem cito, inducant, ac trahant.

Non igitur oſcitanter audiri præceptũ debet, quo totius corporis,& partis principis plenitudinem ci tiſsimè iubemur proſcindere, ante quàm grauiſſimos morbos ſugg rat:ſed maxima cura proſpiciẽdæ corporum ſunt quærimoniæ ob laſſitudines; & plenitudinum ad vires & vaſa inditia diligenter ad modum conſiderãda, vt hinc & inde omnium facto examine,maturè conſulamus ruinam minanti bus corporibus,& delapſis iam in morbos, tempeſtiuam adhibeamus curationem.Hac profectò poſt habita rerum prouidentia, aſſiduè videas athletarum corpora, improuiſa nece perimi, apoplexijs præueniri, atque aliis ſubitis vitæ periculis deprehendi miſerrimè.Sed dices,non ſunt mores hominum adeò perditi noſtra tempeſtate, vt vitam degant athleticã, & qui poſt ſaginatam cutem,quinquertiis ſeu pentathlis ſe dedere velint alacres;donemus profectò neminem eſſe adeò impium, & à chriſtiana religione tam immanibus moribus atq; aſſeris ſeparatum, vt eò tãtam curam corporis impinguationi impendat, quò ſatur, optimus valeat eſſe pugil,& celebratiſsimus pancratiaſtes: hi nẽpè ritus, aliam ſapiunt hæreſim, aliaſque leges ab his quas ſeruator noſter pariter ac optimus maximuſque Deus nobis indixit, dictãs quidem vt potens, conſulens verò vt maximè miſericors & autor beneficientiſsimus. Verum eſſe plurimos hominum ſolito ſpecioſiores ac pleniores, vt Celſi more loquar aut habitum athletarum referentes, vt Hippo. qui inerti vita,ocio tum corporis tum animi,de licatiſsimis epulis, omni fugato tædio, neglectis 1.apho.3.
cun-

cunctis solicitudinibus, tam grauem sibi corporis molem comparauerint, & molestam satis sarcinã, vt prę onere presi, illi leuando incumbant solùm, atque eius cupidinibus indulgẽdo, animam (quod dicitur) prosale habentes nemo hercule ignorat. Hi vtique ad extremum peruenietes vitæ periculum, tantum abest vt ea dexteritate præcaueantur quã hîc Galenus præcepit, δια' ταχέως, id est quàm celeriter, voce vtens, & Hippo. 1. Apho. Apho. 3. vt potius tãta mole carnium oppressi dormitent, & stupore quodã attoniti vitã trãsigãt, nihil Animi dotũ, & bonorũ, nihil ẽt corporis laborũ & malorũ porcorũ more cõsiderãtes. Sed ad institutũ reuertamur In vtraq; itaq; plenitudine quomodo diximꝰ definita, sanguinis missione vacuandum est corpus, si animus est grauissimos morborum partus, procul deuitare: de quorum dignotione à nobis paulo superius disputatum est, & à Gal. lib. 3. & 4. de sanit. tuen. ac seorsum lib. de plenitudine, in quibus etiam locis curationis methodus tradita est, quæ docuit anteuertẽdas esse curationis præceptiones in futuris malis, quibus, in ipsis pręsentibus vti præcipimur. Sequenti orationis progressu disquiretur an vsque quaque in vtraquè plenitudinis specie sit sanguis mittendus, nunc ostendatur, quibus legibus obstricti, plenitudinem apparentem, sanguinis extractionem ceu debitum remedium, sibi vendicare consentiemus. neque enim satis est, rem poscentem remedium adesse, nisi reliqua consentire videantur. Ex duobus itaque constituitur auxilij tempus, ex re nimirum postulante, & non prohibente:

Libro de optima secta.

bente: prius, causarũ genus indicat à quibus quid faciendum sit præsidij demonstratur libro de optima secta: secundum verò virium ægri conditionẽ, in quibus expendendis omnibus varia atquè varia sunt cõsiderãda, sed potissimùm illa quæ versiculis duobus collegerunt iuniores, decẽ numero. Ars, ætas, regio, virtus, complexio, forma. Mos, & symptoma, tempus, repletio, victus. Hæc sunt pensanda medico purgare volenti: Quæ præterquam ꝙ virium quantitatem, & robur coindicant, affectuũ id genus auxilij expetentium, vrgentiam maiorẽ aut minorem subindicant, etiam atque declarãt, propterea quòd eorundem præseferant maiorem aut minorem magnitudinem, consequij etiam ratione, patrocinantium præsidiorum mensurã aliàs esse obseruandam, ex eorundem calculo dum medemur elicimus. Contemplemur igitur illorum decem singula, vt euidentius pateat de remediorum quantitate dimetienda iudicium, & de eorundem vsus licentia. In primis attendenda est plenitudinis quantitas & qualitas, quantitas quidẽ propriorũ indiciorũ spectat auctam magnitudinem: sicut enim morbus quilibet ex pathognomicis signis agnoscitur, & eius magnitudo, ex illis eisdẽ magnitudine adauctis, sic & plenitudinis quantitas, tensione, & grauitate immoderatè crescentibus. Qualitas hoc est idea seu plenitudinis differentia, ex colore primum cognosci debet: quæ quum in quaternariũ numerũ secetur, biliosam, sanguineã, pituitosã, melancholicam, harũ quælibet ex correspondente colore extat quærenda, biliosa nempè ex pallido

colore, pituitosa ex albo liuidoquè, sanguinea ex rubro, postrema omnium melancholica ex nigro, aut subnigro colore. Similis porrò color efflorescit humoribus, nisi in altū corporis abierint: atque ob id ea nota quæ ex colore petitur, moderatum corpus, pacatèque vitam agens præexigit, si verum ex coloribus futurum est iudicium. Idcirco verecundantibus rubor, timentibus verò pallor accidēs, cognitionē hanc obscurat, atq; frustratur. Ex coniunctis humorum naturæ accidentibus venamur quoquè succorum discrepantes differentias, dicente Hipp. vbi calor ibi morbus. Ex tumore venarum, tensione, grauitate, atq; consimilibus, quēadmodū diximus, iuuāda est etiā dignotio, vt omniquaq; perspectis sensibilibus, & in causas suas rælatis, integra perfectaq;, quantū datur arti, exurgat vitiorū noticia. Ita habet Galenus, sibiq; ipsi aduersari videtur apertè. Qui etenim plenitudini, quæ ad vires naturales nullam peculiarem notam attribuit. modo verò nutritoriam facultatem coarguit ex colore vitioso & reliquis, ad metam redargutionis venisse iudicandus est. Cæterum perspecta diligentius eius mente, facilè respondebimus plenitudinis ad vires non dari certam notam, neq; propriam & à proprijs functionibus acceptam: secus habet si coniecturalem quæras & vtcunq; altricis facultatis manifestantem vitium. Quanquàm enim illius partis ostendat vitium color permutatus, & virtutis ibidem hærentis imbecillitatem, nō dum tamen liquet de principe nutritionis origine, quemadmodum si pulsus inæquabilitatem (vt dictum

4. de sanitate tuenda.
5. Aph. 2.

dictum est) attenderemus, quam ob cognationem facultatum, à vitali mutamur. Secundus scopus ætas sequitur: quam prisci contemplantes, & quia à puerili corpore perpetuus ac maior, quàm in alijs ętatibus fit defluxus, videntur sæpius à sanguinis missione eam coercêre, quòd illi sagax natura insæuerit, sufficientem superfluitatum redundantium vacuationem. Hos sequuti iuniorum pleriq; cane peius & angue reformidant, ante quatuordecim annos pueris venas scalpello scindere. at non proinde purgationes deuitant, sed eas bis terq; malo durante ac inueterato, propinare ob ætatis teneritudinem non timent. Securius rati pharmacum exhibere purgatoriũ imbecillimis, quàm eosdem sanguinis detractione paululum iuuare Verùm antiquissimorum sententias de hac re penitius atq; religiosius obseruantibus nobis, visum est semper, aliter eas esse interpraetandas, atq; abs neotericis declarari consueuerunt. Ac vt rem ipsam à principio seu fundamento ipso exordiamur, in ea re conuenire nos omnes oportet, quæ à Galeno centies repetita est, sed præcipuè libello de optima secta. Nempè, genus auxilij à causa ipsa demonstrari solùm, ab eaq; ostendi quid facere conueniat & quid non: morbum verò ac reliqua, quæ in ipsius medicatione considerantur, nihil amplius edocere, quàm generalem quendam scopum, vulgaribus etiam notissimum. Morbus etenim genere suo duntaxat indicat ablationem, calidus nimirum auferendam caliditatem, frigidus, frigiditatẽ demendam, obstructio, cannalium apertionem:

Secandam esse venam pueris monstratur.

vlcera: replendas cauitates, & cutem obducendam ei quæ præerat perquàm similem: quæ quidem ignarissimis hominibus ex se ipsis innotescunt, neque egent artifice. Artis verò dignissima præcepta & indicationes haud quaquam post habendæ diligentissimis indagatoribus; sed præterquàm, quòd vtilia esse debent, latere quoq; debent ineptam vulgi opinionem. Quare, non tantum interest scire, quid demum in genere sit faciendum, quantum, quiduè faciendum sit ad illius assecutionem, & quibus auxiliis vti sit necessum. Non (inquit) ἀπὸ τῶν ἀποτελεσμάτων, ἀλλὰ ἀπὸ τε λούντων. i. non ab effectis ipsis, sed ab his, quæ faciunt causis sumenda est artifici faciendorum indicatio. Quarto acutorum com. 107. ex professo taxans eos qui æstiualem horam exigebant ad sanguinis missionem, hanc nexuit deaurandam orationem. τοῦ μὲ γὰρ πλεῖον ἢ ἔλαττον ἀφελεῖν, ἄλλα τε τινὰ εἴρηται ἂν ὥσπερ καὶ ἡ ὥρα σκοπός, αὐτοῦ δὲ τοῦ βοηθήματος ἡ τοῦ πάθους φύσις. i. quòd plus minusuè detrahatur sanguinis alij quidam dici potuerunt scopi quemadmodum & hora: ipsius vero auxilii generis, passionis natura, subaudi, est scopus. Auxilij igitur genus à causa morbi demonstratur, cætera aut consentientium, aut præsidij quantitatem metientium gerunt vicem: quanquàm enim affectio sanguinea sectionem venæ postulet, & excedentem sanguinem demere, nihilominus tamen, si vires non consentiunt, prohibetur ea vacuatio, & si æstus sit eximius, aut regio immoderatius aut frigida, aut calida, ætas aut nimium prouecta, aut suæ natiuitati

Lib. de optima secta preceptũ sit verũ vtile vulgo ignotum.

pro-

propinqua, paulo minus est vacuandum sanguinis, cauendæque sunt protinus vacuationes integræ & quæ totum simul educunt humorem. Sic sanè dictum est libro de sectis. (Meridionales & septentrionales non ferunt sanguinis missionẽ qua totum simul educitur:) primo etiam ad Glauconem, vbi decurrente orationis excursu probauit plura symptomata in morbis euenientia impedire aut in totum aut ex parte phlebotomiam, narrat obiter multa alia, quæ id similiter efficiunt, vt sunt ætas, regio. habitus, tempus, subiungitque tandem. (Hæc omnia prohibent integram vacuationem.) Quis, aliquem aut empiricum, aut ratione vsum inuenit vnquam, qui, pleuritide aut angina, aut apoplexia laborantibus tempore caniculæ calidissimo, desierit venas aperire ac fundere sanguinem? Galenus vt ex lib. de sectis adduximus, meridionales quales sunt ægiptii, & septentrionales, quales scythæ, arcuit duntaxat, ab ea vacuatione quę totum simul educit: non vetuit mediocrem, aut repetitam, quibus ipse, dũ vires haud nimis constant, vti millies reperitur. In eodem numero haberi debent, tempus calidum & regio feruens: quid si regio malè temperata magnas solùm inhibet sanguinis detractiones, id idem, tempore caniculæ, nec amplius faciendum imperauit. Ad hæc paulo posterius, sanguinis mittendi duos scopos & maximè proprios designabit, magnitudinem morbi, scilicet, & virium robur, residuos metientes quantitatem nominabit: ad solos ergo illos respicies in adhibenda præsidii specie, ad alios

vero in mensuranda quantitate. Præsertim quùm eodem autore, magis expediat habitus firmitatẽ, & venæ magnitudinẽ ac repletionem perspicere, quàm annorum numerum, quę decidua satis & fallacissima est contemplatio, ob eam, quæ in pręscribendis ætatum termini s existit i ncertitudo, & in ipsis temperamentis varietas. Duo subinde notauit Galenus quæ coniecturalem efficiunt hanc (de qua loquimur) vacuationem: hęc sunt corporis tẽperamentum, & ambientis, natura corporis calida & humida qualis est puerorum, ideo minus detrahimus quàm plenitudo commoneat, propter ætatem quidem in pueris, pro corporis habitu, in his quibus mollis, alia ratione in contrariis largã sanguinis vacuationem vitamus. Quibus omnibus dictis, largas seu magnas, seu integras vacuationes docemur effugere, in depictis naturis, seu contrariis, cap. 14. sequente. Nono etiam meth. ad calcem commemorata ætatis puerilis spontanea effluxione, aut non esse vacuandos pueros aut parũ collegit, sicut & ob tempus & regionem calidam siccamque fieri debere arbitratur. Iam vero si de ea de causa Medicorum cœtus in pueris venæ sectionem omittendam censuerunt, quoniam gemi nam habeant & ex seipsis natam vacuationem: vbi morbus acutior est, quàm tempus illud innatæ vacuationis prærequirit, non patietur medicus interim ægrotantis periculum, sed pręueniet vacuationẽ, timens ne cunctabunda natura suisq; gradibus procedens, prius morte restinguatur, quam saburram è corpore valeat extrudere. Suffragatur nobis

Cel-

Celsus circunspectissimus aliôqui vir, qui lib.2.ca. 10. sic habet. Antiqui primã & vltimam ętatem à sanguinis missione arcebant, similiter & grauidas: sed vsus posterior ostendit alias potiores obseruationes custodiendas fore. Non enim quæ ætas, aut quid in vtero geratur, attendere conuenit, sed quę vires. Vnde si imbecillus iuuenis & nõ grauida mulier parum valeat, malè sanguis emittitur: at firmus puer, robustus senex, & grauida mulier valens, tuto curantur. Corroborat hanc sententiã Oribasius, qui præstantissima sua autoritate eam gloriam, & laudem sibi vendicauit, vt publico titulo & dignissimo, ἄξιος εὐσεβίας θεῖος ὀριβάσιος· id est dignus reuerentia diuinus Orbasius. promeruerit insigniri & dicier hic est: is porrò lib. compendij ad Eustachium filium quæ sequuntur scripsit. Plena (inquit) est contemplatio phlebotomiæ, magnitudo morbi & virium robur. Quod si his duobus clausam de phlebotomia speculationem voluit, ætas licet quantitatem moderetur, non omninọ hanc vacuationem cohibebit. Auicenna arabũ sine dubitatione primus, tametsi cum reliquis hæmophobus .i. erga detrahendum sanguinem timidus dicatur, eo loco vbi ex instituto propositã expositionem ènodat, sic habet, primi quarti. ca. 20. (cauere debes à minutione in ætate quæ est minor quatuordecim annis quantum plus poteris, & in ætate senum quantum plus poteris, nisi in figura cõfisus fueris, & soliditate musculorum, venarum amplitudine & earum repletione, oculorum rubedine: hos nanq; ex adolescentibus & senibus phle- *Paul. lib. 6. cap. 20.*

botomare debes.) Secutus (vt reor) paulum, qui non simpliciter in effatis ætatibus sanguinis emissionem fieri interdixit, sed adiecit prudentissimè, (nisi irrecusabilis cogat necessitas): vt palam ostenderetur magna cum præmeditatione fore exercendam vacuationem, in illis, quos aut ætas ipsa longo decursu exhausit vt senes, aut quos nimia teneritudine & mollitie, per halitum insensilẽ paulatim exoluit, vt pueros. Rasius etiam vigessimo continentis, pluries affirmauit in ætate quæ est ante. 12. annos non fore admittendam aut non sustineri minutionem sanguinis: verum postea mentẽ aperiens subdit (sed si est virtuosus & morbus exigit, extractio sanguinis fiat: vnde secundum virtutem sequendum est in ea, non secundum ætatem.) Et alibi addit, (paulatim adolescentes secundum ordinem ad phlebotomiã prouehere debes cum pauca minutione.) Postremò, Auerrous sicut cæteri barbari, in sanguine mittendo lepore timidior, quamuis regionem coloret feruentem, summis laudibus extulit zoarem, quod trimatum agentem puerum phlebotomauerit: quos nos secuti, anno 1552. quinquies venæ ruptura decennem puerum vacuauimus, duricorium sanè, verũ gracilis habitus. Ac vt summam toti quæstioni accumulemus autoritatem. Hippo. vsq; quaque medicis admirandus, 4. acuto. comment. 25. ætatem, quantitatẽ definire, non remedij genus euidenter decreuit dũ ita inquit. (Oportet sanguinem detrahere, ex habitu & ætate plus minusuè coniectans.) Quid igitur causæ est, cur tam anxiè, tamq; repetito

Septimo coll. c. 3.

tito

tito sermone maiores cauerint, venæ sectionem in pueris? Eandem medius fidius putare oportet, quam in senibus, grauidis, regione calida, tempore calido, insuetis, causantes non rarò aut sanguinem non emisserunt, aut quàm parcissimè: nimirum quòd in hisce omnibus, minus virium inesse soleat, ac proinde promptius parum instructi medici in illorum curatione falli queant. Constat autē vel semidoctis, à virtute non indicari remedium, sed solam victus administrationem: quam obrem neq; ætas neq; aliud quidquā quod suspectū viriū robur reddit, debet omnino sanguinis missionem explodere, sed aut moderari copiam, aut si omninò languidas vires effecerit, non iam sua gratia, sed non consentientis facultatis ratione cessamus ab auxilio vacuationis. De qua re nemo dubitaret. 9. meth.

Tertius scopus & quartus, regio & tēpus existunt, aut si mauis breuius eos complecti, sit tertius qui quartum inuoluat, aëris ambientis temperamentum, quod deinde regionem & tempus constituit, vario modo permutatum ac varijs in locis. Multū refert sanè sub quo cœlo degat ægrotus, ad curationem debitè disponēdam: locus sanè ipse seu aër sua impensa frigiditate, aut caliditate, aut morbis aduersatur contrarietate, aut contra symbolo fert opem. Quocirca morbi creditur maior futura vehementia quum cognationem gerit cum ambiente aëre: ac rursum distēperantias aëris immodicas pertimescimus nè virtutē atq; eius medium temperamentū depopulētur, & simul cum morbo corrumpant. Hinc fit, vt facta causarum externarum

quas

quas fermè omnes sub aëre compræhēdimus, examinatione, aliquid condonandum esse illis arbitremur: ita quidem, vt minus demamus auxilijs vacuatorijs, quàm morbus efflagitare videatur, propterea quòd aliundè, hoc est, ab aëre nonnihil minuatur plenitudo. Hac de causa, 1. ad Glauconem, multos esse perductos in mortē cōqueritur, quòd sine hac consideratione ambientis, sanguinem eduxissent: nō quidē, quòd simpliciter sanguinem extraxissent, ob ea quæ dicta sunt de ętate, sed quòd copiā humoris non fuissent moderati, aliquid condonantes caliditati dissoluenti æstus feruidioris. Moderatas ergo laudat vacuationes in tēporibus & regionibus distēperatis, integras verò in illis tēperatis admittet solum. Quo sensu capienda est oratio illa Hipp. (impedimentum sanguinis missionis in expuentibus sanguinem, pleuritis, tēpus, bilis.) Quintus scopus, vires sunt, hæ quùm adsunt robustæ, audacius præsidijs vtimur vbi minus vigent, parcius decimo Methodi. hoc etenim seruandum est inuiolandum pręceptū, vt in omni vacuatione vires attendantur, multòq; magis in expurgādo corpore, ob causas quas libello de purgatione trademus. Quibus autem indicijs vires sint dignoscendæ. abundè. 1. Aphoris. 12. declarauimus, sed latissimè in commentarijs quos edidimus de pulsibus: nunc autem satis sit dixisse, ex pulsus vehementia, & magnitudine eas esse noscendas, & si quando morbi sæuitia contigerit, vt omnino delitescat pulsus, quemadmodū. 4. acutorū. 23. cōcessum est, habitus firmitatem & ętatē satis esto non-

6. Epi. parte tertia cō. vltimo.

nun-

nunquam medicis consideraſſe, quod obſeruauit Hippo. ibidem. Sed quantæ vires requirantur ad vacuationem, vel quanta ſit debilitas virium, quæ prorſus illam recuſet, à nemine quem viderim, extat hactenus exploratum: nec mirum quidem quãdoquidem exacta quantitas nec ſcribi, nec dici queat, ſed ſola medici prudentis maneat penſanda exiſtimatione. Ego ſanè ſicut non horreo apoplecticos & ſubito caſu iacentes, quamuis ſine pulſu, dum habitus & ætas arrident, detrahendo ſanguinem ſuſcitare: ſic rurſum, maximè pertimeſco, in illis, aut purgationem propinare, aut ſanguinem educere, quibus pulſus adeſt perpetuò languidus & paruus, aut decurtatus, aut abolitus: quas credo notas veraciſsimas imbecillitatis virium per ſe. Ceteri verò pulſus, qui inæqualitate conſtant inter magnos & paruos, & qui interrupti ſunt in vna pulſatione, quos vulgus vocat intercedentes, grauatam oſtendunt facultatem præſidijs medicis ſubleuandam. Sextus ſcopus habitus eſt corporis. Haud ſpernenda videtur habitus corporis conſideratiò, vt quæ non parum agat ad menſuram auxilij præfigendam: rarorum quippe pororum homines, quiquè ex ſe ipſis aliquantulum inaniuntur, haudquaquam ſuſtinebunt plenam vacuationem, & quantam morbus indicaſſe iudicatur, vt de ætate dictum eſt. Contraria ratione, qui compactam gerunt cutem, carnes etiam ſolidiores, erunt mehercule pertractandi: huc pertinet graciliũ & craſſorum corporum meditatio, de quibus lib. de temperamentis 2. carnoſi namq; & pingues anguſtaſque

Sine pulſu ſanguinem aliquãdo demimus.

que venas poſsidentes, ob eamq; rationem paucũ continentes ſanguinem, minus veniunt ſecandi; conſimiliterq; graciles, ſi ſtrictas nacti fuerint venulas: at qui latas ſunt adepti venas, tametſi graciles ſint, lætius atq; incolumius multò id genus remedia experiuntur. Septimus ſcopus victus præcedens eſt. hîc nõ accipitur diĕta latius, pro omni re corpori miniſtranda, quemadmodum aliquando vſum Galen. demonſtrauimus. 1. Aph. 16. ſed preſſius pro eſculentis & poculentis; nam de reliquis quùm de induſtria vitæ dicetur, diſſeretur. Qui itaquè pluribus cibis ſunt aſſueti, & minus ſuſtinent ieiunium, vacuationem ægrius tollerant, quemadmodum primo ad Glaucone dictum eſt, & lib. acutorum: contra verò, qui paucioribus alti ſunt hucuſq;, parcioribuſq; cibis vſi, lubentius pariter ac tollerantius huiuſmodi vaſorum inanitionẽ recipiunt. Sed mox obrepere videtur dubitatio. Si indulgentior vitæ ratio corpora pluribus humoribus replet, ob idq; damnantur paſsim, qui ſine modo Cereri Bachoq; inſeruiunt mola velitant: quid cauſæ eſt, vt repletiora gerentes vaſa, magis excuſandi ſint à vacuante præſidio? præcipuè quũ, omnis ſchola medicorum (teſtante Auicenna) coerceat plenius euacuare eos, qui vitam viuunt laborioſam, & aſsiduis exercitijs impendio exhauſtam. Fuchſius vt Galenum explicet ab hoc labyrintho, de his actum putat guloſis & liberalius comedentibus ac bibentibus, qui ſua intemperantia eò deuenerunt, vt multam congeſſerint crudorũ humorum copiam: quibus non auſus eſt venam

1. ad Gla. c. 13. 1. com. 44.

4. 1. cap. 3.

ſecare

secare quarto de sanitate tuenda, Gale. Sed facilè ostendam illius viri hallucinationem. Primũ quidem accipio duos laborantes, quorum neuter tam praua viuendi ratione fuerit vsus vt crudos collegerit succos: verùm alter pluribus vescatur cibis, alter verò parcioribus. De his percontabor modò, num consuetudo quidquam faciat anteacta, an ei qui assuetus est vacuationi, & parsimonia vsus fuerit, audacius mittendus sanguis sit, an contra ei, qui & plura ingesserit cibaria, & minimè sit consuetus. Certè Galenus priorẽ magis vacuaret & ieiunio, & sanguinis missione vt modò citauimus. Quòd si Galeni disciplinam de consuetudine amplissimam, ad eos solum arctare volueris, qui præ intemperantia, crudis sese referserunt succis: eam quidem vti minus exactam reprobabimus, & citra distinctionem loquentem Galenum. Si ergo de corporibus sermo sit, sanguinis missionem admittentibus, illud proculdubio & inędia & vacuatione vrgebitur magis, quod minoribus cibis fuerit pastum: contraria ratione, si liberalius cibatum extiterit, & largioribus epulis sæpius pastum. Prudẽs adieci, de illis corporibus haberi sermonem quę id remedium admittunt: nam, si adeò parcè quisquã cibis indulserit, vt languidissimas vires exinde cõparauerit, is profectò ineptior redditur ad vacuationem imbecillitatis ratione. De quo locutum Auicennam existimauerim quarta primi cap. tertio dum sic habet. (& similiter oportet ne illum euacuare sis ausus, qui ex consuetudine parum comedit, quandiu ab eius vacuatione abstinere poteris.)

Qui p̃ parsimonia imbecillitãtur cauẽdi sunt a sang. mis.

Octauus

Octauus ſcopus conſuetudo ſequitur. Non aſſueti vacuationibus arcẽtur ab eis integris, & quæ ſimul totum educunt primo ad Glauconem, non tamen omnino ea cauſa relinqui debent, quemadmodum imperitum vulgus arbitratur: hac quippe ratione, nemo vnquam foret minuendus per ſanguinis miſsionem, ſi quidem omnis in lucem prodit ſanus & citra cutis apertionem. Verùm enim verò tantum pleriq; concipiunt timorem oblato ſcalpello, vt non ſine vitæ diſcrimine aut maximi incommodi, illis vena tundatur, cùm quòd nunquam eam cladem ſint experti, tùm quòd ſuapte natura puſillanimes admodum ſint geniti, & ad periculorum aggreſsionem maximè omnium meticuloſi: quos autore etiã Galeno, expurgatione vacuamus relicta venæ ſectione, & ſi vtrunq; timuerint præſidium, ad alia remedia minora confugimus, ſicut & 12. meth. ad reuulſionẽ. Quã methodum Trallianus ſeruauit lib: 12. Si timent (inquit) ſanguinis eductionem, potum exhibeas aquæ frigidæ. Conuerſa vt exiſtimo, indicatione ad refrigerationem, propter timorem. Nec tamen proinde audienda eſt plurimorum excuſatio, qui, quòd ſemel aut bis vernis temporibus fuerint has vacuationes perpeſsi, cauſantur exinde ſingulo quoque verę neceſsitate quadam, eaſdem eſſe repetendas: aut ſi nunquam fuerint vacuati, quòd nunquã male valuerint, quanquam nunc vrgeat occaſio, negant id fore faciendum, ne mala conſuetudo adquiratur, quæ (vt ipſi inquiunt) eodem tempore ſingulis annis, eandem efflagitare vacuationem uidea-

4. de ſanitate tuenda.

Reprobatur vulgi communis opinio.

videatur. Quos ex industria refutauit Galenus libro de assuetudinibus sequente oratione.) Non videntur corpora propter consuetudinem indigere huiusmodi vacuationibus, sed propter quam caussam indiguerunt prima vacuatione, vel natura operante eam, vel aliquo homine secundum æstimationem Medicinalem, ita rursum indigere pluries ipsa in eisdem). Nonus scopus industria vitæ. Quos motus scilicet,& quæ exercitia singulis diebus edere consuescant: nempe Faber ferrarius vitam in igne agens, qui pila, ludit palmaria totum diem, idquè assiduè. Fossores, agricolæ, satis exhauriunt superflua corporis, eaquè perpetuis sudoribus è corpore effundunt, vt oblata vacuandi necessitate, quàm parcissimè sint vacuandi. Decimus scopus symptoma est. Multum agunt symptomatum concursus ad hanc considerationem, de qua per plures paginas habitus sermo est: nam si ea, quæ aut supprimuntur aut educuntur exactius contempleris, non exigua sumetur ad vacuationis exercitationem indicatio. Quocirca quibus suppressa sunt menstrua, hæmorrhoides, ventris soliti fluxus, satis præ se ferunt euidenter humorũ redundantiam, eamq; incunctanter fore deponendam. hanc etenim occasionem respiciens Hipp. in Stymargi ancilla, quanquam rigore legitur correpta, non dubitauit sanguinem mittere. Sic habet Hipp. in Stymargi famula idumæea erat: cui, vbi peperisset filiam, vteri, osculum contortum est, & inter coxendicem & crus dolor descendit, hæc tali vena secta liberata est, quanquàm tremores uniuer-

2. Epi. par. 4. com. 15.

uersum corpus detinerent) sed ad occasionem ueniendum est, & occasionis principium. Hæc itaq; decem contemplanda sunt in primis ad rectum ferendum iudicium, de plenitudine atquè ei debita vacuatione: inter quæ, primas sibi vendicauit consuetudo, docente Galeno libro nono Methodi, cętera illi comparata minus pollere. Verbi gratia. Qui vitam in aquis diu egit, piscibus quotidię vescens, aquam auidiusculè epotans, is citra controuersiam pituitam aggeret, à qua nisi vacuatione præcaueatur, necessariò morbo parto superabitur. Cognita igitur plenitudine præfatis coniecturis & præcipuè ex consuetudine per res non naturales seruata, si ea fuerit infusione uasorum, sine discrimine sanguinem mitteret Galenus, potissimumquè si tensio adesset phlegmonodes, qua nihil manifestius sanguinis redundantiam mõstrat, quando uerò indicia conueniunt, quæ multitudinem ad uires ostendunt, non semper. Possint enim tunc crudi succi plurimi atq; frigidi redundare, qui si per totum corpus sint sparsi, ac tunc pręcipuè quùm febris adest, tempus est æstiuum, & ægrotus imbecillum os uentriculi, neutiquam mittendus est sanguis. Ita sanè Galenus insserat. 12. Metho. qui, in ea febre quæ cum syncopa crebra inuasit, liuido colore, & frigiditate corpus laborantis detinentibus, pulsu paruo, obscuro, & ualde inęquabili perceptis, sanguinis missionem inhibuit: semper pręcipiens, abstinendum esse à sectione uenæ, ubi sanguis est paucus, reliquus succus plurimus. Quod non pudebit Rasij testimonio confirmare,

Quarto de sanitate tuēdæ, & sexto. Epi. parte. 3. com. ultimo.

ob

ob ea quæ ſunt dicenda. Habet. 28. continentis, ca. de ſanguinis miſsione, ad hunc modum. (Ergò vbi color plumbaceus, & pro pallido albus, ſine calore, cum pulſu inæquabili, in quo ſunt plurimæ pulſationes exiguæ, non audebit quis ſanguinem mittere.) Ob id igitur additum eſt (non ſemper in plenitudine quæ ad vires expedire phlebotomiã, quando ſcilicet vſque adeò crudi ſucci in corpore excedunt: aliòqui, nulla eſt plenitudo ſuccorũ crudorum, quæ iſtam vacuationem impediat, vt poſtea dicetur. Propterea diſtinguenda ſunt iſta diligenter, videndumq; eſt quanta ſit copia ſuccorum incoctorum, quantæ vires: qui enim non ſemper conuenire affirmauit, aliquando viſus eſt eam vacuationem admittere, tunc videlicet, quum vires conſtant ac valent, quemadmodum Trall. lib. 12. cap. de ſyncopa ex humoribus crudis, effecit, tametſi Galenum legiſſet, qui duodecimo metho. eã prohibuit, ob virium languorem & eximiam proſtrationem. Auget præterea febris timorem exercendi ſanguinis miſsionem, vt hoc loco notauit Galenus, propterea quòd ipſa ſuo calore natiuum diſſoluat atq; reſtinguat: quapropter audacius mittetur ſanguis, quum ſeſe offert neceſsitas, in eo qui febre caret, quàm in febriente. Quod manifeſtius poſtea docebit, quũ de craſsis humoribus loquens ita ſcribet. (At vbi crudi humores exuperant, antequàm morbus inuaſerit, cautè vacuabis, ſed vbi febris arripuerit, vt antea monui, nequaquam) Oribaſius ad verbum, eandem orationem retulit, libello nuper citato. Vndè Auicennæ prauiſsimum errorem.

Notatur Auicenna. rorem silentio haud quaquam prætercam: qui non longà ab initio tractationis de phlebotomia, vbi duos esse modos hominum phlebotomię idoneos proposuisset, alterum eorum qui in morbos inciderunt, alterum eorum qui parati sunt incidere, aut in anginam, pleuritidem, aut sputum sanguinis, aut peripneumoniã, aut opthalmiam sequentia connectit (Amplius scire debes, quòd quum istæ ægritudines timentur & nondum in eas inciderint, plus securè vacuabis: cum verò in eas inciderint, penitus phlebotomia dimittatur, sed post principium versus statum.) Meo iudicio locus hic Auicennæ ad Galeni disciplinam est reducendus, qui de crudos succos plurimos gignentibus habebatur, in quibus cautè sanguinem mittere iussit antequam febris irreperet, posteà verò neutiquam: propterea quòd vbi sunt plurimi tales humores minus viriũ suberit, quibus, si febris dissolutionẽ & ab ea prouenientem languorem adiungas, meritò sanguinis ablationem autores pertimescunt. Quod si aliter quispiam Auiccennam contenderit tueri, eamque orationem velit esse veracissimam, proculdubiò in turpissimas hæreses proruat oportet. Porrò si quum timemus anginam, apoplexiam, sputum sanguinis, educimus sanguinem præcauentes mortis periculum, quantò lubentius præsentibus eisdem affectionibus & quæ iam ob oculos necem offerunt, eodem præsidio vtemur. Magnitudo morbi futura, cogit omnes medicos anteuertere præcepta, nec non auxiliorum machinamenta, qui hoc solum frugis expiscari tunc enituntur, ne morbus

ille

ille superueniat inchoatæ passioni. Vrgenti igitur iam magno morbo, nihil est quod conueniens auxilium excludat, quod pluribus de causis est admonendum. Integræ profectò sunt magis vires ante morbi aduentum & remedia ferunt efficaciora, sed quum morbus minus deterreat ac adurgeat, minus adhibemus auxiliorum: at præsente iam morbo sæuissimo, quiq; desperatam salutem spondere videatur, cur non tentabuntur vltima remedia & quæ nulla ratione fierent, nisi vltima dies immineret? Ego sanè in ventura angina modica vacuatione contentus ero, quòd ea vitari posse futurum malum confidam: verum ea præsente tantum admouebo præsidiorum, quantum cõsilij, quumq; atrocissimum exitum id genus mala incutere soleant, tantum detrahetur humorum, quantum, vitando periculo satis esse intellexero, cum vitæ etiam discrimine. Apud neminem etiam reperias aut probatum, aut experientia confirmatum, qui priusquam morbus ex sanguine genitus erumpat, copiosam imperauit sanguinis detractionem, morbo verò iam cruciante, ipsam penitus circumciderit: siquidem, insignia auxilia tunc vrgentius adhibẽtur, quum vrgentior solicitat ægritudo, vrget autem magis, quum præsens est. Nec vllius precij existimanda est interpretum expositio, quæ sic interpretatur orationem Auicennæ. (penitus phlebotomia dimittatur) idest radicalis seu quæ ad lypotomiam perducit, dimittatur: nam præterquàm quod solœcismum commiserint, falsissimam cõminiscuntur responsionem: ob id quod interdum,

in morbis ſanguineis ad lipothymiam vſque liceat ægrotantem perducere. Quid ſit crudus ſuccus
1.Aph.23. explanauit Gal.lib.1.de alimentis.c.de tritico, vbi pituitam appellauit, frigidum & humidum ſed tenuem humorem, crudum verò, eum qui frigidus, & humidus ſimiliter & craſſus exiſtit. Natura hoc loco pro temperamento accipitur, vt 2.aph.17.

Caput ſeptimum.



I qui ſanguinem excrearũt, breui admodum curati ſunt tempore. Cæterum eam nunc in partibus thoracis & pulmonis ſortiuntur conſtitutionem, vt ſi paulò plus coaceruent ſanguinis, rurſus vel vaſis alicuius oſculum reſeretur aut rumputur: ijs & ſi nullum in corpore etiam dum ſymptoma eſt, initio veris ſanguinem mittere oportet. Similiter & ijs, qui facilè in comitialem morbum incidunt, aut apoplexiam. Ad eundem modum ſi reliquorum morborum alicui obnoxium eſſe hominem perſpectum habuerimus, verbi gratia, aut peripneumoniæ, aut pleuritidi, aut anginæ: committendum non eſt vt expectemus dũ euidens aliquod plenitudinis ſymptoma appareat, ſed anteuertere ſanguinis miſſionem præſtat. Pari ratione etiam quibus hæmorrhoides ſuppreſſæ ſunt, maximè vbi natura magis melancholici fuerint. Et qui ſingulis annis æſtate plenitudinis morbis laborant,

rant, etiam hos vere ineunti vacuare oportet. Eodem modo & ijs qui vere ipso morbis eiusmodi capiuntur. Sunt verò nonnulli oculis imbecillioribus, aut vertiginosis obnoxij malis, qui et ipsi veris initio vacuari postulãt. Prius autẽ à nobis considerandũ est quale sit hoc quod ipsis coaceruatur: si quidẽ nõnulli amaræ bilis humorem plus cæteris aceruant, alij melancholicum, aut pituitosum, alij verò ex æquo omnes, in quibus sanguis redundare dicitur. Hos igitur omnes vacuabis, quemadmodum etiam podagricos & articulorum dolore conflictatos, veris initio, dato nimirum aut medicamento purgante, aut misso sanguine. Equidem plures qui tribus aut quatuor annis per interualla pedum doloribus molestati sunt, ego sanaui, aut redundante humore veris initio purgato, aut sanguine detracto: manifestum autem est quòd tales in vniuersa victus ratione moderati sunt. Proinde incontinentes, ebriosq; ac gulæ deditos, neq; purgatione neq; sanguinis missione magnopere iuuabis. Nam per victus intemperantiam crudorum humorum multitudinem celeriter coaceruant: verum vt hos cures ne studere quidem oportet. Vbi autem obediunt, summopere eos iuuabis, si veris initio primum quidem vacuans deinceps ad exercitia victusq; rationem salubrem perducas. Cæterum quæ de istis dixi, hæc tibi de omnibus qui prædictis paulò ante malis, nempe comitiali morbo, apoplexia, vertigine, sanguinis sputione, aut melancholia, capi apti sunt, dictum esse putato.

Commentarius.



ERTIVS affectus in quo, per duas iam prædictas plenitudines sanguinis missio dicitur esse expediens, magnitudo est morbi futuri, siue adsint plenitudinis notæ, siue non: cuius causa anteuersionis præceptum seu præuentus mansit nobis ab Hipp. defixum, quo nos studiosè iubet anteuertere remedia in morbis futuris, quibus ipsis præsentibus vtimur Idq; potissimum verno tempore, iuxta illud sexti Aph. 47 (quibus expurgatio, aut sang. missio conuenit, vere facienda est.) oportunissimum siquidem tempus est ver, præseruandis his malis quæ per periodos redire consueuerunt, quēadmodum illud anotauit Gal. lib. de puero epileptico: quòd maxima pars morborum, quorum generationi præbet occasionem plenitudo, ex fusione humorum ducat ortum. Funduntur autem hi lib. 2. aph. 15. calore æstiuo affatim ingruente, à quo quodam modo extenduntur ac efferuescunt adeò, vt qui hactenus exigui mole videbantur, & arctis locis contineri: non possint amplius in venis concludi, sed vel eas disrumpant, vel exedant: & si cum impetu in aliquam corporis partem cæteris imbecilliorem assiliuerint, phlegmonem, aut erisy-

pe-

pelas, uel aliud aliquod morbi genus operentur. Hac de causa hæmoptoicæ paſsioni parati, quales ſunt qui ſtructuram anguſtam & ſcapulas alarum inſtar prominulas gerunt,& qui catarrhis caput habent obnoxium, primo Epidemiarum, parte prima, comm. 18.& qui pleuritidi, peripneumoniæ, opthalmijs,anginis,vertiginibus, epilepſiæ, apoplexiæ, melancholiæ, atque demum qui magnis morbis ſunt obnoxij, præueniente medela veris initio adhibita,debent eminus ab his malis propugnari. Sed in hac morborum præcautione inſpicere prius oportet, qualis ſit humor qui in ipſis coacerbatur,quiq; è vacuatione purgandus ſit, ſiquidem non omnibus abſque diſtinctione ſanguinis miſsio,facienda eſt, ſed alijs multa ſolet increſcere pituita,alijs bilis,alijs ſanguinis copia,aut omnium humorum aceruus, ac proinde alijs purgatio, alijs uerò phlebotomia exiſtit imperanda. De tempore dictæ uacuationis faciendę naſcitur ambigua quęſtio. Hoc enim loco, ſiue purganda ſint corpora, ſiue detractione ſanguinis minuenda, ueris initio fieri præceptum eſt: at uero libro quos & quando, blilioſos ἐντῃ τελευτῇ τοῦ ἦρος, id eſt in fine ueris, purgandos eſſe decreuit. Solutionem, in expoſitione illius libelli tradidimus, quam nunc ſummatim proponam. Pituitoſi humores, melancholici, ſanguinei, in ipſius ueris initio meritò iubentur educi, propterea quòd hyeme iam geniti, aduentante calore etiam uerno fundi incipiunt, & morborum generationem,quorum ſunt cauſa,minitantur extemplo: at bilioſi, non generantur donec feruor *defenditur Galenus à cōtradictione.*

ęstatis ardeat, quod aut in fine ueris fit, aut inchoãte æstate. biliosi ergo humores excipiendi sunt à præcepto hîc dato, qui non nisi finiente uere exinaniendi sunt, ob rationem, dudum expositam. Eadem ratio præcautionis seruanda est in his mulierculis quibus menstrua detenta sunt, aut hæmorrhoides, tametsi nullum morbum antea ea causa fuerint perpessæ: maximè, si incontinentes sunt ut parebit cap. decimo sequente. Nam si incontinentia adest, & illa morborum magnorum consistit occasio, uitandi illos gratia, præcaueri necessariò debent, exinanitis humoribus quibus par est id genus corpora esse referta: nimirum si sana degebant, menstruis fluentibus: ac hęmorrhoidibus, illis suppressis, nisi Medicus arte suppleat uacuationem, non potest non morborum colluuio subsequi. Hinc liquidò Hippo. elicuit. 6. Epi. parte. 3. com. 37. laborantes sanguifluis uenis, neque peripneumonia, neq; pluriditide, neq; terebinthis, neq; lepra capit: quód magnum sit argumẽtum sanitatis conseruanda, illa per hæmorroidas solennis facta euacuatio. Item quibus suppressa sunt menstrua, non est prorogaanda uacuatio, quæ per uenæ sectionem exercetur; in illis pręsertim quæ sanguinem crassiorem accumulant, nam quę tenuem & paucum sanguinem possident, quales sunt candidæ atque obesæ, non sine corporis detrimento eam patiuntur, pręter quàm quòd etiam si uena secta fuerit, neque mediocriter illis sanguis effluit ob uenarum paruitatem. Satis ergò erit illis, si malleoli scarificatu sanguinem effuderint, aut cucurbitulæ fę-

1 lib. de temperamentis.

minibus

minibus adhibitę sunt:quibus remedijs, muliebris expurgatio concitabitur ad nutum. Diximus ea quæ dicta sunt de vacuatione præseruatrice, in illis præcipuè esse obseruanda, qui incontinentes sunt, & præscriptæ victus rationi minimè paruerint:quare si moderatam vitam degant, mandatisque medicis iuxta leges edictas obediuerint, minus efficacibus præsidijs, frictionibus nempe, vnctionibus, balneis, ab imminentibus malis fideliter protegentur. Dubitabis mox. Capite 10. hæc quę nunc asseruimus scripta leguntur, at in præsenti commentatione, podagricos, arthriticos incontinentes, non iuuari vacuatione de qua loquimur, expresit. Respondetur, incontinentes non magnopere iuuari his præsidijs morborum prouentū arcentibus, ac proinde medicus famæ suæ consulens, parum debet istius modi perditissimo hominum generi prouidere, quod frustra sit adhibitum auxilium, cui victus proba ratio non subscribat. nihilominus tamen si qui sunt, quibus vacuatio debeatur, illi sunt maximè qui vltra repressas vacuationes, incontinenter atq; intemperanter viuunt. Quam ob rem de vacuationis ineuitabili necessitate, Illic tractatur, hîc verò, quod medici famam & artis commendationem spectare conueniat. præterea hîc id duntaxat docetur, non iuuari quidem intemperantes, nec consequi optatam salutem, præcautione adhibita: illic verò quid necessum sit agere. Torquetur miserè Fuchsius in demonstrando idem prorsus e[illegible] [illegible]umores simul augeri supra mediocrita[illegible] [illegible]guinem exundare

Cap. 11. sequenti.

Lib. de theriaca ad Pāphilianum.

Concordia Galeni secum.

re; quem superius abundè taxauimus, neq; opus est denuo ipsum lacessere.

Caput octauum.



On solum autem vbi adest plenitudo vel ad vires, vel ad vasorum humores continentium capacitatem dicta, missio sanguinis plurimum iuuat: sed & citra plenitudinem incipiente inflammatione aut propter ictum, aut dolorem, aut partium imbecillitatem. Quippe dolor ipse sanguinem ad inflammationis locum trahit: & multoties partium imbecillitas inflammationem citra totius corporis plenitudinem excitat. Demonstratum enim est in commentarijs de naturalibus facultatibus, imbecillam natura partem promptè grauari, vbi vel paulò plus excrementi in ea coaceruetur. Quin etiam quod quælibet pars facultatem vt familiarium attractricem, ita etiam alienorum excretricem obtineat. Tum quod duplex sit alienum, alterum quantitate, alterum qualitate, proinde & si pars aliqua ab humoribus in se contentis non grauatur, tamen excrementa quædam in qualitate præter naturam habet, ad eorumdem excretionem per venas quæ in ea sunt, tanquam per canales excitari. Cæterum si quod propulsatur prauus fuerit sanguis, aut alius humor, ut ad aliquam propinquam veniat partem,

tem,

tem, necesse est. In ea alterum duorum eueniet, vt aut concoctus, aut per halitum digestus in aliam tertiam haud transfluet: aut si neutrum prædictorum assequatur, denuò ex secunda parte in aliam cōfluat, deinceps ex illa rursum in aliam, & id ipsum non desinet fieri, quoad in talem quampiam decumbat, quæ amplius quòd in ea redundat, in aliam propellere nequeat. Accidit verò hoc ipsum illis partibus, quæ facultatem excretricem vicinis omnibus imbecilliorē habent: si quidem non iam in illas quæ propter robur quod obtinent haud assumunt, id quod molestat propellere valent. Demonstratum enim à nobis hoc quoquè in illis est commentarijs, quod quælibet pars non solum quod superuacuum est in vicinam protrudat: verumetiam quod suscipiat, sæpe verò contra remittat & propellat, in se haud assumens. Atquè in hoc certamine validior vincit: quapropter partes omnium imbecilliores excrementicijs morbis primæ capiuntur. Hac quapiam ratione è fluxione natos affectus fieri scito, vniuerso videlicet corpore imbecillo existente, quæ vna est quædam mali habitus species: principibus illius partibus, etiam si paucus in ipsis est sanguis, grauari solitis, eumquè ad carnosas iuxta cutem partes protrudentibus, magisquè ad glā dulas excipiendo superuacuo idoneas, tum propter substantiæ laxitatem, tum quia inter alias partes infirmissimas habeant naturales facultates quemadmodum etiam pinguedo. Nam quum quatuor eæ sint, vt ostensum est, prima quidem attractrix, altera retentrix, tertia excretrix, & quarta alteratrix alias quidem tres imbecillimas glandulæ carnesque

obti-

obtinent: alteratricem verò solam haud multò cæteris partibus minorem. Post glandulas pulmo fluxioni recipiendæ promptissimus est: nam & hic tres facultates imbecillas obtinet, & corpus laxum. Deinceps lien. Cerebrum autem perinde vt ille aut etiam plus excipiendo fluxui est habile. cæterum hoc illis meliori est conditione, quod constructionem habet excernendis ijs quæ suscæpit promptam. Magnos enim ventriculos obtinet qui pronis meatibus vacuantur. Quibus igitur pulmo, lien, ac cerebrum carnoso genere robustiora sunt, in ijs ad glandulas & carnes fluxiones perueniunt, vbi nimirum vniuersus habitus imbecillus fuerit, sicut in affectibus è fluxione natis accidit. Meritò itaq; curationis horum scopus est non quidem vacuatio, sed totius corporis roboratio, quamquàm curationis initium in his à sanguinis missione fit. Si vero excrementa praua etiam qualitate sunt prædita, purgationem quoq; adhibemus. In quibus maximè corporibus neutrius plenitudinis proprium symptoma expectare oportet, grauitatem quidem eius quæ ad vires dicitur, tensionem verò eius quæ ad vasa. Pari ratione in ijs quibus pars aliqua grauiter icta est, siue aliter quomodocunque incipientem obtinet inflammationem, vbi magnam ipsam fore suspicamur, curationem à vacuatione ordimur, aut purgantes, aut venam incidentes, prout alteram altera magis conuenire vacuationem iudicamus.

Com-

Commentarius.



VARTVS affectus, cui iure suo congruit sanguinis missio, inflammatio est incipiens, aut ob ictum, aut dolorem, aut fluxionis ratione quæ ob imbecillitatem partium fit: etiam si nullum adsit plenitudinis indicium. Primum quidem si ob ictum seu casum ex alto loco exordiatur inflammatio, nemo est in artis operibus vel mediocriter exercitatus, qui non confestim sanguinis detractionem suadeat, & malorum progeniem nisi id fiat, non pronuntiet: in quo casu, cum quis (inquam) ex alto ceciderit, post sectam venam, magna pars medicorum, puluillos ex rubia tinctorum, rhabarbaro, & mumia concinnatos propinare consueuit, quod eos Mesues commendarit: alij, potum aquæ frigidæ copiosum intrepidè largiuntur, alius vt Dioscorides, agarici drachma .j. nonnunquã gentianam, nonnunquam vero rhapontici tantundẽ elargitur, quamuis differenti ratione, huic rerum euentui, omnes, subuenire contendunt. Nam qui potu aquæ gelidæ vtuntur, præterquàm quòd in solis hominibus impendiò calidis illud commodè facient, humores pigriores ad motum reddunt: qui verò puluisculis à Mesue confectis id malum precauent, thrombos sanguinis dissoluunt, eosque dissolutione ad cutem propellunt: qui verò aut agarici *Ca. de rhabarbaro.*

rici

rici certo pondere, aut rhabarbari, aut gentianæ vtendum esse censuerunt, id potissimum intendere videntur, vt motos humores expurgent, & ceu manu ductrice, per cloacas publicas foras educant. vnde quanquam diuersa ratione, cuncti tamen tumorum generationem, qui commotis humoribus facilè tunc euenirent, prohibere conantur, sed tutiorem viam me iudice, amplexus est Dioscorides, qui cognita diuersorum hominum temperatura, in biliosis rhabarbarum propinaret, in pituitosis verò, agaricum: in sanguineis demum sectionem venæ, sine dubitatione moneret. Reliquorū prouidentia, licet humores extra cutem excernat sudorificis vtens medicamentis, quia tamen diffusi sua crassitudine nonnunquam, intus manent, possintq; semel commoti grauissimos morbos ex fluxione producere: minus profectò tutam curationē commenta esse iudicanda videtur. Dolor etiam inflammationis est causa vehemens, adeò vt cucurbitularum instar trahere humores in partem cui est defixus, dicatur, 7. Apho. 1. Dolor item & calor partis in qua phlegmone sedet ex puro etiam corpore trahunt, 13. Meth. vt mirum videri haud debeat si, quamquàm plenitudinis indicia non adsint, sanguinem demere non reformidamus. Proinde putandum est Hippo. magnitudine doloris adaucta precepisse, ad lipothymiam vsq; licere nōnunquam facere vacuationem: sicut in quauis affectione, quæ ex sanguine pendere visa sit, & existat cum virium robore copulata. Ob partium imbecillitatem incipiunt inflammationes, nimirum

diuersæ ra-[t]io subue-[n]iendis his [q]ui cecide-[r]unt.

Trahit do-[l]or irritādo [e]xpultricē. [C]alor verò [v]i propria.

1. Aph. 23.

omnis fluxio, ex mandante membro, & recipiente nascitur: mandat autem particula quæ fortiorem habet expultricem, in eam quæ imbecilla est, sua excrementa, præsertim si vicina sit, quòd si illa repugnet, in aliam, donec fluxio sistatur in omnium imbecillima. Vt pulchrè illud monstrauit Galenus animalium facta cōparatione, quæ in stabulo eôdem, sed vario pręsepi, pascuntur. Mandat insuper fortior particula id, quod alienum est aut qualitate aut quantitate, vt sępe alibi notatur, & hoc loco graphicè à Galeno figuratur. alienum qualitate, corruptionem superius à nobis vocatam, constituit distinctum genus à plenitudine: alienum verò quantitate, plenitudinem siuè quæ ad vires dicitur, siuè ad vasa. Ergò hac de causa pulmo, liẽ, cerebrum robustiora carnoso genere consistentia ad illud quod alienum est, propulsant ac trudunt, quòd suapte ratione totius corporis habitus vnà cum cute infirmior sit creatus, & ad suscipiênda superflua paratior: quum contrarium accidit, scilicet vt præpostero ordine se habeant partes corporis & quæ firmiores erant natura fiant debiliores, quę rursum debiles, vegetæ sint ac valentissimæ, peruertitur expulsionis opus, fitq; vt nobiliores patiantur particulæ. Sed obiter & veluti per transennam in priori generanda fluxionis occasione, curationem perstrinxit atq; ordinem: dicens post vacuationem à qua inchoandum esse insinuauit, scopum, roborationem totius corporis decernendam fore, atq; intendendam. attamen libro de causis morborum, cutem omniũ particularum deiectis- *Lib. de causis morborum.*

simam

ſimam nominauit, in quam ſi reliquę partes dignio res ſua regerunt excrementa, non eſt quòd corroboranda ſit, ſed potius aperienda, laxanda, atquè omnibus modis ad ſuſcipiendum idonea facienda videtur. A natura ipſa profectò datum eſt ibidem, vt partes aliquot deſtinentur ad recipiendum ſuperflua ne communis toti corpori fieret iniuria, & ne Principes partes atquè illis famulantes, præſtantioribus occupatæ functionibus, erga vile miniſterium, fęcum ſcilicet expulſionem, diſtinerentur.
1. Epi parte 2. comm. 33. Simon ille quem dudum citauimus, vnctionibus, balneis, atq; alijs circum adhibitis remedijs iuuabatur: quibus hercule non corroborabatur cutis, ſed potiùs apertis meatibus atq; cribri in modum perforatis pluribus, tollendam eſſe affectionem illam poſtularum Hippo. perorauit. Paucis abhinc diebus Caroli Imperatoris inuictiſsimi Maria filia Bohemiæ Regina exanthematis per totum corporis habitum laborãs, balneis & alijs lotionibus ſeu vnctionibus curabatur (vt intellexi) ſatis methodicè: quòd aperiendam cutem, latiores reddendas vias, potiſsimum remedium ſemper exiſtimauerim, per quas, poſtulas illas generantes humores liberius prodirent, atq; excernerentur. Hinc panditur latus ſatis campus medicandis lepris, ſcabiei, & cutaneis affectionibus: intra quem verſabatur Galenus, dum libro nono ſimplicium medicamẽtorum, ex ſulphure & terebintina medicamentum compoſitum laudauit quoniam non repellit, ſed diſcutientem nactũ eſt facultatem. Quo pactò igitur corroborandum eſſe corporis habitum in præſentia

ſentia iuſsit? Reſpondetur. dum principalia mem-bra ſuperflua in cutem protrudunt, partim ſunt fortiora, partim vero languidiora: fortiora ſcilicet his quæ recipiunt, imbecilliora rurſum excrementorum intuitu. Niſi enim illa nequidquam à proprijs functionibus defeciſſent, nunquam in ignobiliores particulas, quæ ſuperfluunt excrementa, expuliſſent. quod ſi expulſione aliquid dignum coaceruarunt, corroboratione opus eſt, ne fluxionis commemoratę rurſum innouetur occaſio. Prętterea habitus corporis non ſuſcipit excrementa, niſi quum canales ad ea ſuſcipienda nati, ob aliquā cauſam impediantur, & ad id muneris conſequendum fiant inepti. Vnde vnaquæq; particula corroboratione indiget, ne imbecillior ſemper manens, nouam in dies regeneret excrementorum fæcem: ac exinde occaſionem præbeat fluxionibus, & inde ſequentibus affectionibus. Interim tamen quod principes partes languent, & minus exactas edunt actiones, abſurdum foret ſi minus principes imò deiectas particulas roboraremus, & hoc perſuadebant argumenta. aſt, ſi nobiliores particulæ priſtinam recuperarunt ſanitatem, non ab re erit, ſi de mandatorum ſemel humorum ad cutem, facta diſcuſione, poſtea ipſam roboremus & firmitudinē adquirat innatam: quemadmodum in præſentia monuit faciendum eſſe Galenus. Glanduloſę partes & laxæ ſuſcipiendis excrementis ſunt maximè idoneæ, ſecundo loco carnoſum genus propè cutem, tertio loco, pulmo: quartò, lien: cerebrum eiuſdem claſsis inſinuatur, niſi quod expultricis of-

Cōciliatur Galenus.

3. Meth.

Methodus deſignandi partibus robur & languorem.

ficio fungitur commodius propter decliues canales quibus scatet plurimis,& quia commissuras habeat,quàm creberrimas parte superna:reliquæ partes,quota sede sint locandæ constabit, fluxionum caußis hinc & inde pensitatis. Fluxionũ causæ sunt potisſimæ dictæ,robur videlicet mittentium, & imbecillitas suscipientium:sed præter has, coadiuuãt substantiarum mollities & laxitas, inanitas membri quæ multis poris & vasis consistit, decliuis positus,motus etiam insignis,quibus de causis omnibus pulmo,reiectis de medio sordidiſsimis atq; cutaneis particulis,est imbecillimus, post illum reliquæ locabuntur, prout cum illo magis consenserint. Vtra uacuationum sit preponenda, expurgatio ne,an sãguinis emiſsio disceptatur libro de purgatione:sed an vtraq; sit opus,in curatione inflammationum merito quæreretur. Respondetur breuiſsimè.Si inflammatio est exquisita, solam præsefert sanguinis redundantiam,ac propterea sola diſsipabitur venæ sectione: si vero, alijs affectionibus sit permista, post sanguinis detractionem, expurgatione curabitur,quemadmodum ab Hippocrate quarto libro acutorum commentatione vigesima prima scriptum est. (De inflãmationibus præcedente sermone sic habet. (Nam venæ sectio in his præferenda venit: deinde clysmis est opus, si morbus magnus & fortis non fuerit, (sic etenim interpretamur contra Meldensem) si vero non, & postea medicamento opus sit, sanè id post sanguinis miſsionem securè, & mediocriter porrigendum.

Caput

Caput nonum.

RECTE *igitur in ijs quæ de victu acutorum morborum proposita & disputata sunt admonemur, vt sanguinem mittamus, ubi magnus fuerit morbus & æger florentis ætatis roburq; aderit. Perperamq; Menodotus in sola syndrome plethorica vocata venæ sectionem obseruari tradit: contra enim in vniuersum sanguinis mittendi scopi, plenitudinem in se primò haud complectuntur, sed suspitionem eius quod adhuc fit mali. Nam si magnum fore appareat, sanguinem mittemus etiam si nulla plenitudinis nota est, ætatem, regionem, & vires considerantes, quæ sola etiam in ijs quæ de victu acutorũ disputantur, dicta eße conspiciuntur. Vigentes enim ætate propter pueros & senes ad distinctam explicationem adsumpsit. Primi autem & maximè proprij sanguinis mittendi scopi sunt, morbi magnitudo, & robur laborantis: & hanc esse primam syndromen dicere oportet, haud plethoricam, in qua sanguinis misio obseruata sit: quippe in illa & hæc compræhenditur, vt quæ morbi magnitudinem adaugeat. Non solum enim vbi iam adsit morbus magnus, sanguinis mittendi occasio est, sed & vbi futurum esse suspicio est: doctrina enim, quam Hippo. tradidit, anteuertit, docens nos quæcunq; præsentibus iam morbis rectè faceremus, melius esse vt hæc incipientibus ipsis, aut iam imminentibus anteuertendo faciamus.*

Proinde & prædictos scopos ad sanos transferre licet: siquidem & ijs sanguinem mittes, vbi magno aliquo capi morbo suspicio est; ætatis tamen & roboris habita ratione. Nam si quis vt magnum incurrat morbum habilis sit, etiam si nullum adbuc in corpore symptoma apparet, sanguinem tamen mittendum censemus: satis est enim ætatem vnà cum viribus considerasse. Tria itaq; sunt quæ dignotionem continent, morbi magnitudo aut præsens aut imminens, ætas vigens, & virium robur, verum negligentius fortè in ijs quæ in libro de victus ratione acutorum proposita sunt, sola particula ætatis exposita eße videbitur: neque enim vigentem ætatem solùm dixiße rectè se habet, sed & eam quæ hanc præcedit & quæ illam sequitur, vt scilicet duæ tantum distinctione ipsa, nempe puerorum & senum, exemptæ sint. Sed senum ætas in verbo virium complecti potest: nulli enim qui in ea ætate est constitutus robur inest. Quibusdam verò medicis ne pueris quidem robur ineße visum est, sed malè rem intelligentibus, vt alibi à nobis est demonstratum. Sanguinem itaq; mittemus vbi magnũ fore morbum suspicabimur, aut præsentem iam intuebimur, aut incipientem, robur virium considerantes, pueris tantum ex oratione exemptis. Dicemus etiam minus perfectè, dignotionis quæ ab ætate fit, ab eo qui proposita libri de victus ratione scripsit, mentionem factam fuiße: sufficiunt enim ad mittendum sanguinem hi soli scopi. Neq; enim vbi copia crudorum humorum tanta est coaceruata, vt sanguinis missionem prohibeat, sermo redarguitur: quippe virium robur istis non adest. Estq; ipsa hæc nota quòd illi sanguinis

guinis missionem perferre haud queant, quando vnà cum colore totius corporis qui tum accidit, sanguinem redundare significante, pulsus fuerit in vehementia & magnitudine inæqualis, per eius inæqualitatem superantibus debilibus, & paruis. Tribus itaque scopis mittendi sanguinis definitis magnitudine nimirum morbi aut præsenti, aut imminenti, aut incipiente, vigente ætate, & robore virium extra puerorum ætatem, ad alias prædictas mittendi sanguinis notas, quas non pauci Medicorum adiecerunt, accedamus, qui quantitatem quidem detractionis, non ipsam sanguinis missionem simul indicabunt. Proinde è morbo, ætate, & viribus quòd mittendus sit sanguis cognoscitur: quantitas autem vacuationis non solum ex istis, sed & alijs deprehenditur. hæc vero sunt plethorica vocata syndrome, ambientis nos aeris temperatura in tempus & regionem diuisa, & quæ anteacta vita circa ciborum tum qualitatem tum quantitatem acciderunt, excretiones item ac motiones aut factas aut non factas.

Commentarius.



X sententia Hippo. stabilitur præcedẽtis capitis decretum, quo timorem magnitudinis morbi, tametsi nulla sit plenitudinis nota, procul arcere sectionis venæ præsidio, monebamur, ea quidem ponitur

quarto acutorum decimona commentatione ad hunc modum. (in acutis passionibus sanguinem mittes, si vehemens morbus esse appareat, & floreat ætas, ipsisq; adsit robur.) vnde duo hi affectus tertius, & quartus, in hac vna re conspirare videntur, quòd æquabilem periculi magnitudinem offerentes, pari repagulo æquisq; præsidijs repelli debeant: tametsi alter omnino futuram perniciem, alter vero iam iam instantem, nisi præcaueantur actutùm, præsagiat. Vellicat hîc obiter Galenus Menodotum, cuius sæpè meminit, quiq; solum rebatur esse mittẽdum sanguinem, quum signa omnia quæ plenitudinem sanguinis commonstrant, euidenter compareant (sic videtur declarasse syndromen signorum libro subfigurationis empiricæ Galenus:) ostendens, tantum abesse, vt id verum sit, vt potius ob solam morbi magnitudinem creberrimè accingatur medicus, ad sanguinem mittendum, nulla prorsus existente suspitione de redundantia sanguinis. Quod vel empirici faciunt, solam magnitudinem morbi coniectantes, quẽadmodum. 4. Meth. illis tribuit Galenus: tũ in alijs omnibus, tum verò quòd hunc scopum magnitudinis ab alijs prætermissum, Hippo. tanti fecerit, miris eum extollens laudibus. Est porrò (inquit Galenus) is qui ab affectus magnitudine scopus sumitur, quem non modo Methodici prætermisserunt, (non enim est id mirum) sed etiam rationales plurimi, atq; etiam empirici omnes: nam vbi in redundantis sanguinis (vt illi loquuntur) concursu, vacuationem à se obseruatam dicunt, manifestè

festè fatentur, ob nullius alterius eorum quæ in ægro visuntur respectum, se ad vacuationem accedere. Neq; hoc dico propterea quòd purgatio vacuatio sit, quam redundantis sanguinis concursus non indicet, sed quòd etiam tametsi redundantis concursus non adsit, ad ipsam tamen sanguinis missionẽ sit confugiendum, quando si valens morbus sit cum virium robore, nemo est qui sanguinẽ non mittat, qui vtiq; in artis operibus sit exercitatus. Quippè ipsos empiricos videmus quum lapsus ab alto quis sit, aut aliàs plaga aliqua contusas vehementer corporis partes habuerît, ad sanguinis missionem cõfugere: quanquam idem homo paulò antè sanus fuerat, prorsusq; redundãtiæ sanguinis expers. Ex quo patet nõ hoc esse quod mittendum sanguinem indicet, sed magnitudinẽ morbi, ac virium robur, exceptis à sermone pueris. Nã & alia ratione siquis etiam nunc sanus nec adhuc quicquam læsus, in sanguinis redundantis concursu sit positus, non statim huic mitti sanguinem necesse est: imò aiij satisfacit inedia, &c. Hæc Galenus. Non igitur perpetuò redundantiam sanguinis spectantes, ad sanguinis detractionem accedemus, sed magis est perpendenda morbi magnitudo cum virium robore copulata: adeò vt plerunque ab hoc auxilio abstinendum sit, redundantia sanguinis apparente, propterea quòd de magnitudine morbi nulla sit opinio, quod prudentissimè Hippo. & Galenus notauerunt. 6. Epi. parte. 3. cõmẽto vltimo. Reprehenditur iterum Menodotus, 4. acutorum, 19. eisdem demonstrationibus, &

verbis. Primi itaq; scopi sunt magnitudo morbi, & robur virium, & ijdẽ vocantur primi, & maximè proprij, non plethorica syndrome, nam hæc sub illa magnitudine comprehenditur morbi, vt quæ morbi augeat magnitudinem, cæteri scopi quantitatem metiuntur tũ affectus ipsius, tum ipsius subsidij, vt superius disputauimus. hoc tamẽ loco tres scopos euidentissimè connumerauit: præter duos, ætatem adiungens, puerilem. Cæterum hæc tertij scopi connumeratio, quanquam inuertere quæ de scopis diximus nonnullis conspiciatur, nihilominus tamen, sicut aëris ambientis caliditas nonnũquam apud Galenum prohibere sanguinis missionem prædicatur, & si de numero mentientiũ sit quantitatem, vt anteà monstrauimus, sic quoquè ætas cohibebit eam non omnino, sed quantum fieri potest. Adde etiam causam morbificam indicare tantum quid sit agendum ad sui ablationem, vires ipsas consentire: quæ quum consistent in pueris vt hic insinuatur, & 4. acutorum. 19. neq; ex parte postulantis indicationis, neq; consentientis, ætas existit computanda. Iã verò apud Hippo. 5. Aphoris. inuenies grauidas abortire sanguine emisso: nunquid protinus vteri gestatio de numero venit existimãda prohibentium sanguinis emissionem? minimè gentium. Nam neque apud Gal. neque Auicennam, computata reperitur inter indicantia aut mensurantia id genus auxilii: interdum tamen cõmouemur hasce vtero gerentes cauere ne abortiant sanguine misso, sicut & patientes fluxum, & oris ventriculi vitium aliquod, quod qui, sine hac

Cap. 13. & 9. huius tractā.

4. acuto. 19

1. ad Glau. conẽ. ca. 13.

præ-

præmeditatione sanguinẽ detraxerunt, ægrotantibus aliôqui robustis, & magnum morbum patientibus, vehemẽter nocuerint. Quare plurima sunt quæ quanuis vires comminuunt atq; debilitant, tametsi non omnino vacuationem excludant, temperant tamen, & moderantur eius quantitatem: atq; proinde, eius classis numeranda est ætas. Sed donemus tandem primos esse scopos, magnitudinem morbi, & robur virium, cæteros ad mensurã dam quantitatem duntaxat efficere, vt hucusq; tradidimus: nunquid idcirco in omni morbo magno est vacuandus sanguis? nunquam igitur fiet sola expurgatio ad subueniendum morborum periculis: siquidem ea fieri non debet, nisi vrgeat necessitas, & vires adsint, quibus concurrentibus, sanguinis missio venit exercenda necessariò, per ea quæ modò dicebantur. At diligentissimè scrutandum est prius, quale sit quod aceruatum est humidum, vt humorũ pręcedente distinctione, seligatur conueniens euacuatio: quemadmodum sexto Meth. is qui in neruo vlcus patiebatur, iussus est statim expurgari, ne fluxionis prauorum humorũ fieret subitus incursus. Præterea in omni morbo, in quo conuenit duarum euacuationum altera, semper esset inchoandum à sanguinis missione: nam si vtraque vacuatio non fit, nisi morbi magnitudine postulante, & viribus consentientibus, quum his conuenientibus iubeatur sanguinis detractio, ab illa prorsus sumetur initium curationis. Præsertim quùm vt dictum est cap. 6. genus auxilij à causa ipsa sit capiãdum non à morbo. Quam ob rem magnitudo

Cap. 7. huius tractationis.

gnitudo morbi, quid causa ipsa popoſcerit, indicat, non indicat quid ſit faciẽdum. Verè Galenus, vbi morbum timet magnum cum robore virium ena tum, nunquam credidit ab aliqua cauſa poſſe præpediri phlebotomiam: nempè vbi adſunt crudi hu mores, qui maximè obſtant ſanguinis miſsioni, ſi tamen adſit magnus morbus, & virium robur, nũquam eam ſufficient impedire, vt paulò inferius
Cap. 13. dixit Galenus. Verum tamen, qui paulò veracius atq; ſublimius rem ipſam contemplatur, inueniet pleraſq; corporum affectiones, in quibus ſanguis eſt paucus, reliquus ſuccus plurimus: quibus auto re etiam Galeno, nulla ratione adhibenda eſt venę
4. de ſanita te tuenda. ſectio. Nec ſemper morbis magnis proſpicimus ſanguinis miſsione, ſed potius purgatione: nempè 13. Meth. eryſipelati magis conducit vacuatio per pharmacum, quam per venæ ſectionem facta. At dices, quum reliquus ſuccus eſt plurimus, ſanguis verò per quàm paucus, non conſtant vires, & ob id non foret tunc admouenda ſanguinis miſsio. Certè ſi ob virium debilitatem non minuitur his ſanguis, ob eandem cauſam neq; adhiberetur pur gatio: in omni etenim vacuatione virium robur poſtulatur. 1. Aph. 2. præſertim, ſi illud dogma defendamus quod ſemper exiſtimaui veriſsimum, intenſiores videlicet vires ad purgationem, quàm ad ſanguinis detractionem requiri. Quod libello de purgatione demonſtrabimus. Dicemus ergo, magnitudinem morbi non oſtendere faciendam eſſe ſanguinis miſsionem potius quàm purgationem, id enim, vt antea oſtendimus, à cauſa monſtratur

Scopi, non indicant genus remedij, ſed ad faciendum id quod indicatũ eſt, vrgent.

ſtratur: ſed vſus neceſsitatem, & ad adhibendum remedium à cauſa ipſa indicatum, vrgentiam ſeu coactionem. Verbi gratia. Affectio ipſa pendens ex ſanguine, poſcit ſanguinis miſsionem, nempè contrarium remedium, verum nondum liquet facienda ne ſit necne, propterea quòd exigui morbi ſæpiſsimè citra vllas ſuppetias deleantur: ſolos etenim morbos, quos natura nequit deuincere per ſeipſam, medicus ſuſcipit curandos, reliquos verò, illi demandat atquè committit. Oblata verò illius morbi magnitudo, & imminens necis periculum adurget, vt quod cauſa morbifica indicauit eſſe faciendum, ſine mora fiat, & cõuenienti remedio. Sic ſanè vel Galenus ipſe 4. de morborum curatione, de mente Hippo. decretum reliquit. (ad eundem modum nec purgatio in ſola vitioſi ſucci abundantia conuenienter ſuſcipitur, ſed ſicut ſanguinis miſsio, vel propter ipſius abundantiam, vel propter morbi magnitudinem: ita & purgatio, & propter abundautiam alterius cuiuſquam ſucci, & propter vim morbi adhibetur.) ibidemque paulò inferius hæc alia ſuperaddit. (de purgatione in hoc lib. diſſeram. Deſiderant enim ægri hanc non modo, vt quod noxium ſuperuacuum quo vrgentur, educat: ſed etiã vt quod tum ad diuerſum trahat, tum vacuet. Atq; ob eam rem Hipp. tum in reliquis omnibus operibus, tum in eo quod de vlceribus prodidit, etiam morbi magnitudinem ad purgationis indicationem conſiderat.) Hæc morbi magnitudo non aliunde cõſtabit, quam ex ſymptomatum propriorum magnitudine. Quam ob

1. de locis.

rem

rem si quisquam morborum notas proprias inquisierit, facilè idem dignoscet, eorundem magnitudinem, & per eã morbi ipsius vrgentiam. Quæ quum tripliciter cõtingat, aut ob propriam ipsius affectus substantiam intensius exauctam, aut ob præstantiam læsæ actionis: aut propter facultatis principatum quæ vniuersum corpus gubernat: harum vnaquæquè extat suis cognoscenda signis, & studiosa corporis humani fabricæ inspectione. Roboris virium notitia non minus diligentem expostulat medici indagationem, propterea, quòd quãtitatis speculationem inuoluat atq; conculcet, verumtamen cõiectura artificiali saltem conabimur eam, quantum datur, inuenire, rem sanè, ad curationis operam, valdè necessariam. Ex functionibus ipsis expiscanda est roboris virium notitia, ac præcipuè ex pulsu, vti lib. de constitutione artis medicinalis ad finem docetur. Quæ cum genere suo trifariam secentur, in animalem quę è cerebro nascitur. in naturalem quæ ex iecòre, in vitalem postremò quæ in corde ipso, vitæ cardine, domicilium possidet. omnium harum actiones, & quæ ab illis sequuntur duo alia symptomatum genera, curiose admodum sunt cognoscenda, ad plenam de virium constantia, & vigore dignotionem assequẽdam. Cæterum in primis ad auxiliorum adhibitionem consideranda est vitalis, per pulsum, vt modo Galenus docebat, & 1. Apho. 12. & de virtute agitata quæstione 4. acutorum. 19. ad vitalem solum reduxit sermonem, quam licet in pueris donauerit esse fortem, ob alias tamen causas non admittere

3. Crisi. c. 4 lib. de constitutio. artis medicinalis.

Virium notitia multis eget cõiecturis, nõ solo pulsu.

mittere

mittere venæ sectionem consensit. De quibus licet breuiter, plura tamen ad hunc articulum attinentia disseruimus Aphorismo dudum adducto. Vitalis itaq; per pulsum est inquirenda, qui apud Dyastolem resistat atq; renitatur tangenti, cognoscitur ad sensum magis, per inæqualitatem in magnitudine in quà quantò amplius vincunt parui magnos, tantò reputatur debilior, & contrà, quantò magni plus paruos exuperant, tantò fortior, cõsequenterq; quum semper pulsitant magni, fortis valde, quũ vero semper parui, per se est imbecilla facultas, ac multò imbecillior sedarguit ex decurtato deinde ex decurtato deficiente, oĩum imbecillima, ex abolitione, quæ est, quum tangitur pulsus, & aboletur siue perit. Quo loco id differẽdum vt̃ & questione dignissimum, quod Hipp. quarto acuto. cõmentatione. 23. nobis obseruãdum reliquit, dum apoplecticum, & omnino sine pulsu demortuum, vacuatione per sanguinis missionem non dubitauit exsuscitare in commentatione Galenus hoc modo declarauit. ἀσφυξίαν, id est, pulsuum quietem & cessationem. Quo pacto igitur robur virium ceu scopus maximè proprius hactenus cunctis est propositus, & illa medici contrectatio, quę pulsum interim dum sanguis emittitur tangit, tantopere commendatur. Non potest ars medicinalis in dignoscenda virtute coniecturam suam & incertitudinem aufugere, vt quæ in hac parte sæpius mutare, & ad quamplurima respicere cõgatur: sic enim Hippo. habitum & ætatem duntaxat attendens, ad secandam venam intrepidus accessit,

ſit,nullo prorſus exiſtente pulſu ſenſibili. Quocirca primo Aph.12. non ſolum pulſum contrectandum eſſe voluit vigilantiſsimus Gal. ad virium robur internoſcendum,ſed alia, quæ primo pronoſticorum deſcribuntur,tum ex ſymptomatis naturalibus,tum etiam animalibus, conſtantiam virium & integritatem venantia.Dum igitur aliundè,hoc eſt,ex habitus firmitate & aliarum à pulſatrice virtutum accidentibus,preterea ex ætate, nondum eſſe deperditas vires coniectamus, quanquam pulſus non adſit aut adſit obſcuriſsimus, à ſanguinis miſsione non deterrebimur, ægrotationi aliàs perquam neceſſaria. Quare excuſandus ne ſit, necne, Galenus falſi criminis, aliorum ſit iudicium: qui quùm apertè interceptis arterijs Hippocratem ad ſanguinis miſsionem deſcendere intellexiſſet, nihilominus tamen ceu oblitum Hippo. aut alium, quiſquis ille autor ſit,ſcopi à virtute capiendi,accuſare non erubuit. Nam qua quæſo ratione virium meminiſſet, in eo diſcrimine, in quo venis interceptis pulſantibus,ſola manebat coniectura ex rebus quibuſdam externis accipienda, habitu, nempè,ætate,rubore faciei & ſimilibus?Sanè in hoc ſilentio functionum vitalium, non habebat Hippo. vnde tollerantiam virtutis captaret,niſi multa cõſuleret,multa penſaret, plurima demum æſtimaret, antequàm ad tam efficax remedium progrederetur.Nemo igitur exiſtimet pulſum ſolum,virium eſſe indicem, quum eo abſente, nonnunquã liceat fortiſsimis vti remedijs, ſanguinis miſsione & expurgatione. Sed non contemnenda eſt tunc

Notatur Galenus.4. acuta.74.

pre-

præmeditatio, & ex multis rebus cœptum consilium, vti fecit Hipp. Sed vt tandem ad capitis vmbilicum perueniamus, illud est amplius addendũ: per ætatem vigentem, quæ scopus statuitur sectionis venarum, subaudire oportet adolescentiam & primos senes. Quod si cui durum esse videatur, habitus tertius sit scopus non ætas florens, aut duobus scopis dinumeratis magnitudine morbi & robore virium, addendum est, exceptis pueris.

Caput decimum.



E differentia quidem illorũ paulò post videbimus, de vtriusquè autem plenitudinis notis in præsentiarum cõtemplabimur, num mittendus omnino sanguis sit, quando hæ in homine solita adhuc obeunte negotia apparuerint, aut necessarium non sit vbi nulla magni morbi fuerit suspicio. Porrò quid hac de re sentiam vobis perspectum est, vt qui sæpe adfueritis mihi sanguinis missionem suadẽti aut podagricis, aut arthriticis aut comitiali morbo obnoxijs, aut melancholicis, aut ijs qui sanguinem anteà expuißent, aut in thorace structuram ad id malum idoneam sortiti essent, aut vertiginosis, aut ijs qui crebrò corripi solent angina, vel peripneumonia, vel pleuritide, vel hepatitide, vel vehementi opthalmia, vel, vt summatim dicam magno quopiam morbo. Quippè in his omnibus sanguinis

missio-

missionem neceßarium esse præsidium arbitror, confestim adhibitam, post habitam virium & ætatis rationem. Hæc si aliquando non dicantur, subaudire tamen oportet. Verum in his qui nihil tale anteà perpessi sunt, omniumque corporis partium inculpatam habent constitutionem geminam me viam vacuationis proponere nostis: per sanguinis quidem missionē, si in victus ratione fuerint intemperantes, citra hanc, si temperantes. Licet enim & frictione multa, & balneis, & ambulationibus, alijsq; motibus, ad hæc vnctionibus discutientibus, celeriter plenitudinem vacuare, modo tibi haud videatur nonnunquam crassi sanguinis esse redundantia. Talis est maximè melancholicus vt plurimum, sanguis: rarò verò crudorum vocatorum humorum: atqui in melancholica nominata redundantia sanguinem mittere præstat, aut omnino medicamento nigros humores purgante vti. Crudis verò humoribus abundantibus, antequam ægrotare incœperint, cautè vacuabis: vbi verò iam febricitant, vt antea dixi, nequaquam. Ceterum eorundem notam habebis tum plumbeum colorem, aut ex pallido album, omniaquè magis quàm rubrum, & pulsuum inæqualitatem. Si verò admodum creuerit eiusmodi plenitudo, etiam grauitas illis adest, & ad motus pigritia, mentisq; tarditas, & sensuum hebetudo. Contra verò quibus ex retentis hæmorrhoidibus coaceruatus sanguis fuerit, ijs audacter sanguinem mittes, etiam si anteà magnum morbum experti non sint: fieri enim potest vt apti sint ad eiusmodi aliquē, cæterū propter hæmorrhoidū uacuationem, nondū perpessi. Quòd si verò aliquæ illorum

partes

partes prauam sortitæ sunt structuram, potissimum quæ in thorace sunt, omnino eis celeriter sanguinem mittes.

Commentarius.

IN præsente disceptandum duxit Galenus, an apparentibus notis plenitudinum de quibus diximus, sit vsq; quaque mittendus sanguis, an potius cum illis adiũgi debeat, alicuius morbi magni suspicio. Respondet Galenus, in corporibus, morbis magnis obnoxijs, sicut vertigini, appoplexiæ, epilepsiæ, podagrę & alijs huius farinæ ægritudinibus, præsertim si commodam structuram nacta fuerint à principio suæ natiuitatis, ad ea mala sufferenda, exercenda est sanguinis emissio, tametsi sanas adhuc functiones obire videantur, idq; perquàm celeriter. In alijs verò corporibus nulli morbo idoneis, apprimè etiam constructa, sua membra possidentibus, geminam viam se obseruasse Galenus ait. In incontinentibus quidem salubriq; victui exiguam aut propè nullam operam nauãtibus, futura mala per sanguinis missionem anteuertebat, quæ quis meritò ex vitæ intemperantia, coniectaret: at si temperanter ageret, leuioribus præsidijs subleuandi erant, frictionibus scilicet, balneis, exercitijs, vnctionibus. Non enim perpetuò, vt superius contra Menodotum diceba-

tur, existentibus plenitudinis indicijs, extemplo mittere sanguinem est necesse, sed alijs satisfacit inædia, alijs soluta aluus 4. de sanitate tuenda. id tamen intelligatur moderatius, nam si plenitudo illa crassi sanguinis fuerit pariter ac melancholici, si in toto corpore resederit, sanguinis missione cõuenienter tolletur, vt quæ non aliter præ crassitudine, è toto corpore conuenientius educi possit. si verò in parte aliqua corporis solummodo inhereat, purgante medicamento, quod citra totius labem, vitiatum humorem seligat, vtiliter fiet. quẽadmodum. 3. de locis patientibus cap. de melancholia, istæc fusius enodantur. Quod si crassus fuerit & pituitosus, minus benè secta vena exhauritur: verumtamen antequàm in febrem incidant, cautius & tutius educitur, febre verò iam ingenita, penitus dimittatur phlebotomia: quoniam, vt anteà notauimus, in his non constant satis vires, atque hæ minus multò constabnnt febre accedente, vt potè quæ halitum insensilem augeat, & distemperet moderatum calorem, in quo vires sustinentur. Sed vt planè cognoscas quandò crudi humores in corpore dominantur, sequentia sunt notanda indicia: color plumbeus, ex pallido albus, pulsuum inæqualitas, ex superabundante, grauitas, pigrities ad motum, mentis tarditas, sensuum hebetudo: quæ quum in corpore cuiusquam conuenerint, crudorum succorum copiam præseferunt, sanguinis detractionem impedientem. Cæterum ab his omnibus excipias oportet, ea corpora quibus solennis aliqua vacuatio est cohibita, vt menstruo-

rum

rum fluxus,& hæmorrhoidum:quippe hæc tametsi nunquàm aliquem morbum fuerint perpessa, vacuanda tamen sunt quàm celerrimè. Fieri siquidem potuit, vt huiusmodi corpora in aliquē morbum incidissent, à quo propter tales vacuationes toto illo tempore fuere liberata:qua de causa, minus ægrotare fœminas autumauit Aris. 3. historiarum libro, quòd singulis mensibus magna ex parte,per vterum superfluentem sanguinem excernere consuescant. Quum ergò supprimuntur quæ consuetæ hactenus erant excretiones,haud immeritò ab imminentibus malis excusabit arte præueniens vacuatio, quæ, suo tempore defluentes fluxiones, quæ spontaneæ fieri prohibentur, iuxta illud sexti Epith. parte 3. comm. 37. (sanguifluis venis vexati, neque dolore lateris, neque pulmonia, neque lepra, neque terebinthis, capiuntur.). Et paulò inferius, (decubitus quidem in quibus facta tollit, hæc antequàm fiant, prohibet.) Eo maximè in effatis modò corporibus facienda venit præcautio, quò corporis fabricam, sunt adepta, suscipiendis malis promptiorem: siquidem quò plures causæ gignendis morbis habiles coierunt, eo magis racionabilem præstant, conceptæ suspitionis opinionem, de morborum generatione,

Cap. 19.

Comm. 40.

Caput XI.



DEM me sentire nostis etiam de mulieribus quibus mẽstrua est suppressa purgatio: nequè enim in ijs prorogare vacuationem oportet, quanquam uenam incidere non est necesse: nam malleolorum scarificationes ad vacuandum superuacuum sufficere possunt, quæ & aliud habent commodum, nempe quòd mensium motum concitant, quemadmodum etiam in malleolis & poplitibus sectæ venæ. Quippè plenitudines à retentis menstruis natas, ex cruribus omnino vacuabis, siue venam incidere, siue scarificare oporteat: sanguinis enim ex gibbero missio, purgationes muliebres reuellere consueuit. Cæterum quæ inter mulieres candidiores sunt, hæ sanguinem magis tenuem coaceruare solent, quapropter malleolorum scarificatione maximè iuuantur: at quæ nigriores sunt, secta vena curato, crassiorem enim & magis melancholicum sanguinem congregant, idquè magis etiam si magnas habuerint venas, hoc autem gracilioribus & nigrioribus accidit. Obæsis verò & candidis exiguæ sunt venæ, in ijs quidem malleolos scarificare præstat, quàm venam incidere: nam venas exiguas hæ in cruribus habent, proinde si etiam probè incidantur, nequè mediocriter sanguis effluit. Cæterum haud oportet nos contemnere sanguinis missionem

nem

nem ac si eßet auxilium minimè reuulsorium, quum me sæpenumerò conspexeritis in sanguinis è naribus eruptione vehemente, eo remedio vsum esse, & repentè effluxum sedasse. Conuenit autem, vti vidistis, non expectare donec ad extremum imbecillitatis vires perueniant, sed vbi quod moderatum est iam vacuatum eße videtur. prorumpentisq; sanguinis impetus validus permanet, secare in gibbero venam conuenit, dextra quidem nare sanguinem profundente è dextra manu, altera autem, è sinistra: simul verò cum hæc agis, artubus inijcito vincula ex fascijs, aut lanis: & hypochondrio quod è directo supponitur, cucurbitam affigito. Hæc & nos quum faceremus, vt nostis, semper erumpentem ex naribus sanguinem compescuimus, quum anteà experiremur medicamenta quæ scribunt, naribus esse inserenda, & fronti illinenda, omnia infirma eße. Proinde ad ea quæ supra de sanguinis missione dicta sunt, & hoc quoquè rationem Menodoti conuincit, putantis plethoricam nominatam syndromen, remedij nos admonere: nam affectus, qui nunc expositus est plethoricæ syndromæ planè contrarius est. vsurpamus autem in eo venæ sectionem, non vt vacuatorium, sed vt reuulsorium præsidium.



Commentarius.



DEM prorsus iudicium de mulierum suppressis menstruis habendum est, quod modò de hæmorrhoidibus fore obseruandum aiebamus, nisi quòd in his venam scindere non semper sit necesse, sed nonnunquam congruat haud mediocriter malleolorum scarificatio. atq; hoc quidem rectè fit, vel quia obœsę sunt & pauci sanguinis ac tenuis, aut quia repetere sæpe venarum sectionem in his, magni est timoris, propterea quod pleræq; in hydropam, & malum corporis habitum hac consideratione neglecta, perducantur. Monuerunt Aetius & Galenus huius consilij saluberrimi, dicentes (secare venam sæpe in anno non arbitror commodum, quoniam simul cum sanguine, vacuatur multus spiritus, refrigeratur vniuersum corpus) quocirca scarificationem maximè laudant quum sæpius retenta menstrua, concitare ad expulsionem enituntur. At verò in melancholicum sanguinem seu crassiorem generantibus, quales sunt latas venas habentes & nigriores, secta vena fit curatio: ob id quòd, qui difficilè per scarificatum prodibũt humores præ crassitudine sua, commodius per venam reclusam poterunt exire. Id tandem seruari debet præceptum pectoribus studiosorum defigendum summopere. Plenitudines à retentis mẽstruis exortas, ex cruribus omnino esse prouidendas,

Lib. de scarificatione & prima quaternionis sermone tertio. c. 21

das, siue venam incidere, siuè scarificare sit necessum: nam qui eas ex gibbero secta vena, excutere sibi persuasserunt, tantum abest vt id debitè præstent, vt potius purgationes muliebres cohibeant & aliò reuellant. Vt hinc mirari libeat quosdam, de quorum numero esse videtur Auicēna, qui lassitudinem patiētibus phlegmonosam, ex suppressis menstruis aut hæmorrhoidibus ortam, prius esse scindendam basilicam ad deponendam totius plenitudinem, pertinaciter contēdant, deinde verò cienda fore mēstrua, per malleolorum venę sectionem. Sed hi manifestè negant Galeni disciplinam, qua in vniuersum præcipitur, plenitudines ex menstruorum retentione coortas, per crurum venarum sectiones fore auferendas. Sic habet. (suppresiones menstruorum à cruribus semper vacuabis, siue venam scindere oporteat, siuè scarificare: reuellere siquidem consueuit, quæ ex gibbero fit phlebotomia, purgationes muliebres.) Sed aiunt, ablata totius multitudine, datur locus deinde, per quem detenta menstrua descendant, patefactis scilicet vasis, ac laxioribus effectis. Verum sanè est laxiora fieri vasa facta vacuatione: vndecūq; illa fiat: verum hoc frugis nihilominus sequitur detracto sanguine ex vena malleolorum. Præsertim quòd tunc neutiquam reuellimus ad contraria loca detentas purgationes, sed eas per conuenientem regionem, vsq; quaq; foras aduocamus. Hactenus, quartū affectum & tertium causas esse adurgentes ad sanguinē mittendū, Hippo. decreto roborauit, propter periculi magnitudinem vitandam:

dam: nunc quintum annectit affectum ac postremum, in quo sanguinem mittere necessitate quapiam adurgemur, non quidem vt exundantes humores euacuemus ac rescindamus, sed alterius vsus gratia, nempe vt inconuenienter fluentes retrahamus & in aliam multò diuersam regionem adire compellamus. Hoc sanè pacto vtiliter admodum in immôdicis sanguinis fluoribus, diarrhœis, dyssenterijs: atq; aliis eiusmodi passionibus, demimus sanguinem nonnunquam, haud quaquam vacuationem intendentes, sed solam reuulsionem: quod sequenti comprobatur demonstratione. Si adeò commodè citra vasorum ruptionem sisti possent immoderatæ vacuationes quantum eas reprimi pariter ac cohiberi detrahendo humorem conspicitur, proculdubio, illa species reuulsionis in primis esset amplexanda: quum tales sint affectus, qui vacuationem per se faciant, & repletionem potius desiderent Sic habet lib. 7. Trallianus de his agens fluxibus. ἀυτὸ καθ' ἀυτὸ τὴν κένωσιν ἄμετρον ἐπιφέρον ἀναιρεῖν πέφυκε. id est. ipsa passio per se vacuationem immoderatam efficiens, interimere nata est laborantem.) hoc etiam auxilio vtuntur autores in coercendis aliis fluxibus ab hæmorrhagiis, quòd ad diuersum trahat, & aliorsum atq; ipsi ruunt, conferat. Ita quidem Auicennas ait. (phlebotomia propterea quod ad diuersum trahat, naturam secundum plurimum retinet.) neq; id admiratione cuiquam dignum videri debet: quandoquidem omnes humores indifferenter vacuare, dicta est phlebotomia, a principio

Gale-

Galenus hîc ex gibbero secat venam fluente sanguine è naribus seruata rectitudine, quemadmodum sæpe alibi, quem sequutus est Aetius cap. de phlebotomia: at Trallianus, prodesse magis ex inferioribus factam sectionem loco nuper citato, affirmauit sequente oratione. (Auersio siquidem in partes longinquiores facta materiæ, multò fortiorem operatur reuulsionem) sed de his copiosius postea differetur. Cæterùm non est differendum auxilium reuulsorium, donec ad extremum imbecillitatis, ob superfluam vacuationem vires peruenerint, eo siquidem tempore, non feret languidum corpus vlteriorem vacuationem, sed quum, quod moderatum est, iam vacuatum esse credidérimus, manetq; adhuc erumpentis sanguinis impetus. Quod obseruabat Rasius dum inquit, (sed nō debet expectari defectus virtutis, tamen quoties videtur instantia valida, in primo fiat velox minutio:) quam obrē frustra fieri has reuulsiones probant sæpe experimenta, propterea quod extremā operiuntur pulsus debilitatem, & desperatam retentricis seu expultricis functionum salutem. Ecce iterum Menodotum iure conuellendum, qui quum in sola plethorica syndrome sanguinis eductionem dumtaxat conducere arbitraretur, euidēter nūc conuincitur: quando eam in affectionibus plethoræ maximè contrarijs, multis de causis admittimus. Pari opera redarguuntur quotquot eam imbiberunt opinionem, qua nunquam de aperiēda vena ineundum esse consilium putant, nisi rubra compareat vrina: quum, sæpius ob solam morbi

28. contin. tract. 2. c. 2

bi magnitudinem fieri debeat quemadmodum supra demonstratum est, etiam si nulla sit nota redundantiæ,& reuellendi quoq; causa interdum facienda sit,vt hîc ostensum est.Presertim quum nono de morbis curandis, expræssa oratione dictum sit,in continentibus illis febribus expedire sanguinis emissionem in quibus vrinæ pinguntur, parum ab his quæ secundum naturam, colore permutatæ.Non obliuiscitur aliarum reuulsionis differentiarum,quanquàm præter institutum, in cópescendo sanguine:nempe frictiones,vincula, cucurbitularum apppositus super hypochondria eiusdem lateris,aliaq; sexcenta remedia topica quibus passim vtimur,annumerari poterant,quæ quũ non contulerint, sectionem venæ tanquam vltimum refugium, reposcunt, libro aduersus Erasistratum. Hæc præterea breui temporis spacio repetenda est, hora vna scilicet aut altera intermissa, quod appositis digitis rectè fiet, citra ligaturam fascijs fieri consuetam: hoc equidem pacto efficacior fiet reuulsio,5.meth. & quanto particulares vacuationes maiorem in numerum auxeris, efficacius reuelles cap. sequente. Lib.de ossibus, σφύρα. idest malleoli, partes sunt conspicuæ, quæ in imo tibiarum vtrinq;prominent: nam talus astragalus Græcis, intro est abscondita particula. ἄγκων, Græcis. Passim interpretantur expositores, cubitus: non eam quidem partem quam peritiores vlnæ contra distingunt, sed quod vulgo acceptum est. Scimus etiam calidas naturas, latas obtinere venas, contrà vero frigidas, angustas:
illas

illas prӕtereà plus continere sanguinis, has minus, secundo de temperamentis.

Cap. XII.



IHIL æquè medicam artem in suis actionibus coniectricem efficit, atque cuiusq; remedij quãtitas: quippè quum frequenter exquisitè sciamus, tempus instare exhibendi cibi aut potus, eiusquè calidi aut frigidi, tamen quantum dandum sit certò haud scimus. Idem in purgantibus medicamentis vsu venit: nam quod ægrotanti præbendum sit medicamentum quod aut bilem flauam, aut atram, aut pituitam, aut serosa excrementa vacuet, exquisitè nouimus, cæterum quantum dari oporteat, ignoramus. Verum quod ita datũ est correctionem subinde nullam admittit: nam quòd semel in ventrem ingestum est medicamentum, quominus totum deuoratum sit fieri non potest, nec licet, vbi plus iusto iam purgatur homo, partem eius quod oblatum est, auferre. At in sanguinis missione, maximum id bonum est, vacuationem vbi voles poße sistere, ac rursum quo vtiquè placuerit tempore, iterum vt fluat permittere, quoad rectè tibi habere videatur: quocirca præstat, si nihil vrgeat, prima detractione parcius facta, iterum auferre, imò si volueris etiam tertiò. In quibus igitur multa vacuatione est opus, vires autem sunt imbecilliores, in his vacua-

cuationem recondere seu partiri conuenit, quemadmodum nimirum & me in his qui crudorum humorum copia laborabant facere conspexistis: nam pauco sanguine vacuato, protinus mulsam probè coctã, cum extenuantium medicamentorum quapiam aut hyssopo, aut origano, & nonnunquam calamintha, aut pulegio exhibeo, aut cum oxymeli, aut Oxyglycy, deinceps sanguinem rursum aufero, interdum quidem eodem die, interdum verò postero, in quo rursum similiter prædictorum medicamentorum, quodpiam exhibens, iterum sanguinem demo, ac tertio die similiter bis. Porrò vbi feruentis sanguinis copia acutissimam accendens febrem inerit, confertim vacuare expedit eamq; vsq; ad animi deliquium educere tentandum, virium inspecto robore: proinde noui quibusdam sex detractas cotylas confestim, nempè secundo vel tertio, vel quarto die, nonnunquam primo quoque die, quum febris noctis initio cœpisset, aut medio, ac quæ pridie comederant rectè fuissent concocta. Quibusdam autem pridiè inæqualitatem aut sudorem aut capitis dolorem, aut alterius cuiuspiam partis se sentire quærentibus, febricitare autem præcedente nocte incipientibus, primo die desinente, sanguinem me detraxiße memini. In quibus enim tibi feruentis sanguinis copia apparet, quàm ocissimè ipsum vacuare conator, priusquàm in principem aliquam partem cum impetu decumbat: quocirca nec per noctem nonnunquam incidere venam cuncteris, quippè ridiculum est quod quidam faciunt à secunda diei hora ad quintam aut sextam solummodo sanguinem mittentes, alio autem nullo tempore:

quos

quos nisi clysteribus, cibi oblatione, alijsq; remedijs quocunq; tempore noctis vti conspexissem, grauiter vtiquè in eos inueherer. Quum verò omnia agunt non præfinito horarum numero vno, & in omnibus morbis communi, sed vt malum vtiquè iubet, in sola missione sanguinis prædictum modò tempus semper obseruant, maximè tollerabile est illorum erratum. Sic itaque affectis ægrotis, vt diximus, ad animi vsque defectionem sanguinem detrahere conuenit. noui enim quosdam illorum ex animi deliquio necessariò esse refrigeratos, ac toto corpore succedentibus madoribus, aluo soluta, celeriter morbo liberatos. Bonum itaq; est pulsuum imminutioni attentum esse, tangentibus nobis eos sanguine etiamnum fluente, quemadmodum in omnibus alijs quibus sanguis mittitur, facere sum solitus, ne aliquandò nobis nihil tale opinantibus, pro animi deliquio mors succedat, quod tribus sanè accidisse medicis noui. Vnus eorum mulieri febricitanti venam incidit: aliorum vterque viro, sed ad tantam duxere animi defectionem vt refici amplius haud potuerint. Quocirca præstat confertas has vacuationes vitare ac fugere: nisi magna quædam necessitas, vt id faciamus, iubeat. Quin etiã reuulsio ipsa non leue existens auxilium, per sanguinis quoquè missionem sæpius facta, quantò maiorem in numerum particulares auxeris detractiones, tantò efficacior fit. Hæc itaquè præscisse melius est.

Com-

Commentarius.



HOc loco Galenus pluris facit auxilium sanguinis missionis quàm cætera, securitatis ratione,& mensuræ,quę in hoc pręsidio plurimum excellunt,quã- tum attinet ad medici certam dignotionem: quantitas porro singulorum præsidiorum nec verbis explicari, ne scribi vllo modo potest, vti sæpe numero apud Galenum scriptum est,indequè fit, vt ars Medicinalis coniectricis nomen mereatur,non certæ cõpræhensionis disciplinæ. Libro etenim de optima secta ad Thrasybulum, præcepta æterna cunctarũ artium pronunciauit,& si quid coniecturale in eis reperitur, in medentium actione & opera consistere: id equidem existimo dictum, propterea quod quantitatis incerta sit notitia, quam operantes artifices nunquam satis ad votum indipiscuntur. Quare non quantitas per se, deinde actiones medentium, coniecturalem efficiunt artem,vt Fuchsius voluit, sed actiones propter quantitatem ipsam, quæ in singulis quibusq; rebus inuoluta est, considerationemq; suam exoptat. Verum quanquam ita sit, præ cæteris sanguinis missio mensurari potest, & ad certam quantitatem proximè redigi: est enim in ea id excellens,vt eam sistere possis vbi velis, ac rursum quo vtiq; placuerit tempo

1. ad glau. & 3. met.

re,

re, iterum vt fluat permittere. Deinceps, quum præstantius sit infra subsistere quod necessarium est, & tollerabilius censeatur peccatum infra modum, primo de compositione secundum locos, ob eam quoq; causam sanguinis missio est anteferenda, quantum attinet ad quantitatem: siquidem prima detractione parciori visa, poteris iterum quod superest, atq; tertio demere, quod non ita facilè in alijs fiet. Quarè in imbecillis laborantibus summopere est commendandum istud præsidiũ, quod valeat ad nutum attemperari maximè omnium, eiusmodi sunt qui paucum obtinent sanguinem, & crudis referti sunt succis, in quibus ἐπαφαίρεσις. idest, repetita vacuatio conducit. & quia vires nõ ferunt simultaneam humorum eductionem, & interceptis spacijs, medicamentis attenuantibus poterunt præparari. Quod si vires nihil laboris recusent? & morbi magnitudo tanta sit, vt extremis cogat vti remedijs, ad animi vsquè deliquium vacuare nihil prohibet: ob id quod in calidissimis febribus, maximis doloribus, vehementissimisq; inflammationibus, nullum sit inuentum maius remedium. Accidit etenim post tam copiosam sanguinis emissionem, vt pleriq; ex animi deliquio refrigerentur, ac toto corpore succedentibus madoribus, aluo soluta, celeriter morbo liberentur: quorum quibusdam sex cotylas confestim detraxit Galenus, siue. 2 die, siue. 3. aut 4. die, nonnunquam primo, quum febris initio noctis cœpisset, aut medio, ac quæ pridie comederant probè fuissent concocta: in quibus enim feruentis sanguinis 1. Aph. 23

copia

copia apparet, quàm celerrimè vacuari debent priusquàm in partem aliquam principem decumbat. Neq; enim seruandum est cum quibusdã certum tempus ad sanguinem mittendum, à secunda scilicet hora ad sextam, sed cogente morbo, si febri coniunctus sit in ipsa declinatione seu febris remissione, in cæteris verò morbis à febre, in ipsa accessionis vehementia, vt postea absolutius dicetur. Verum tamen ne ex tanta vacuatione mortis sequatur periculum, quemadmodum imperitis Medicis aliquando contigit, qui nesciuerunt intra modum consistere: præstat nisi magna vrgeat necessitas, has immodicas vacuationes deuitare, quòd tutius sit, repetita vacuatione sustollere quod peccat, quam semel totum. Quæ si quandò fiat copiosissima, attrectandus est pulsus summa cum diligentia, vt cum pulsus mutari cœperit, aut in magnitudine aut vehementia, sanguine etiamnũ fluente, tempestiua fiat cohibitio. hac cautione vtebatur forsan Galenus, longè prospiciens barbitonsorum negligentiam in secandis venis, qui adeò sua ignorantia turpissimè superbiunt, vt si de vena secanda, aut sanguinis quantitate, eos admonueris, malint in pristino perseuerare errore, quàm neglectis prauis hæresibus, resipiscere tandem, & quid veraciter sit faciendum, probè nosse. Id ea causa dixerim, quòd sæpius cephalicæ ramum pro communi vena dissecari conspexerim, & rarissimè sanguinem liberè exire: ob id quòd nequè vbi sita sit communis vena vnquam norint, nec quanta diligentia obseruare debeant, ne cutis apertio, ab

Hic totam solis, in nostro hemispherio durationẽ in 12. horas secat.

ab ea quæ est in vena sibi subiecta, multum deuiet atq; dissideat. Extimuit Hippo. hosce barbitonsorum lapsus atq; errores, dum libro de medico hęc nobis iniunxit obseruanda. (Porrò venas in brachijs funiculorum appræhensionibus constringere oportet: caro enim contegens in multis nō probè coaptata est venę: vbi enim lubrica fuerit caro, non contingit sectiones vtrorumque iuxta seipsas fieri. Nam venam contectam insuflari contingit, & sanguinis fluxum impediri, multis verò etiam propter hoc, pus congregatur): inde arbitror euenire, vt rarissimè sanguis prodeat, quemadmodum debet: & quòd angustis admodum vtātur gladiolis, quum latioribus vti præceperit Hippo. nisi periculosus sit locus & circa quem tenuis sanguis existit: in alijs verò, latioribus vtendum esse iudicauit, quòd sic sanguis exeat, aliter nequaquam. Præsens igitur sit oportet medicus, dum vena secatur, vt isthæc mala procul arceat, & huius modi chirurgorum tollat inscitiam: & quantitatem etiam metiatur sanguinis extrahendi. Cæterum vt quæ hîc traduntur à Galeno, reddantur perspicua magis, tyronibus magis etiam vtilia, consentaneum uidetur nonnullas quæstiones exagitare: plura alia consultò præteriens, quæ alijs in locis vtilius disceptabuntur. Primum quidem meritò quæretur an liceat medicis impunè sanguinem ad lipothymiam educere & quibus in ægritudinibus? Auerrous atque eius asseclæ tribus aut quatuor argumentationibus ablegasse legitur tam copiosam vacuationem ab scholis medicorum. Passim

Lat⁹ sit gladiolus barbi tonsoris: nisi sāguis sit tenuis, aut locus periculosus.

7. collectio c. 8.

item Auicenna, similiter & Galenus melius esse censuerunt à tam immodica vacuatione abstinere, aclamantes interim, (peccatum infra tollerabilius esse.) Profligauit etiam Galenus Erasistratum hoc potissimum argumento, quòd hoc auxilium sit præ cæteris amplectendū, propterea quòd omnium maximè sit commensurabile: nec vnquā illud admissit quin prius adiecerit, ἐρρωμένης τῆς δυνάμεως. idest valida existente facultate. Quòd si robusta exigitur facultas vel in ipsa sanguinis missione, qui fiet vt ad lipothymiam seu animæ defectum mitti permittatur? Oribasius libello compēdij cap. de sanguinis emissione sic reliquit scriptū. (quando ex calore sanguis multum exardescit, & acutam subito excitat febrem, & euacuari est opus, si oportet vacuetur vsque ad angustiam, contemplando virtutis fortitudinem.) Satis profectò explicuit interpres mentem Auerois, dum angustiā seu conflictationem conuertit, quæ exolutionem quandam, & quod historici linqui animo dicunt, præsefert. Celsus lib. 2. cap. 10. hanc protulit sententiam (tamen si iam satis fluxit, supprimendus est, semperq; finis faciendus est ante quàm anima deficiat.) Neq; alio sensu Auicenna, vndecima tertij canonis cap. de syncopa ad hunc modum subscripsit. (Quando accidit syncopa ab euacuatione humorum, virtute vitali adhuc forti, non est timendum, & illa est sicut syncopa quę accidit post phlebotomiam.) Poposcit ergò in tam copiosa vacuatione vires validas saltem vitales: quamobrem, dū autores ad animi deliquium vsq; sanguinem mitten-

Oribasius.

tendum esse decreuerunt, non quidem proinde voluisse existimandum est, prosternendas esse vires cordis larga vacuatione, siquidem vsquequaq; postulauerint & dum facienda proponitur vacuatio, & quum facta est, robur vitalium facultatum: sed animum duntaxat hoc est animales vires, patiuntur interdum exolui, & detrimētum motus, & sensus quadamtenus experiri, vt maxima parte causarum morbificarum expulsa, valeat ægrotantis corpus ad salutis portum, quantum datur, perduci. Ad hæc 1. Apho. 23. conclusione, declarans qualis sit animi defectio, in quam deducendus sit æger, non de ea quæ surgentibus aut expauescentibus laborantibus solet accidere loqui Hipp. insinuaui, sed quæ vacuationis causa prouenit: at veró quū timēt sectionem venæ, non deest pulsus aut vlla ratione concidit pulsatilis virtus. ergo neq; secta vena id expectabitur. Insuper omnium vacuationum duas notas reliquit artis medicinalis parens, tollerantiā conferentiamq;, quibus quantitas vacuandorum mensuretur: ast tollerantia, nemine ex sapientibus excepto, potissimum in vitali facultate spectari iubetur, cuius dignitas in morbis etiam, nunquam satis extollitur, & tanquam necessaria commendatur. Libentius multò quispiam amplexabitur dogma propositum, Auerooq; pertinacius addicetur, si Galenum audiuerit. 12. meth. de febre cum syncopa complicata tractantem: vbi, manifestam differentiam inter syncopam & lipothymiam seu lipopsychiam designauit inquiēs. (Memoratus crudorum succorum affectus, si & copia hi vires pre-

4. 1. c. 3.

7. Meth ad finem.

mant,& propter tum multitudinē,tū crassitiē exiguos animalis meatus obstruāt,iam multis nominibus exitialis est,ac syncope opportunos reddit. Quòd si neq; obstruant nec onerent, syncopē hi certè non inferunt,sed animi deliquia(quas Greci lipopsychias vocāt.) Vndè sine dubitatione,animi seu animalis facultatis permittitur ex euacuatione debilitas,quæ anxietas quædā est & cōflictatio, oculorū hallucinatio, nequaquā pulsatricis: nimirū defectus animi, proprius animalē respicit potestatē,nō cordis.Quod quidem olfaciens Auic.vndecima tertij can.c.nono ad hunc modū scripsit.(Et scias quòd casus virtutis quādoq; perducit ad syncopam,& quandoq; ad id quod est infra syncopā, vbi virtus non destruitur nisi à neruis aut lacertis, ipsis existentibus ab ea vacuis:)quod alia oratione nuper citata exposuit enodatius, qui virtute vitali forti quandoq; sequi ex euacuatione syncopam affirmauit, eam scilicet quæ est neruorum & lacertorum.Hisce probationibus quas mihi ipsi diutius faciebā,persuasus,defendi publicè nunquam ex sententia virorum antiquissimorum licuisse sanguinē mittere vsq; ad syncopam, hoc est, virium omniū præcipuè cordis collapsum, quod Auerous intendebat, benè tamen ad lypothymiam, idest neruorum imbecillitatem similiter & musculorū, quod voluerunt Hippo. atq;,eius discipuli. Hæc autem imbecillitas explicatur ab Auicēna hoc pacto. (In qua fit homo non motus, neque remouetur à : tu suo & statione nisi cum labore :) quam proculdubio non negaret Auerous, neq; superius adductæ

Lipothymiam, non syncopā permittet medicus.

argu-

argumentationes improbarunt. Nam vulgarium medicorum responsiones fatuæ sunt prorsus, quibus de syncopa reparabili, aut irreparabili, inclusiuè aut exclusiuè fuisse sumptam syncopam in præsente cōtrouersia enixè contendunt: quum euidēter Hipp. ad rauim vsq; proclamarit (donec superueniat lipothymia sanguinem esse mittendum) voce hac Grȩca interdnm vtens, ἕως ἄν. interdum verò μέχρι, aut ἄχρι, quæ deliquium ipsum includunt, nulla ratione videntur excludere. Quæri solet deinde & meritò quæ nam sint affectiones quibus conuenire aliquandò prȩfatam sanguinis eductionem consensimus. Cui quȩstioni Galenus satisfecit prima Aphorismorum. 23. dum eam, in maximis inflammationibus, ardentissimis febribus, & vehementissimis doloribus fore exercendam declarauit: nec fingit animus aliam, præter has affectionem, cui tam efficax remedium adhiberi cōmodè debeat. Sed explicandus est Galenus, non temerè, & vtcūq; recipiendus. Quippè, quamuis in ardentissimis Grȩ. διακαυστάτων, tantam vacuationem moliatur, eamque esse faciendam præceperit, non protinus in biliosissimis febribus foret exercenda: nimirum quum. 6. Epi. parte 3. comm. vltimo, in valde biliosis cauēdum esse à sanguinis missione, decretum sit. Non paucos etiam inuenias huius sententiæ, qui in cau one per se nunquam conuenire talem vacuationem defendant, non solum ipsam sanguinis missionem accumulatius acceptam: eiusmodi factionis extitit Apponensis differentia centesima, septuagesima sexta, quoniam

ſanguinis emiſsio vacuat multitudinem in cauſone ſola bilis redundat, cui expurgatio æquius eſt adaptanda: Campegius etiam in diſceptatione apologetica hanc elicuit concluſionem. In febre exquiſitè calida, & ſicca qualis eſt tempore caniculæ, in iuuene flaua bile abundante, in febre magnæ inflãmationis, ſanguis mitti haud quaquam debet. ſic etenim Galenus primo ad Glauconem vetuit ſanguinis miſsionem, quum plus æquo feruet ambiens nos aër. Barbari ferè cuncti prima quarti in cauſone, & bilioſis, prohibent ſanguinem mitti, & ſi quandò illius admittunt extractionem tunc præcipuè, quum aut vincit ſanguis, aut cum eo humore qui vincit, eſt permixtus. Quòd ſi ab illis rogaueris, quæ ſit ratio huius permiſtionis, neminem ſanè reperies, qui faciat ſatis. Nam qui eam in eo eſſe ſitam interpretantur, vt plurimum vnius ex permiſtis humoribus contingat, plurimum alterius, aut quando naturæ ſanguinis humor alius peccãs eſt vicinus, ariolis ſolum coniectandam quæſtionem dimittunt, nihil in re, quę ſenſibus minimè deprehenditur, vtilitatis continentem. Satius fortaſſe reſpondiſſe quibuſdam videbitur Gẽtilis Fulginates, dum craſſam rubramque vrinam huius permiſtionis deſignauit indicium. verum enim verò mihi ſæpius Galenum de hac re conſulenti, nuſquam contingit offendiſſe, vbinam iſtiuſmodi ſignum requiri dicatur ad ſanguinem mittendum. Porrò nono met. vrina parum diſtante ab ea quæ ſecundum naturam exiſtit, ad animi deliquium vacuat per venæ ſectionem: nec vnquam hanc notã,

inter scopos siuè mensurantes, siue per se indicantes id genus auxilij repoſuit. Nobiſcum conſenſit Manardus vir doctiſsimus in epiſtola de conſilio pro laborante Ephialte, qui non eſſe deſiderandã hanc notam pro ſanguine mittendo multis comprobauit teſtimonijs, nam omiſsis quam plurimis affectibus, caſu, percuſſu, fluxionibus magnũ morbum pollicentibus, quis eſt adeò ſanguifugus, qui conſtante virtute & morbo magno imminente, non mittat ſanguinem? fateor equidem millies in febriculoſis morbis non ſolum in alijs ab his, miſſo ſanguine maximam ſucceſsiſſe vtilitatem, tametſi vrinarium excrementum longè admodum diſſederet à calore rubro: ad id faciendum potius veniens, pulſus magnitudine, grauitate corporis, & dolore phlegmonoſo alicuius partis impulſus, quàm vrinæ rubro calore. Ac vt neotericorum argumentationes reddamus inermes, quibus in cauſonis medicatione, ſanguinis effuſionem ceu virus peſtilẽtiſsimum oderunt: quæ ſequuntur ſunt paululum exploranda, præcipuè quæ ſuperius extant adnotata. Nempe alia eſſe quæ genus auxilij ſubindicant, alia quæ eiuſdem quantitatem metiuntur: rurſus aërem impenſius calidum, non penitus phlebotomiam arcëre, ſed quantitatem moderari: quòd ſi ſit bilis, aut aëris caloris exuperantia vſq; adeò increuerit, vt vires imbecilliores reddat, & ad ſuſtinenda fortia remedia minus idoneas eas efficiat: iam equidem non cõſentientis virtutis cauſa dimittitur præſidium, non ſui cauſa. Quocirca in his rerum caſibus cautius eſt mittẽdus ſanguis

Non ſunt petendæ vrinæ rubræ ad venæ ſectionem.

inspectoq; virium robore, queamadmodum Barbarorum primipilos Aueroum & Auicennam, effecisse par est in ipsius causonis curationis principio, hoc ceu potissimum remedium capesserũt, Quo pacto ergò Galenus in ardentissimis febribus quæ nequeũt non esse biliosissimæ, tam audacter sanguinem dempsit, & vsq; ad animi deliquium? Respondetur per hanc dictionem, διακαεστάτων, qua in citato Aphorismo Galenus est vsus, quaque maximos causones significasse mos est antiquis, non biliosissimas comprehendisse febres, sed sanguineas, & quæ plurimo sanguini referendæ sunt acceptæ. Mox etenim Aphorismo eodem pro ardentissimis. θερμοτάτοις. Id est, calidissimis, est mutuatus: quò facilè doceret, non de intensione calidissimis, quæ sunt biliosissimæ, se tractasse, sed de copia & multitudine feruentissimis, cuius modi sunt, quæ ex sanguine producuntur. Ita siquidem synochos calidissimos nuncupauit primo de differentijs febrium cap. nono. Hoc loco etiam his repetiuit hanc orationem (vbi feruentis sanguinis copia acutissimam facit febrem, sanguinem ad lipothymiam vsq; vacuato:) quibus palam colligitur, de feruente sanguine, de calidissima vaporum copia, non de qualitatis intensione & acrimonia ipsum habuisse sermonem. Præsertim quum continentes febres & qui ex sanguine gignuntur synochi de genere sint ardẽtium, sola acutie ab illis differentes, secundo de crisibus cap. sexto: de quibus in præsenti controuersia tractauit Galenus. Et sicuti non in omnibus vehementissimis doloribus

Ardentissimæ febres sunt sanguineæ.

expediet tam exacta sanguinis vacuatio, sed in his qui ex sanguine ortum ceperunt: ad eundem modum non in omnibus ardentissimis febribus, sed ex sanguine genitis. Ait secundò in vehementissimis doloribus non inuenisse congruentius remedium, quàm sectionem venæ ad lipothymiam vsque confectam. Sed primo ad Glauconem capite de cura febrium cum symptomatis, postquam condonandum esse aliquid symptomatum vehementiæ nos docuit, parciusque esse faciendas vacuationes propter symptomatum magnitudinem, atque morbus ipse postulare videatur, intulit. (quomodo si vigilia vehemens, & si dolor fortis laborantem conturbet, cauendæ sunt simultaneæ & multæ vacuationes.) Quarto acutorum, commentatione. 74. ad vacuandam sanguinis redundantiam ex doloris acutie peruenimus, ad lipothymiam verò ex virium robore ex ætate & plenitudine sanguinis, ex habitu, ex tempore, ex temperatura & regione): quibus verbis, vehementiam morbi & doloris non ostendere largam adeò vacuationem expressit, sed ex alijs fore captandam euidenter ostẽdit. Ad priorem Galeni orationem, sciolus quidã, publicis contentionibus quæstionem agitans, perinde ac si è tripode proferret, intelligendam fore pronunciauit, quando symptomata eò magnitudinis increuerunt, vt vires prosternant & primarius virtutis scopus deesse videatur. Sed valde mea sententia decipitur, & parum perpendit, quæ mirum in modũ celebratur disciplina eo loco: quippe si

pe si responsionem expenderis, non symptomatum causa tunc impeditur sanguinis missio, sed ob virium languorem, potuissetq; paucis verbis, absq; adeò prolixa symptomatum dinumeratione, enunciari, vbi aliqua de causa vires languent neutiquam fiat euacuatio. Multò plus subesse cõsilij in illis Galeni speculationibus facilè colliget, qui complicatos affectus in lancem vocari tunc intellexerit, exactèq; fore trutinandos, vter nam sit vehementior, & quantum noxæ ex illorũ quolibet ægrotanti corpori accedet: vt pensata noxa, quam illorum quodq; valet inferre, subinde & quàm vacuatio ipsa alijs scopis intenta conferet, communi facta supputatione, de vacuationis quãtitate, quæ aliàs fieret, dematur aliquantulum. Sic enim fiet, vt vires post vacuationem supersint, quę morbo valeant repugnare. In dolore forti non vetuit quidem sanguinis extractionem, ac proinde vires constare tunc creduntur: verum facta existimatione debilitatis virium, quam dolor per se faciet, prohibuit quo minus tantum vacuaretur sanguinis, quantum si nihil illorum prohiberet, educeretur. Eademq; ratio prorsus est obseruanda vbi indicatio aliqua in morbis implicatur, quæ suapte ratione dissolueret vires, qua neglecta, procul dubio multa sequentur incommoda, & plurimæ succedent vacuationes immoderatæ, quæ, citra alterius indicationis à viribus connexionem, satis censerentur moderatæ. Hinc nascitur illa ætatis, regionis temporis, vigiliarum, fluxus, febris magnæ seu intensæ, delirij & laborantis inquietudinis, suffocan-

Quo pacto vehemẽs dolor venæ sectionem inhibeat.

focantium morborum , tantopere celebrata memoria, & illorum toties repetita admonitio: ne si vſpiam contigerit medico abſq; illorum contemplatione vacuationem exercere, quanta opus eſſe ſecundum morbi exigentiam viſum eſt, ſciant rei publicæ cenſores haud impunè laturum, qui negligenter adeó Medicinali operationi incumbit. Ac vtinam lata eſſet iam lex quę audaciſsimos plurimorum hominum refrigeret conatus & inuerecũdam idiotarum caſtigaret audaciam. Quanquã enim temporibus antiquiſsimis impunè quoq; liceret experimenta per mortes agere, id equidem noſtro tempore non probarem, propterea quod plus æquo videam gentes omnes lucro operã impendere, ac per fas nefaſq; pecuniam vndecunq; perquirere, adeo vt ineptiſsimi quiq; inſipientiſsimiq; non vereantur publicè medicinale munus exercere,rem adeo difficilem nec vnquam vel ſapientiſsimis ipſis ad votum intellectam.Sed reuerſi ad inſtitutum ſermonem, oſtendamus exactius quanti interſit ſymptomatum ac quorumcunque aliorum vires deijcientium habere rationem: hac quippè de cauſa in phrenitidis medicatione magnas cauerunt vacuationes antiquiores, timentes sũmopere inſanientium inſultus & vehementiſsimas motiones, quæ vires ipſas deterunt atq; comminuunt. Similiter & in angina præcipitur. quoniam quum magno opus ſit virium apparatu ad thoracem attollendum, haſq; gutturis coarctatio vehementer ob impeditam ſpirationem offendat, iure optimo vacuationis comminuitur quantitas,

vt vires ad eas faciendas motiones constanter sufficiant. Itidem subaudiendum est, in spasmis, vigilijs, & consimilibus: in quibus omnibus eatenus vacuationes minuimus, quatenus coniuncta morbo affectio, virium custodiæ reluctatur, semper conferentibus nobis quantum virtutis exhaurire valeat à symptomate proueniens cruciatus. Hinc quoq; nata est illa medendi præuaricatio. 12. metha. principio tam ardenter nobis inculcata: nam quum antea morbi indicationem affirmauerit esse curatoriam, causæ vero præseruatricem, has esse perpetuo seruandas significauit, nisi vrgeat præstantius symptoma. Quod quidem quáquam per se & primum curationem neq; permutet, neq; indicet, quatenus tamen vicem sortitur causæ aut morbum augentis aut vires debilitantis, peruertit priores indicationes, quum vrgentius solicitat, exempli causa. Dolor vehementissimus nihil indicat faciendum in particulari, neq; inde cóstat quid facies, aut quibus illi patrocinari conueniat, verũ à causa ipsa hæc omnia desumuntur: ast, quum vehemens est adeo, vt vires dissipet, vigilijs, inquietudinibus quas facit maximas, omissa tunc causarum indicatione quæ ablationem sui demonstrat, ad stupefacientia remedia, quæ dolorẽ sedent atq; permulceant accurrimus, non hercule morbum curantes, sed solantes tantummodo. Consulentes itaq; tyronibus, hæc sit habenda in his rerum contrariantium plicis, extricatio. In primis aduertant oportet, quantum symptoma illud dolorificum vires exagitet ac conturbet, non enim æquè in cun-

ctis,

ctis id pręstabit: plus siquidē in calidioribus, rarioribus, tenuioribusquè refertis succis, sensuq; etiā acutiore præditis, quàm in contrarijs naturis nocebit. Præterea vires æstimandę sunt laborantis, quo cœlo, qua regione, quo habitu, quo victu atq; alijs, fulciatur vitam protegentibus adminiculis: quibus hinc & inde probè collatis, vrgente dolore sanguinem mittimus, quantitatem vero scopos attendentes superius enarratos, metimur: cauentes vsquequaq; symptomatis nocumenta, quæ si parua fuerint, vires vero constantissimæ, ad lipothymiam vsq; licet perducere. Cæterum quia solet Auicenna decernere, sanguinem non esse de numero eorum quæ spectant coctionem, tametsi eundem præparet interdum aqua mellis in qua origanum, hyssopus, aut huiusmodi aliud medicamentum incoquatur, haud iniuria inuestigabitur, deceatne ipsum sicuti cæteros humores ad expulsionem apparare: præcipue quùm Galeno autore in pręsente crudi humores per epicrasim sint vacuandi, paulatim facta coctione, & vicissim facta sanguinis emissione. Cautius aliquando hanc sanguinis præparationē tetendit quarto acuto. comment. 28. vbi fusilem humorem & ad exitum promptum eum reddit, frictionibus, balneis, inunctionibus, aliquando etiam præmissis deambulationibus, & erga propria munia exercitamētis, ante venæ sectionem. Quocirca quùm sanguis ineptus existit vitio aliquo qualitatis ad egressum, curauit antiquitas eiusdem pręparationem medicamentis crassitiem incidētibus & gluten detergentibus: secus multo sanguine cō-

4. acuto. 74

4. 1. c. 20.

sisten-

ſiſtentiam naturalem ſeruante, factura. Quam obrem quanquam. 7. Apho. 46. plethorica moleſtante diſpoſitione fundere humores extimuit, neque enim vinum aut balneum tollerat plethorica paſſio abſq; maximo detrimento: imo ſi in toto corpore adſit plenitudo, prius diſrumpentur oculorum tunicæ inter lauandum & bibendum.) Verum tamen adhuc, vitato ruptionis periculo, quod ſecta prius vena deuitatur, non dubitauit frictionibus, tegumentis, fomentis fundere ſanguinem in pleno corpore, propterea quod aperta prius vena quam fundatur, non ſequetur vaſorum diruptio: iuxta Hippo. & Galeni experimenta, quibus apoplexiæ ex plenitudine ſubuenerunt quarto acutorum vigeſimo octauo. Nihili facio in preſente quæ ad hanc quæſtionem vulgares Medici reſponderunt, tum quod falſa ſint prorſus, tum etiam quod leuiſsimis ſint corroborata fundamentis. Si nos & gentiles euoluas. Oxyglycy, ex aceto & ſapa componitur, adiecta interdum aqua potabili cocta vt ex conſtantino lib. 8. de re ruſtica, cap. 35. elicitur à Fuchſio: quanquam non diffiteatur ex aceto & paſſo poſſe componi, quod γλυκὺ paſſum, hoc eſt, ex vuis paſsis confectum vinum denotet. Verum tamē ſi Galeno credatur quemadmodum par eſt, ὀξυγλυκὲς. dilutum eſt ſeu decoctum fauorū, quod hoc modo concinnatur. Expreſſo prius melle, faui in lebetem aqua munda plenum inijciuntur, coquūtur deinde donec humiditatem quæ eſt in ipſis depoſuerint: hoc vtebātur antiqui frigida aqua permiſta. Secundo libro de fracturis commentatione

Oxyglycy quid ſit apud Galenum.

tione vigesimanona. Cotyla, mẽsura est apud Grecos Medicos nouem vncias capiens, sicuti cum agricola libello de compositione medicamentorũ asseruimus: sicut hemina apud latinos, decem metiebatur vncias, ipsiusq; sextarij semis dicebatur.

Cap. XIII.



Vrsum verò ab initio ad propositam nobis speculationem reuertentes exponamus, quæ summè esse necessaria ijs, qui semper sanguinis missione citra noxam vti volẽt, compertum habemus. Primum quidem omnium scire oportet dum prædicti huius præsidij scopi augentur, maiorem indicari vacuationem: imminutis verò, tantum de quantitate vacuationis detrahendum, quantum illi imminuti fuerint. Morbi igitur magnitudo vnà cum robore virtutis primi mittendi sanguinis scopi fuerunt, ille quidẽ, quæ facere oportet indicans, hic verò tanquam illum haud impediens, quòd simul indicare nonnulli recentiorum medicorum vocant. Interdum enim affectus ipse sanguinem mittendum esse iubet, virium verò imbecillitas prohibet: ambobus autem ijsce scopis præsentibus constat quidem, vt dictum est antea, nullam plenitudinem crudorum humorum tantam taleque esse, vt hoc remedium impedire queat. Deinceps autem considerandum erit quale sit hominis naturale temperamentum: nam amplas habentes venas, medio-

Quã ca. 9. in fine intercæpit.

Cap. 9.

mediocriterq; graciles, & minimè candidos, neq; tenera carne præditos, liberalius vacuabis: eos autem qui contra se habent, parcius: Quippè sanguinem exiguum habent, carnemq; facile transpirabilem. Hac igitur de causa neq; pueris sanguinem mittes vsq; ad 14. ætatis suæ annum: post hunc verò, si sanguis multus coaceruatus appareat, tempusq; anni vernum fuerit: & regio natura temperata, pueriq; natura sanguinea, sanguinem eò magis auferes, si vel peripneumoniæ, vel anginæ, vel pleuritidis, aut alterius acuti ac vehementis morbi periculum immineat. Primum autem, vt plurimum cotylam auferes, quòd si posteà tibi vires expendenti validæ permanere videantur, dimidium eius iterata detractione adijcies. Didicisti verò vehementi pulsui cum æqualitate, tanquam certo & minimè fallaci robustæ virtutis signo fidendum esse, ex abundanti autem etiam magno. Proinde & septuagenarijs, prædictis pulsibus præsentibus, quando iubet affectus, sanguinem mittes: sunt enim nonnulli etiam in hac ætate multi sanguinis, vnà cum validis viribus, sicuti alij sicci & pauci sanguinis, facileque quacunque corporis parte percussi nigrescentes. Itaquè non numero solum, quod quidam faciunt, animum aduertes, sed & corporis habitui: nam sunt qui sexagessimo ætatis suæ anno sanguinis missionem non ferunt, quum septuagenarij ferant. Atqui minus ijs vtiquè auferes, etiam si eundem affectum quem florens corpus, habere videantur.

Com-

Commentarius.



Epetit summam eorum quæ necessariò nobis sunt examinanda, si volumus tutò, certò ac perfectè languentibus hominibus mederi. Primum igitur omnium, præcipuos sibi proponat scopos necesse est, quos duos supradiximus, morbi scilicet vehementiam, & virium robur, alterum quidem auxilium ipsum indicantem, alterum verò non prohibentem, quem coindicare antiquiores dixerunt, vt lib. de optima secta taxantur. postea cæteros omnes qui in illis sæpe citatis versiculis continentur, percurret, qui si, cum præcipuis conuenerit multitudinem humorum & robur viriū præ se tulerint, maior copia sanguinis exhaurienda est, sin minus, tantò parcior quantò illi minus sanguinis subesse ostenderint, extat demenda. (Ambobus scopis præsentibus magnitudine morbi & robore virium, nulla est plenitudo succorum crudorum quæ sanguinis missionem inhibeat) hic locus planè cogit ad sentiendum, in omni affectu citra discrimen mittendum esse sanguinem, quanquàm nos aliter censuerimus qui faciendam esse distinctionem humorum peccātium arbitrati, plerunq; euenire concedamus, vt purgatio conueniat, sanguinis missio nequaquam, duobus etiam primis scopis coeuntibus. (vt plurimum cotylam auferes, iterata detractione dimidiū eius

adijcies) hinc colliges quàm pauca manu hodie sanguis vacuetur: audies siquidem passim quatuor vncias imperari, rarò admodum plures, nec mirũ videri debet, si in secundis aut tertijs venarum sectionibus, quatuor non plures vncias extraxerimus, illud admiratione magis dignum, quòd primam venæ sectionem parcam adeò iubeant, posteà verò copiosam magis audeant demandare: cũ Galenus primas audacius, secundas timidius consueuerit facere venarum sectiones.

Cap. XIIII.



PTIMVM quidẽ erit priusquàm incidatur vena, hæc omnia expendere, maximè de retentis hæmorrhoidibus, & purgatione muliebri. Quandò igitur incisa vena sanguis effluit, mutationi eius, præsertim vbi iam phlegmone adest, & labascenti effluxionis robori, potissimum verò mutationi pulsuum, tanquam indicio nequaquàm mendaci animum attendere, confestimquè quiescere pulsu vel in magnitudine, vel in quauis inæqualitate mutato: nam de mutatione in imbecillitatem quid attinet dicere? Quippè didicisti in huiusmodi qualitate certum validarum & infirmarum virium fieri discrimen. In quibus autem propè sectam venam ingens quædam phlegmone est, optimum fuerit sanguinis & in colore, & in consistentia

tia mutationem expectare, quemadmodum etiam Hippo. in libro de victu acutorum de pleuritide verba faciens significauit: alius enim qui iuxta phlegmonem hæret sanguis, est ab eo qui secundum naturam se habet, vt pote plus calefactus: si enim anteà crudior erat, rubicundior & flauior fit, sin eiusmodi prius erat, adustus in nigrum conuertitur. Quo circa Hippo. de pleureticis ita scriptum reliquit: (incidenda verò in gibbero interna vena, nec cunctèris copiosè auferre, donec rubicundior, flauiorquè multò effluat, vel pro puro & rubicundo liuidus, vtrunque enim accidit.) Nam signum statuit, aliquid sanguinis eiusqui est propè phlegmonem, in sectam venam assumptum esse, in hoc quòd mutatio in eo appareat: non tamen omni ex parte hanc expectare oportet, verum accidit interdum vt antequam hæc fiat, cessandum sit, duabus de causis; quòd videlicet imbecilla sit virtus, aut phlegmone maligna. Nonnunquam enim nihil concedit, sed vehementer impactus est sanguis. Si itaq; virtus vacuatione nondum exolui videatur, pulsum iam ipsorum attingens, vbi is cui sanguis mittitur ætate viget, mutationem expectare conuenit: idq; magis si ambiens temperatus fuerit. Duo enim hæc suntpropter quæ maximè coniecturalis in hoc præsidio vacuationis quantitas efficitur: nempe quòd qualis sit laborantis natura nobis exquisitè cognoscere non liceat, & ambientis temperamentum quale sit à missione sanguinis futurum. Quando enim febrilis calor multum sanguinis discutit, æger, verò tenui vtitur victu, necessariò breui illum alimentum ex sanguine deficit, interimq; virtus

exoluitur. Absumitur autem ob ægrotantis temperamentum, siquidem calidum & humidum existat, quale etiam est puerorum: propter verò ambientem, si regio calida, & æstiua fuerit hora. Quo circa minus detrahimus, quàm plenitudo imperat per ætates quidem, in pueris: per corporis habitus, in iis quibus mollis teneraq; est caro, & candidis, quales sunt Galli: per tempus autem, sub cane, similiter verò per regiones & temporum constitutiones. Alia autem ratione, vt antea est comprahensum, in contrariis, hoc est in frigidis tum temporibus tum regionibus largam sanguinis vacuationem fugimus, propter sequentem nimirum refrigerationem. Quapropter vnum definire in vnoquoq; dictorum, vacuationis modum scripto non licet: noui enim quibusdam sex libras sanguinis detractas abundè fuiße, vt febris confestim extingueretur, nec vlla virium sequeretur afflictio: nonnullis verò sesquilibram, haud citra leue saltem aliquod virium detrimentum: quibus si quis duas vacuaßet, summè vtiquè læsisset. Proinde noui etiam quibus vnam vtiliter detraxi libram, & hac non nunquam etiam minus, idquè à venis gibberi, poplitis, & tali: nam ex venis quæ ad magnos sunt oculorum angulos, aut sub lingua, nihil effatu dignum effluere solet: sicuti nec si quis in pedibus, aut summa manu incidat venat, quemadmodum qui lienem curari arbitrantur à venæ, quæ ad secundum paruorum digitorum est: sectione, de qua fusius deinceps dicetur.

Com-

Commentarius.



VAEDAM sunt exactius expendẽda antequàm vena secetur, si velit medicus, vt modo dicebamus, citra corporis iniuriam, phlebotomiam exercere. hæc sunt decem illa tantopere hucusq; repetita. ast alia sunt quæ in ipso sanguinis effluxionis tempore considerari debẽt, de quibus in præsenti cap. atq; hac sũt tria, coloris mutatio, labescẽs fluxionis impetus, & pulsus inæqualitas. Tertiò, solent ab Hip. designari duo alia indicia, quibus iudicium vacuationis effectæ firmum ratumq; fuisse contestamur, pariter ac ex institutionibus artis deductum. illa sunt tollerantia & conferentia, quibus solis ceu fidelissimis areopagitis quantitatis certa dignotio constat lib. de optima secta. Sed de his, vt pote omnibus vacuationibus communibus, lib. Apho. copiosè disceptauit Hipp. de primis decem cap. 6. de secundis hoc loco. Coloris itaq; mutatio arguit humòres qui in parte affecta inerant, extraduci: namque perpetuò ob putredinem vehemẽtiorem, humores in particula intumescente contenti, intensiorem colorem nanciscuntur, nempe pro pallido flauum, pro flauo, rubrum, pro rubro, demum nigrum. Quarè haud iniuria medicus aperta vena præsertim, quæ loco affecto est vicina spectaret 1. Aph. 2. & 23.

huiusmodi mutationem quantum licet, si quidem hoc pacto continentem causam attigisse est verissimile. Sed duabus de causis non est perpetuò spectanda hæc mutatio, altera virium est imbecillitas, quæ nunquam non vacuationem vetat; altera verò quando non cædit affectus, & ob contumaces humorum qualitates reuellentibus auxilijs non obsequitur. idcircò Auicenna. 4. primi monuisse videtur, ne quùm reuellimus pertinaces simus admodum & sanguinis missioni duntaxat intenti, accidit etenim vt humoris rebellio minus secundam reddat vacuationem. Sic enim habet. (Cum ad diuersum trahere volueris dolorem mẽbri à quo trahis prius seda) Hipp. 6 Epi. parte secunda com. 8. idem perstrinxerat, inquiens, (cædentem statim reuellendo, repugnantem obsecũdando, deriuare oportet) interprete Galeno, non est immorandum perpetuò in reuulsorijs auxilijs, verum interponendum est tempus, in quo humor impactus excernatur, quôniam is duplici de causa molestat, & quia in parte receptus distendat, & qualitate sua contristat. Quo ablato medio illo tempore, & dolore non amplius ad partem laborantem attrahente, fœlicius reuellentia suã perficient operationem. Labascens fluxionis impetus vires cõminui ob vacuationem representat, quod quidem verissimũ est, nisi ob alias causas obuenerit. Porrò ob ventriculi vitium, & ingenitam timiditatem, nonnunquam verò praué secta vena, & in ipso venę osculo, crasso humore impacto, seu sanguinis grumo, cõpescitur spõtè sanguis, vt Aetius

Pertinaces dolores non oportet pertinacius venæ sectione profligare.

ad-

admonuit : de quibus pauca ſuperius perſtrinximus. Poſtremò mutationi pulſus attendere iubemur tanquam iudici minimè mendaci: ſtatim etenim quieſcendum eſt,eo in magnitudine ſeu vehementia inæqualitatem patienti,quod quemadmodum intelligatur ſuperius diſceptauimus. Itaque ſi virtus nondum exolui videatur, ætate vigenti, mutationem coloris expectare conuenit, multo magis ſi ambiens temperatura moderata extiterit: Duo etenim ſunt, propter quę maximè coniecturalis in hoc præſidio exercendo vacuationis quantitas efficitur, nempe quod quale ſit laborantis tẽperamentum nobis exactè noſcere non liceat, & quale ſit futurum ambientis aëris temperamentum à ſanguinis miſsione,non ſatis conſtat. Quãdo enim febrilis calor ſuapte ratione ſanguinẽ diſſipat,æger tenui victu regitur febris ipſius ratione, ſi deinceps accedat temperamentum calidum & humidum quale eſt puerorum, regionis præterea & temporis ardor egregius, grandis profecto accumulatur abſumptionis ſanguinis & ſpirituum cauſa.quo circa minus detrahimus humoris in hiſce rerum ſtatibus, quàm plenitudo ipſa imperare videtur. Satis manifeſtus locus ad probandum, puerorum ętatem non omnino prohibere ſanguinis miſsionem. Hinc quoquè perſpicuum eſt non poſſe definiri vnum,in vno quoq; laborantium vacuationis modum, aſt alium aliàs eſſe obſeruandum, pro varietate ſignificantium quantitatem aut angendam fore aut minuendam. porro quibuſdam ſex libras, alijs ſeſqui libram, quibuſ-

dam alijs libram, absque virium notato detrimento, detractas fuisse sanguinis, abundè sumus experti: rursum alijs vel quinq; vnciæ diffusæ, notatu dignam virium vitalium attulerunt oblæsionē. Sed tantam sanguinis quantitatem educere tunc solum valemus, quùm cubiti venam aut poplitis, aut tali secamus: ex venis nempe quæ ad oculorum magnos angulos sitæ sunt, aut sub lingua, aut in pedibus, aut summis manibus, (quemadmodum accidit in lienis curatione, secta vena, quæ ad secundum paruum digitum est ducta) nihil effatu dignum effluere consueuit. Quocirca perpetuò mihi hæc arrisit sententia, raro scilicet admodum secandas esse venas manuum summarum ac pedum, quum propositum est sangninis notatu dignam quantitatem extrahere: contra peruersam quorundam barbarorum versutam consuetudinem, qui maximum nefas esse putant, nisi in morbo diuturniori, febrilis saltem generis, venas hasce quas ipsi uocant saluatellas præciderint. Ast satis perspicuo sermone Galenus asseruit, nihil ab illis effluere, quod notatu dignam quantitatem præseferat. Secundo, tertio libro anatomicarum institutionum, in affectibus splenis, vena, quæ inter medium digitum & anularem sita est, aperiri iubetur: Paulus & Aetius, eam quæ inter minimū & anularem digitum iacet, assuere pertundere. in tanta ergo controuersia, satius multo est, eam ferire quæ sine dubitatione membrum patiens respicit, venam videlicet basilicæ seu internam appellatam, communem, aut humerariam, quàm

Quantum oporteat venas extremorum cauere.

illam

illam exquirere de qua non ſatis conſtat apud omnes, aut omnium conſenſione nihil egregium educit. Tertiò, ſequente capite maximopere imperatur rectitudo in ſecandis venis, ſed hæc ſeruatur commodius ſecta vena vbi latior eſt, ac vbi clarius rectitudinem pandit. non ergo quærendi ſunt ramuſculi ad pedes ac manus per plures anfractus delati. qui quidem duabus de cauſis minus proficiunt, & quia exigui ſunt nihil momentaneum effundentes cum rumpuntur, & quia tortuoſis deriuationibus ſunt procul à ſuo principio diſtracti. Quartò, libello de venarum & arteriarum ſectione, non ſeruari vſquequaq; eundem ſitum venarum & arteriarium neque eandem magnitudinem in omnibus hominibus autor eſt. continget igitur aliunde eſſe oriundam ſaluatellam dictam venam, quàm ex baſilica, vt perſpicua *Io*annis de Angulo anatome venarum præſefere*bat*, ramum cephalicę, eo loco poſitum habentem, quo ſaluatella hærere celebrata eſt. Ac vtinam hæc ſpes in cunctis hominibus nos maneret, erratam naturæ particularum conſtructionem dignoſcendi: facilis etenim huius periculi eſſet medicatio, nec in hac defendenda præceptionis monitione diutius moraremur. Verùm quia in pleriſq; mortalium, venarum illarum ob paruitatem latent deductus, & ob profundum ſitum ſenſibus minimè ſunt perſpicui; imitari Galenum enixè contendimus, venas cubiti, aut alias prægrandes cruris ſecantes, præſertim quum vacuare multitudinem ſtudemus. Et maiores vires aſſumet argumentum,

tum, ſi cauſam intellexerimus, propter quam ramum Baſilicæ, qui directius eam reſpiciat, iubemur diſſecare: directius autem opponuntur rami, qui viciniores adſtant, & è trunco breuiori via extant ſeparati. Hæc conſulimus. volentibus vacuationem effatu dignam emoliri. ſecus habet, ſi reuulſionem tantum vt in hæmoptoicis paſsionibus, & fluxionibus immoderatis, exerceamus: in quibus in contrariam partem magis auocare fluẽtes humores, quam vacuare inſudandum nobis eſt. Sic enim edictum eſt, vt ad quam diſtantiſsima reuellamus. Præterea haſce venulas aperiemus, quãdo nõ licet aliam perquirere: vt in Magnifico admodum Alfonſo Tellez mihi quondam vſu venit, inflammatione iecinoris laborante. Expertus ſum etiam hoc anno milleſsimo quingẽteſsimo quinquageſimo quinto, ſæpiſsimè parum proſperas ſanguinis emiſsiones ſucceſsiſſe, donec eas venulas aperiri iubebam, quæ ſemel aqua calida perfuſæ, copioſiorem ſanguinem effundebant. nam cæteræ, ſi forſan feriebantur, aut quoniam perperam reſerabantur, aut ob animi deliquia plurima, exiguum admodum ſanguinem nobis concedebant.

2 acut. 11.

Paul. ca. de ſang. miſſio.

Dubitatio. Si Galenus ſex libras ſanguinis detraxit, eo videlicet tempore, quo corpora imbecilliora multo fuiſſe quàm temporibus Hippocratis, conqueritur: cur non noſtro tempore, grauiſsimo morbo hominem occupante, & cæteris quæ accedunt, largiſsimam vacuationem poſtulantibus, æquam quantitatem ſanguinis emittere formidamus? Porrò, ſi Galeni querimonias de praua ſuorum viuendi

uendi ratione exaudiueris, haud dissimilem narrasse consuetudinem videbitur, ei qua nostrates assiduè viuunt. quam obrem non est quòd, imperitum hominum genus copiosam interdum damnet sanguinis emissionem, perinde ac nostri imbecilliorem sint adepti naturæ constitutionem. Memini sanè nonnunquam quinq; libras fuisse fœliciter extractas, me præsente ex fęmina apoplexia laborante, grauida quidem, sed quantum coniectare licuit, fœtu demortuo. *2. de fracturis. comment. 27.*

Cap. XV.



I igitur quæcunquè à medicis de hoc consilio dicta sunt scribere vellem, libro mihi opus eßet magno, & per se perfecto. Quemadmodum verò in alijs quæ hucusque definita sunt, meam vobis sententiam exposui, qui eam in artis operibus probari conspexistis: ita nũc quoq; faciam initio sermonis ab ijs quæ quotidie in laborantibus manifestè videntur sumpto, quæ primus Hippo. diligenter obseruans scripsit. Est verò eorum vnum & primum caput. Quæcunquè sanguinis eruptiones secundum rectitudinem fiunt, maximam ægrotantibus commoditatem afferre. Quòd verò κατ᾽ ἴξιν*, vocat secundum rectum, omnibus confeßum est, quòd ipse manifestè hac voce,* κατ᾽ ἴξιν*, sæpe numero in hoc vtatur signi-*

significatu. Quæ vero cõtra sanguinem excernunt, nihil iuuare, aut etiam nocere: quòd scilicet interdum citra mali leuamen vires exoluant. Nequè enim liene magno existente è dextra nare sanguis erumpens, neque in iecore è sinistra vllam adfert vtilitatem: sed reuulsio quidem quæ in rectum fit, manifestam vtilitatem celeriter ostendit, in quibus autem contra accidit, nequaquam. Dextra igitur nare sanguinem effundente, ad dextrum hyppochondrium affixa cucurbitula sanguinis eruptionem clarè celeriterq; sistit; perinde atq; ad sinistrum: sanguinem excernente sinistra.

Commentarius.

De loco consideratio.



AEterum vt vltimam absoluamus considerationem, quę de venis vnicuique affectioni proprijs tractat, hoc proloquiũ ante omnia cum Hipp. proponit obseruandum: scilicet, (quęcunque sanguinis eruptiones secundum rectum fiunt, maximam ægrotantibus cõmoditatem afferunt, quę verò contra sanguinem excernunt, nihil iuuare, aut etiam nocere.) Quo circa liene magno existente, e nare dextra sanguis erumpens, neque in iecore, ex sinistra, vllam adfert vtilitatem: sicut in pleuritide, quę è directo laborantis lateris, facta est venæ sectio, euidentissimam sæpe vtilitatem ostendit, quæ verò ex

rò ex manu contraria, aut omnino obſcuram, aut longo poſt tempore. Quin etiam in hæmorrhagijs, ſi ſecũdum rectum reuulſionem effeceris, mox conſpicuam videbis commoditatem, at ſi contra venam ſecueris, nullum ſequetur cõmodum: quorum omnium cauſam, hanc ſequentem ſubtexuit. (Quoniam citra leuamẽ morbi, vires deiiciunt.) Quid autem per rectum Græcis, κατ' ἴξιν. intelligẽdũ ſit, explicuit ſæpe Galenus hac dictione. εὐθυωρίαν. ideſt rectitudinẽ: quemadmodum primo Acutorum commentario 28. adnotauit inquiens; (εἴσιδο ὅτι τὴν ἴξιν ὡς τὸ πολὺ μὲν εὐθυωρίαν λέγει ἱπποκράτης.) Quod eſt ſcimus quòd Hippo. ἴξιν vt plurimum rectitudinem ſeu directum dicit. Vt plurimum dixit, quoniam interdum ῥοὰν, ideſt lationem ſignificat, ſiue illa per thoracem decurrat, ſiue per gulam ad ventrem vſque prolabatur: at quùm de vacuationibus ſermonem conſtituit, modo natura comparentur, modò verò arte, rectum, vſquequaque eam dictionem præſeferre decreuit. Ita ſiquidem prima Aphoriſ. 20. rectitudinem, ad perfectam indicationem expoſtulauit: quam ibidem εὐθυωρίαν, ſecundo verò ad Glauconẽ, κατ' ἰσότητα, paulô poſt, κατὰ εὐθὺ. Compellauit: per quæ omnia directum patientis particulæ eſſe ſeruandum contendit accuratiſsimè. Quod exemplis patefit, quæ à ſplene, hepate, oculorum, & gutturis inflãmationibus deſumuntur, in quibus perpetuò, imitandos eſſe effectus naturæ quum conueniẽter eueniunt, monemur. At illi ſexto Epi. parte ſecunda comm. 12. ſecundum rectũ coſtarum hypochondriorum,

driorum, tensio, & splenis extuberationes, & ex naribus eruptiones perficiuntur. Postremò libro de iudicatiõibus capite vltimo, approbatis vacuationibus quæ seruant rectitudinem, damnat prorsus eas, quæ contra fiunt, ceu mali alicuius præsagiũ. Sed quæ rectitudo illa sit, & quo pacto sit explicanda, de qua tantopere Hipp. & Galenus meminerunt, controuertitur. Quibusdam antiquiorum in hoc potissimum constitui eam iudicantibus, quòd venæ capillares nuncupatæ basilicę, cum venis capillaribus costarum colligentur ac coeant eiusdẽ lateris: proindeq; citius ac magis semel percussa vena, illas exinaniri quæ cum illa consentiunt. Quæ sententia nõ videtur omnino aspernanda. Sed audias Fuchsium atq; alios quos ille sectatur. Rectitudinem (inquit) non mathematicam, sed naturalem quæ secundum fibras & filamenta staminauę fit venarum seu arteriarum, intellexit Hipp. quippe fibris rectis & transuersis textæ sunt venæ, illis trahunt, his verò excernunt quæ sunt aliena. Quo cæmento iacto, admissa deinde vena sine coniuge, inflammatione etiam infestante partes inferiorũ costarum octo, perpetuò secandam esse venam internam dextri brachii existimauit: propterea quòd fibrarum rectus trames, qui basilicis brachii vtriusque lateris cum vena sine coniuge est communis, id maximè exigere videtur. Ast verò placitis Galeni, & Hippo. ac reliquorum classicorum medicorum inhærens, nunquam potui his recens inuentis nugis opitulari: nam quum Galenus haud ignorauerit venam illam sine coniugio, vt constat legenti

Bernardus. Gordonius.

gen

ti

genti commentationem decimam secundi libri acutorum, iusseritq; deinde eam venam secare, siuè dolor ascendat siue descendat, quæ interior est, quæq; secundum rectum partis afflictæ sita est, 4. acutorũ, 72. quo pacto staminũ illorum directũ attendisse sunt iudicandi? Vbi etiam de rectitudine seruanda sermo agitatur, vsquequaque dextrorum cum dextris, sinistrorum verò cum sinistris societas celebratur: quod patet latissimè, siue secundo ad Glauconem, siue quinto Meth. aut. 13. libro, in quibus res ipsa differenda proponitur ex instituto, verseris. Tertiò, si hæc filamentorum directio satis esset Fuchsio, ac Vesalio suæ condendæ disciplinę quã quæso ratione patiente splene venã internam sinistri brachij, cuncti sine dubitatione secant? Nũquid, quemadmodũ vena sine comite à parte dextra suam originem accipiẽte, ac ob id quòd vtriusque lateris nutriat inferiores costas, semper internam dextri brachij scinditis, eadem ratione siue dextrum siue sinistrum patiatur hypochondriũ, propterea quod vena quæ fouet splenem & iecur ex portæ proficiscitur regione, patiente splene, secanda est dextri cubiti interna vena? Minimè profecto si sapitis, & nisi tuendi falsi dogmatis causa velitis in turpissimam hæresim intrudi. Quasi verò, maiorem cognationem seu rectitudinem habeant omnes ramuli alentes costas octo inferiores thoracis, cũ vena illa coniugis experte, quàm reliquæ venæ, quæ ab ipsa vena portæ suboriuntur, & nutritioni lienis & iecoris famulantur, cum ipsamet origine. Accedit præterea non satis esse perspicuã vel

6 epi parte. 2 comment. 15.

In quo sit signãda rectitudo, antiquis tãtopere celebrata.

vel oculatiſsimis autoribus, de expulſione ſanguinis,quo tempore rumpitur vena, reddẽdã cauſam Quapropter parum intereſt feciſſe fugam ad fibrarum rectam extenſionem, quippe ſi conſequii ratione tractus ſanguinis foras efficiatur,rectis attractum fieri,obliquis verò expulſionem, donetis per me licebit.Neque improbatio Luſitani vllius pretii eſt facienda,quæ hac ratione Fuchſii commentum de ſecanda vena baſilica dextra ſemper quòd patiuntur coſtæ octo inferiores, deſtruere conata eſt,quæ ſequitur.Nihil (inquit) iuuat Fuchſii ſententiam hiſtoria de vena ſine coniuge litteris prodita, quandoquidem ſanguis ſemel eam ingreſſus non poteſt regredi quibuſdam valuis concluſus, quas ſe reſpexiſse confirmat. Peius equidem commentum, & quod authoritate ſapientiſsimorum ſectioni corporum deditiſsimorum nullibi corroboratur:præterquam quod nulla ſuffulſitur demõſtratione,quæ illius modi cõſtructionis valuarum rationem reddat.Præcipuè quum neceſſarius ſit regreſſus ſanguinis per eam venam, quæ alendis coſtis vtrobique poſitis deſtinata eſt. Item non intereſſet dextram,aut ſiniſtram ſecare venam patiẽtibus coſtis octo inferioribus:quod vtriuſque ſectę patronis aduerſatur. Multò igitur commodius ac verius cenſuere, qui eam potiſsimum crediderunt rectitudinis cauſam dextrorum ſeilicet cum dextris,& ſiniſtrorum cum ſiniſtris:quòd vena,exempli cauſa, dextri lateris interna, germinationes in partes vicinas circum diſtribuat, à quibus latus illud ſecundum partes ſuas minimas foueatur alimẽ

tumuè

tumuè recipiat. Quumque fluentes humores inter initia inflãmationis, in venis adhuc maneant, truncus ille magnus interna videlicet vena, à quo prędicta germina fuere diuaricata, ſcalpello apertus reſorbebit ſanguinẽ cõtinui ratione, facilèq; inflãmatam particulã ex anguẽ efficiet, ꝑ medias easq; minimas venulas, quæ in minimis quibusq; illi loci particulis inſeruntur. At hac potiſsimum cauſa efficitur, vt vena ſecta baſilica ſiniſtri brachii, partes eiuſdem nominis, ſiniſtræ inquam, remedium ſentiant oppidò quàm præſentaneum. quanquam illa iuuet meo iudicio haud mediocriter, quę ex ipſa corporum anatomes inſpectione euidenter accipitur. Hæc autem eſt. Quòd venæ quædam ſatis inſignes per enſiforme oſsiculum ſternon appellatum, duæ quidem illę, ſed vtrinq; à media linea altera contiguè excurrentes, & à furcula verſus cuſpidem chartilagineum deſcendentes, maximum adferunt momentum, ad hoc quòd quæ per axillas & humeros deriuantur venæ, ſuppetias efficaciores ſuo lateri vtræq; referant. Vbi legitur. (Sed reuulſio quidem quæ in rectum fit, manifeſtam vtilitatem celeriter oſtendit.) Grę. in codice Baſileæ, eadem prorſus habetur ſententia, ita vt nõ indigeãt codices omnes Græci emaculatione, quod voluit Fuchſius. Sic habetur *ἀλλὰ ἀντίσπασις μὲν ἐν τοῖς κατ' εὐθὺ ἀντισπωμένοις ἐναργῆ τὴν ὠφέλειαν ἐν τάχει δεικνύει.*

Mediam lineam voco quæ in æquabiles partes thoracẽ ſecat & pectus ſecundum latum.

L Caput

Caput XVI.



ORRO si in eruptionibus sanguinis, quæ in rectum fiũt reuulsionis gratia sanguinem mittas, mox conspicuam videbis vtilitatem: at si contrà venam seces, nullum sequetur commodum. Sic itaq; liene laborante incisio eius venæ quæ ad anularem est digitum sinistræ manus iuuat æquè, ac si internam quæ in gibbero est, securis: siquidem multum iuuat lienem malè affectum sanguinis ex sinistra manu vacuatio. Præstat autem nõ semel quod cõuenit vacuare, sed in duos partiri dies. Scire nequeo qua de causa medici lienosis mittere sanguinem neglexerint: ego enim semper magnam sequi vtilitatem cognoui, si etiam libram vnam vacuaßem. Verùm vacuationis quantitatem ac mensuram ex prędictis scopis conijcere oportet. Quin etiam pleureticis, quæ è directo laborantis lateris facta est venæ sectio, euidentissimam sæpe vtilitatem ostendit: quæ verò ex manu cõtraria, aut omninò obscurã aut longo post tempore. Ad hæc oculorum vehementissimos dolores, persæpe intra horæ vnius spacium humerariæ vocatæ venæ sectio compescuit. Conari uerò in omnibus malis præstat, ut post mediocrem sanguinis missionem factam, iterato sanguis auferatur: interim quidem eodem die, quandò sic facere expedit: interim postridiè nisi vbi, vt antea dictum est, ad animi

mi vsq; ad defectionē vacuare conemur. In oculorū itaq; doloribus tùm humeraria vocata vena, tū quę ex ea deriuata est in gibbero incisa, manifestum celeriter commodum afferunt. Laborante autem latere, aut Pulmone, aut Septo transuerso, aut liene, aut iecore, aut ventriculo, ea quæ per alas ad gibberi iun cturam pertingit. Secāda verò tum maximè interior erit: quòd si nō, ea quę ab ipsa deducta in iūcturæ flexura apparet. Cognouisti sanè paulò ante ab humeraria vena diduci prædictā, connectentē ipsam: tres enim hi sunt mittēdi ex gibbero sanguinis loci, interior, exterior, medius. Interior igitur in quibus partes quæ infra collū sunt, laborāt, vtilis est: exterior verò, quibus partes quæ supra collū sunt, vt facies, aut caput malè afficiūtur: medius locus interdū vtrasq; habet diductas venas, in anteriorē manus partē protēsas ac deinde hic coeūtes: interim verò statim in ipso iūcturæ flexu in vnū mutuò cōgredientes, nonnunquā manifestam earum alteram obscuram vero alteram. Proinde vbi vena laboranti parti propria obscurior existit, & ad mediarū aliquam accedis, conare eam quæ à propria deriuatur potius incidere. Accidit autem vbi, & quæ inferiores sunt gibberi iunctura, eas nimirum quæ in cubito sunt, secare nihil impediat, nō apparentibus ijs qua in gibbero sunt, atque harum quidem eas quæ in rectum sunt laborātium partium. Porrò tam perspicuam sæpe celeriter vtilitatem quæ laborantium partium uenæ sectiones in rectum fiunt afferunt, ut & qui laborant, & familiares ipsorum sæpe numero obstupescant.

Commentarius.



ORROBORAT firmiùs hoc capite rectitudinem seruandam esse etiam quùm reuellimus in contrariam partem fluentes humores, quamuis tunc minus videatur probabile: quòd deriuatio & vacuatio melius multò fiat per communes venas, & proximas nemine reclamante, quæ etiam optima & facillima creditur fieri, à parte affecta libello de constitutione artis medicæ. Quin etiam non dissimili argumento vena sinistræ manus ad medium digitum sita, (sic etenim habet Basileæ codex, παρὰ μέσον δακτυλον: alij verò legunt, ad anularem digitum) iuuare dicitur affectiones splenis, æquè ac si interna gibberi secaretur vena (quanquam alii codices legant (non æquè) quod vtiq; magis cum his quæ superius decreuimus quadrat.) Quo loco damnantur obiter, qui lienosis mittere sanguinē parum curabant, quum sæpe numero expediat libram integram illis demere: quod præter Galeni sententiam, multis experimentis posset comprobari, & demonstratione, quę melancholicum educere humorem per sanguinis missionem confirmaret esse crebrò necessarium. Hîc libet monere tyrones artis medicinalis, erga id quod de secanda vena ad anularem digitum posita, in splenis affe-

ctionibus

ctionibus enunciatum est. Nimirum si Paulum & Aetium euolueris, splene patiente, venam inter anularem digitum & paruum locatam aperies: at si Galenum, tertio anatomicarum administrationum exaudias, ea est pertundenda, quæ mediam digiti medij & annularis regionem ingreditur. Quos facilè conciliabis si vtramque indifferenter secueris splene morbo aliquo affecto: nimirum ramus quidam à gibbero descendens, ad digitumque paruum adiens in duos ramulos scinditur, quorum alter regionem quæ inter paruum & annularem interiacet, præoccupat, alter verò, medium spacium anularis & medij digiti perreptare ibidem enarratur. Illud etiam non patiar vnquam in obliuionem abire, quod ex Galeno in præsente elicietur, & ex probatis anatomicarum sectionum inspectoribus sumit testimonium: nempe, quum tres sint in gibbero mittendi sanguinis loci, humeraria scilicet vena quæ morbis supra collum fatigantibus est accommodatissima: interior, his qui infra collum versantur, medius verò vtrisque malis opem afferat, is non in omnibus hominibus pariter conspicuus est: qui tametsi in quibusdam hominibus, statim in ipso iuncturæ flexu confletur ex ramulis basilicæ & cephalicæ in vnum coeuntibus productus, in plerisquè tamen paulò inferius consistit quatuor circiter digitis. Ita vt accusanda sit veterum quorundam socordia & in euoluendis antiquorum scriptis somnolentia pessima, quod sic egerint hactenus res barbitonsorum, vt nunquã aut monuerint eos

Committitur inter autores repugnantia.

Lib. de sectione venarum.

ignorantiæ, aut castigauerint acrius, quòd nunquã de secanda hac communi vena fuerint soliciti, sed aut basilicæ aut humerariæ surculum pro ea indubitanter aperuerint. Sed prætermissa modo barbarorum repræhensione, antequam ad examinandam quæstionem per quàm vulgarem accedamus quæ ex presente Gale. oratione maximam cœpit occasionem, necesse est proponatur in medium, illud quidem quod in expositionibus lib. de iudicationibus satis ad vnguem explorauimus: nempe quatuor esse tempora omnium inflammationum sicut & omnium aliorum morborum, quæ non aliunde desumenda sunt, quàm ex signis coctionis, quæ in excrementis ipsis deprehenduntur. Nam vel Auicenna, quem isti contradictores, suarum assertionum passim vocant patronum, decima, fen, tertij canonis tractat. 4. capit, 5. in eo maximè morbo, in quo neoterici fingere consueuerunt, alia tempora accidentium, alia quoad essentiam morbi, atq; alia coctione humorum separata, in eo (inquam) solis signis coctionis quatuor tempora discreuit ad hunc modum. (Quùm non adest sputum, aut adest subtile aut paruum, aut illud quod nominatur saliua, est in principio: & quùm augentur accidentia & sputum, & incipit remoueri à subtilitate & additur in spissitudine & in facilitate, & incipit remoueri à rubedine, si est materia decliuis ad citrinitatem, & est proportionalis rubedini, est in augmento: amplius, quum æger expuit sputum facilè, maturum, & est plurimum, & dolor est leuis, tunc est hora status, &

Lib. de totius morbi tẽporibus.

hora

hora euentus integræ maturitatis) Ac demum ommissa Rasij sententia quam loco dudum citato pro distinguendis morborum temporibus adduximus, Gal.Meth. repetatur,quam dum tempora inflammationum dispescuit, mordicus est amplexatus. Quis negauerit (inquit) generationem principij primam inflammationis, toto illo tempore, quo pars sanguinolenta substantia repletur: hoc ergò erit primum tempus, quo pars affectus magnitudini subiecta, repletur: quùm autem influxus cessauerit & quod in parte inflammata cótinetur, putrefieri inceperit, calor quidam ob putredinem nascitur, & fusio magis ob calorem, vnde etiam spiritus generantur, atq; ob hæc ambo particula magis quàm antea distenditur etiam si nihil influat, secundum hoc tempus est augmenti: porrò quùm in pus mutatur, maximi videlicet dolores tunc partes apprehendunt, (nam in puris generatione, dolores & febres accidunt magis, ipso pure confecto,) vocatur autem huiusmodi vigor affectionis. Splendidissima oratione (vt puto) monstratum est, coctione excrementorum variata, tempora saltem inflammationum, apud Galenum & Auicennam esse distinguenda. Quærunt itaque an in principio pleuritidis deceat venam eiusdem lateris proscindere, an potius inchoanda sit curatio ex oppositi lateris venæ sectione ? Barbari fermè cuncti in eam conueniunt sententiam, vt in primis scindenda sit oppositi lateris vena, atque ea præcipuè quæ distantissimam tenet sedem, à parte patiente: quod se-

quentibus teſtimonijs ampliſsimè fiet perſpicuum. Auicenna cap. de pleuritide à ſaphena primùm, deinde à baſilica lateris contrarij curationem auſpicandam eſſe putauit. Raſius nono ad Almanſorem, ac decimo continentium, à latere contrario exorditur medicationem pleuritidis multo redundante ſanguine, quæ ſequuntur inquiens. (Si dolor ſuper partem coſtarum tendit & furculam, fiat minutio ex baſilica eius partis in qua eſt dolor, niſi totum corpus multo ſanguine repletum fuerit. Tunc enim ex latere contrario. Zoar, ipſiſsimam exiſtimauit necem, ſi quis ex eodem latere miſſerit ſanguinem. Miſſos facio alios plures medicos, qui quòd de terrena fæce ſunt, & eorum autoritas parùm fidei philoſophicis decretis ſemper attulit, nunc negliguntur: quorum ſanè quiſque adeò ſectæ addictus eſt ſuæ, vt quùm neſciant, quo tramite eundem ſit, neque hactenus dignouerint vtra via ſit potius ſeligenda, paterno errori facilè ſeſe dedunt obcæcati, libentiſsimè ſectantes, quod neque per ſomnium diſſeruerunt per ſe, aut alios ſtudiosè decernentes audiuerunt. Manardus neotericorum doctiſsimus, libro duodecimo cap. quinto, viſus eſt præfatos autores inſequi, niſi poſtea lib. 14. Epiſt. prima recantaſſet vltrò palinodiam: cuius teſtimonium hoc loco, ea, gratia ſaltem eſt pluris faciendum, quòd tandem Hippo. & Galenum aliter ac barbaros ſenſiſſe peieret, nihil eſſe certius inquiens, quàm de mente Hippocraticorum venam

eiuſdẽ

eiusdem lateris excindendam esse. Sed mox addit. At quum nostra tempestate nequeamus tantam copiam eximere, vt præstolari possimus eas mutationes in sanguine, qui emittitur, quas Hipp. expectauit, nihil vetat, quin primũ venã rũpamus cõtrarij lateris, deinceps verò altero die aut eodẽ, per eiusdẽ lateris venã, reliquũ humorem abstulerimus. Præcipuè si pestilens & vagans sit pleuritis: in qua longissimè à principalibus mẽbris est distrahẽdus sanguis, sicut & in suppressis menstruis ac hæmorrhoidibus, malleoli consensit venę faciendam diruptionem. Ait preterea Galenũ nõ damnasse venam oppositi brachij, sed eã quæ è regione correspondet, cum illa cõparans, multò iudicasse vtiliorẽ: quod quidem non est impedimento, quominus cõtraria vena opportunè secari queat. Autore enim Galeno 13. Meth. altero crurum laborante scarificandum est reliquum: & manum, laborante crure scarificat, propterea quòd, vinciendum non est quod phlegmone infestatur. Adde secundo ad Glauconem genu in tumorem sublato, corporis etiam existente multitudine, ex vena cubiti interna sanguinem mitti. Decimo de compositione medicamentorum per particulas, cap. de ischyade, primùm secta vena cubiti curationem exorsus, postea ad malleolorum descendit venæ decisionem. cur igitur in pleuritide, ex malleolis saltem eiusdem partis non mittetur sanguis potius, quàm ex basilica, quemadmodum plures cum Galeno facere contendunt? Est etiam illud cunctis in propatulo, prius esse reuellendos succos confluentes

in

in partem dolentem, quàm vacuentur fluxi, quùm deriuatio etiam post reuulsionem secundum locum obtineat: reuulsio igitur præcedet ex distantissimis locis effecta, secundo deriuatio fiet ad vicinam regionem, ac tertiò ad ipsam peruenietur vacuationem quæ ex ipsis, si fieri potest, partibus extat exercenda. Ita sanè præceptum est 13. Method. vt ad maximè longinqua fiat reuulsio, trahendiquè ex òmni loco in oppositas partes communis indicatio est ad quàm maximè longinqua, tertio artis medicinalis: Deriuatio verò, ad vicinas partes. 6. Epi. part. 2. commentatione 7. Auerrous libro 7. capite 29. apertius videtur Barbarorum corroborasse disciplinam, quæ lateris contrarij venam iubet dirumpere. habet fermè quæ sequuntur. In euacuatione apostematis duæ res intenduntur, vna est euacuatio materiæ membrorum cum ipso communicantium, alia est, vt fiat humorum declinatio in oppositam partem: ergò quando nos intendimus vacuationem efficere, quæ simul contineat communicationem & oppositionem, iuuātius est per oppositam partem trahere materiam, quàm quando vnum intendimus solum. Exinde colligit, hepate inflammatione perculso, sinistri brachij basilicam fore rumpēdam, tunc præcipuè, quùm necessum est vniuersum corpus euacuare. Vltimò, singulis quibusq; verbis, colluuionem aquarum effingunt ingentem, per præcipites rupes illabentem: ac deinde sedulò quæritant, quo loco effossa cloaca, commodius auerti posset impetuosus ille aquarum defluxus? nunquid non ap-

13. meth.

& 2. de natura humana. 9. & 3. tech.


tius

tius multò, ante quam in præcipitium eant alio dato itinere inhibebuntur? Ita fatendum esse vel idiotis ipsis rudissimæq; vetulæ plurimis verbis clamorosaq; satis oratione concertant:consequenterq;, fluxionem humorum pleuritidem generantium, per remotos admodum cannales esse coercendam, quod fit per oppositi lateris venam, nequaquam per eas venas,quæ delapsam iam in lacũ seu patientem locum,seu semel præcipitatam, nituntur reuocare. Cæterum quanquàm prolixo satis elaboratoq; sermone plurimi ex iunioribus tueri Hippocratem pariter ac Galenum contenderint, ac proinde res tantorum virorum autoritate fulcita, nostra opera non indiguerit, curabimus tamen summatim ostendere, quantum potuerit, (quæ hucusq; erga barbaros habita est religio) tenebrarum offendere hominum illuminatissimis etiam mentibus, vt vix vllis demonstrationibus, intellectus aliôqui sciendi auidissimus adhærere valeat.Ita quidem spurcissimis strigmentis sordescit,tam altè descendit illorum industria, in ignorantiæ puteos, tam malè apud illos audit (illud resipiscere) vt porcorum instar,cœno volutari magis gaudeant suo, quàm in antiquam,sed hactenus exulem, veritatis domum & splendidissimos eius lares redire. Tantas vtiq; obtinet vires arbitratus noster, vt cuius semel pellexit intellectum & ceu carceribus reuinctum inclusit, haud quaquam sinat amplius vel lucem ipsam sibi dilectissimam, antiqua obscuritate relicta reuisere. Quòd si quandò miserum quempiam è tantis tenebris emergẽ-
tem

tem olfecerint, Dij Deæq; quàm impudentiſsimis geſticulationibus,quanto tumultu,theatra pertur bāt, obfuſcant auditorum mētes:ac demùm ſi hac non ſucceſſerit,& plebeculam in ſuam admirationem non traxerint,quot pugnis, iniurijsuè tragedias excitaſſe conſpiciuntur?Ergo bonis auſpicijs, Cum Hippocrate & Galeno rectitudinem eſſe ſer uandam in omnibus venarum ruptionibus enixè defendemus: conſequenterq; in pleuritide dextri lateris,baſilicam eius partis inprimis eſſe diſſecandam. Primum quidem in hoc capite ſcitiſsimè ſane illud iniunxit obſeruandum præceptum de rectitudine ſeruanda,dextrorum, ſcilicet, cum dextris & ſiniſtrorum cum ſiniſtris:iuxta quod ſecundo acutorum commentario decimo, tentata prius ſedatione doloris cum fomentis,obq; multitudinē denuò confluentium humorum,nihil eo placato, eam iuſsit pertundere venam internam, quæ è regione correſpondet afflictæ particulæ. Quemadmodum ſubaudiendum eſſe docuit ex commentario quarti acutorum libri.73.libro.1.de morbis ad calcem in pleuritide & peripneumonia, ſpleniti dem & hepatitidem venam ferire ſatagens Hippo. illud tandem adiecit. καθ' ὁποτέρην ἂν εἴη τὸ νόσημα. i.qua dolor afficit ſeu morbus parte: atq; ſic dolor mollior fit, & lateris atq; aliarum partium.6. Epidemiarum parte.6.commentario 5. in doloribus proximum ventrem purgandum, & ventrem ſanguinis diuidendum,in vniuerſum decreuit: quem expoſuit Galenus ſecundo ad Glauconem dum talia fatur. (fluentium humorum reuulſio medela eſt,

Dogma de rectitudine ſeruanda, in vacuationibus demōſtratur.

est, corum verò qui particulam obsederunt deriuatio, vtrunq; autem genus vacuationis per communes venas,) atq; hoc voluit Hipp. per, κατ' ἴξιν. id-est rectitudinem & siquidem in parte dextra locorum passio fuerit, à dextra manu seu crure sanguinem detraxeris, si verò in sinistris à membris quæ illis è directo respondent. Corroboratur hoc idem 5. meth. & 13. Cuius assertionis argumentum lib. de constitutione artis medicinalis descriptum est: quod sequitur, (nam ex propinquioribus & communioribus malè affectæ partis venis, vacuatio fit optima & facilima.) Secundò libro Acutorum. 10. comment. quamquam cæteræ venæ ab vniuerso corpore sanguinem demant, non tamen æquè celeriter aut similiter: at nos, (inquit) partem eam quæ phlegmone obsidetur tùm celeriter, tùm quàm cæteras magis, præsertim in acutis, vacuare contendimus, quod sanè interna Cubiti vena facit, multoquè magis vbi sanguinis redundantia ad superiora vergere videatur, aut superiores thoracis partes affectæ sunt. Paulò inferius ibidem. Eam venam diuidere oportet (ait) quæ ab affecta parte magis & velocius tùm reuellat & euacuet. Quocirca Barbari, qui solùm prospiciunt humores fluxuros, non autem eos qui torquent iam laborantem & crudelissimis cruciant doloribus: nequaquam attendunt, debere quàm ocissimè vacuari humores qui præsentes comminantur timorem mortis potius, quàm quos nec certum est esse defluxuros, nec certa spes, fluxionis succorum maius arguit periculum, his qui conspicuam afferunt



iam

iam, periclitationis probabilitatem. Præcipuè (in acutis) adiecit: quo teneant firmiſsimè artis medicinalis artifices tanto veriorem eſſe quam profitemur ſententiam, quantò acutior ſit morbus qui curatur: propterea quòd non dat inducias eius magnitudo, vt relicta præſenti magnitudine, ad eam ſimus propenſiores quæ aut non aduentabit, aut quanta erit, & quanto remedio indigeat, non poteſt cuiquam tunc conſtare. Contrarium docēt populares medici, quùm tunc arbitrantur ſatius eſſe diſtantiſsimam venam diuidere, quùm morbus vrget atrocius, propinquam vero non formidarent morbo benignius moleſtante. at nos multò ſecius, obſeruamus, qui quò ſæuior eſt dolor & morbi magnitudo terribilior, eò propinquiores quærimus venas, dummodo quadam tenus reuellant, idq; facimus neceſsitate compulſi eius quod magis vrget: rurſum mitioribus effectis doloribus, non dubitamus etiam in pleuritide ex malleolis ſanguinem exhaurire, venturam magis propulſantes iniuriam, quàm remur maximam, quàm in prçſente factam, quæ per ſeipſam fortaſſe cędet, aut durans, nihil auguratur inteſtini mali. Aetius

Aetius. ſermone tertio primæ quaternionis cap. 12. reuulſionis gratia ſemper venas in directum ſecabis, in his à quibus ſanguis erumpit: nimirum vt ſanguine è dextro nare fluente venam dextræ manus ſeces, è ſiniſtro vero, ſiniſtræ. Paucis poſtea interiectis lineis. (Sed & pleuriticis venam è directo affecti lateris ſeca) quam obrem cap. de pleuritide, Archigenis decreto potius, quàm ſuo contrarium

fa-

faciendũ esse declarauit. Celsus lib.2.capite decimo sic habet. Nec ignoro quosdam dicere, quàm longissimè sanguinem inde vbi lædit esse mittendum, sic enim auerti materiæ cursum,ac illo modo in id ipsum quod grauat,euocari. Sed id ipsum falsum est: proximum enim locum primo exhaurit.ex vlterioribus autem eatenus sequitur, quatenus emittitur, vbi is suppressus est, quia non trahitur nec venit quidem.Hac oratione Celsus euidentissime reprobauit sectam barbarorum, suo etiam tempore vigentem. Oribasius libro compendij capite de sectione venæ, de his hæc protulit. (Antispasis seu reuulsio fit quandò ex ipsa parte quæ infirmatur, proxima patienti loco inciditur vena,& pleureticis,ex ipsa parte quæ dolet, est sanguis auferedus.) De reuulsione igitur loquentes præfati autores,quæ inter cæteras vacuationes remotissimum locum expostulat, eam quidem secundum directum patientis particulæ & è proximo loco iusserunt sine vllo discrimine fieri debere. Iam vero sequente demonstratione crederem sententiam hanc integrè fulciri, vt potè tùm Grecorum, tùm etiam Barbarorum præceptis stabilitam, nisi infausto pede illa recipiatur. Nam quùm Auicenna.4.primi cap. vltimo ex industria de ordine tractauerit curationum,multa quidem Galeno consona iecit fundamenta,quæ mirificè admodum propositæ quæstioni patrocinantur & fauent ea nimirum sunt. Si morbus & symptoma coniunguntur, & symptoma terreat amplius, ab illo curatio existit inchoanda, expendendumq; est inter con-

Celsus.

Oribasius.

contrarium indicantia, id quod magis vrget seu ingentius interminatur periculum: quod dignitate & magnitudine cuiusq; propriæ essentiæ spectari proculdubio debet, Galeno autore. Vnde symptoma & morbus, interdum sua violentia cogunt, vti dimissa pro tempore causarum prouidentia, ad ipsa tota conuertatur medicationis opera, tametsi ordine naturalis rerum connexionis seruato, prima veniat causarum contemplatio, primumq; sit curationis consilium quod ab eis capiendum sit. Sic sanè Galenus medicantibus consuluit. 10. meth. vt quamquam causa prima sit auferenda, quòd ea summota, morbus ipse consequenter adimatur, causæ tamen nonnunquam obliuiscamur, & ad vehementiam febris retundendam properemus. Nimirum. 12. Meth. symptomata morborum suapte ratione medicationem per se non postulant, vtpotè quæ morbum velut vmbra sequentia, cum eo promptissimè deleantur ac conquiescant: cęterum quatenus causarum rationem sortiuntur, aut augentium morbos, aut debilitantium vires corporis, vniuersum curationis studium sæpius ad se ipsa primum aduocant. Quapropter in dysenteriæ curatione, quæ, indicatione sumpta à causa fluxionis impetum reuellere docet, & expultricis effrenes impetus infrenare, contentricisuè debilẽ amplexum corrigere commonet, illam tamen præferimus, quæ ab ipso vlceris cruciatu desumitur: quo circa caprino sæuo, aut cerato rosaceo vtimur, vt dolorem permulceamus, etiam ipsius vlceris post habito remedio. Atqui hæc omnia pendent ex illo ce-

8. meth. & 7. meth.

celebratiſsimo præcepto, ac omnium aliorum maximè neceſſario, quod ad id quod violentius vrget inſtare debere medicum in primis exhortatur: 5. aph. 19.
cuiuſquè intuitu cætera minoris ſunt facienda, pro temporequè certo ceſſatura ſunt etiam prorſus. Ergo in pleuritide in qua duo potiſsimum arcenda mala propununtur, alterum quidem humorum effluxio, alterum verò, fluxi iam dolorem & calo- 1. de fractu-
rem parientes, meritò in eam partem cauendam ris. 44.
inclinabit animus prius ex qua plura ſimiliter & maiora mala ſubſequi probabilius multò iudicatur: atqui ex defluxis iam, calor ſequitur febrem toti corpori impertiens, dolor, reliquorum humorum illuuiem violenter alliciens, & difficilem inferens reſpirationē, ac poſthac niſi maturè ſubueniatur, ſuppurationem ac deinde ruptionē pollicens. iure igitur, hæc mala propulſanda erunt multò prius, quæ certè & euidenter in præſente lacerant ęgrotantem, quàm fluxuros cauere, quos neq; vnde fluant certo ſcis, nequè quanto cum periculo facturos tādem incurſionem. Demum natura ipſa prouiſum eſt rectè ſatis, & tacita quadam monitione in cunctis negociorum turbationibus hoc inſeuiſſe nobis conſilium intelligitur à prudentiſsimis hominibus, vt mala citius ac diligentius depellamus, quæ præſentem mortis periclitationem denuntiare conſpiciuntur, quàm vt his neglectis, ventura quidem atquè adhuc non ſine dubitatione, propulſemus, & eminus illa proſpicientes, de arcendis ijs ſimus nimium ſoliciti. Inſaniſsimi profectò foret viri (vt exemplo fami-
M liariſsi-

liarissimo vtar) qui hostem iamiam rem totam familiarem, vxorem, filios dissipantem negligeret, ad eum verò profligandum accurret, quem bonorum prædictorum pertimesceret futurum deuastatorem. Nemo tamen dubitat, eam venam, quæ secundum directum partis laborantis sita est, illamquè directius respectat & paulo propinquius, citius affectionem leuare atq; magis. Secundo tantas habet vires indicando morbi magnitudo, vt ceteras indicationes aliarum rerum obscuret, & ob solam eam ad vsurpationem præsidiorum sæpissime accingamur, vt. 4. Meth. & 4. primi, cap. 1. scriptum est: modo verò quanto interuallo magnitudo morbi præsens, eam excellat quæ affutura est nemo non exactè nouit, quippe illam ambiguus times, hanc verò cominus nocentem spectas similiter ac inspicis. Dolor etiam & calor partis in qua phlegmone sedet, de potissimè trahentibus censentur, pollentque adeò in trahendo aliunde succos, vt ex puro corpore etiam trahant, cucurbitularum instar: Si ergo defluxuros humores inhibere cupias, constiteritque maximè eos defluere ob dolorem & calorem partis inflammatæ, hos oportet in primis abstulisse, quos constat esse tantæ fluxionis autores. Nam de membro mittrente quanam ratione constabit, nisi post temporis certum curriculum, aut fortasse plerunque eius te latebit dignotio. quare quùm id præstet omnium consensione, quæ citius ac magis infestantem causam expurgat venæ ruptio, ea profectò est rumpenda quæ ex ea parte qua dolor afficit

1. aut. 11.

2. de differentijs fe. cap. ultimo
13 meth.
7. apho. 1.

ficit,consedit, quæq; secundum rectum particulæ dolentis locata est. Item primo libro de his quæ ad chyrurgiam pertinent commento ad lucem, quando diuersi fines in contraria agunt, medium est eligendum: quod si fluxio reuulsionem, fluxa verò materia vacuationem exposcere videtur, medium sanè deligendum est quod vtrumque respiciat, reuulsionem scilicet, & euacuationem, prȩcipuè quum.13.Meth.atque libro de constitutione artis medicinalis, primus scopus sit curationis inflammationis, succorum inibi contentorum vacuatio.Neque est quòd respondeant, prius esse reuellendos humores, deinde vacuandos: siquidem in acutis vtrunq; facit Galenus,& vtrunque intendere medicum asseuerauit Auerrous loco nuperrimè citato. Sed aiunt, eiusdem partis adaperta vena in locum affectum humores trahit: falsissimum est dogma quod vel Celsus insinuauit, ob ib quòd proximum locum exhaurit, ex alijs vero eatenus sequitur, quatenus educitur, prȩsertim quùm particula patiens sponte cupiat quæ aliena sunt & in ea consederunt procul expellere. 6. Apho. comm. 22. Quæcunque rupta ex dorso ad cubitum descendunt, venæ sectio soluit: quoniam expositore Galeno, quò vergit natura eò per conuenientem regionem ducere expedit: indicatione igitur à particula patiente desumpta, à loco correspondente illi & cum ea communicante, facienda est vacuatio. Est etenim illud valde Hippocr. receptum, vt quæcunquè confluunt aliquô & a natura propelluntur, secundum rectum

demandari, quod ſiniſtrorum cum ſiniſtris, & dextrorum cum dextris conſortio ibidem explicatur 6.Epide.par.2. comm. 14.& 15.& 16. Ibidem etiam comm. 8. (cedentia reuellere non cedentia obſecundare) quo ſenſu Auicenna dixit quarta primi cap. 23. (melior eſt retractio quæ fit cum ſedatione doloris.) & capite 3. (cum ad diuerſum trahere volueris, dolorem membri à quo trahis prius ſeda, nam dolor eſt trahens) ſed omnium conſenſione, eiuſdem partis vena citius leuat dolorem; hæc igitur in primis amplexanda eſt. Sed aiunt, non fieri reuulſionem per venam eiuſdem partis: ſed ſi conſideraueris, diſtantiam, & dimenſionum extenſiones, multis modis reuellere inuenies: quippe à coſtis ad brachium longitudinis notabitur ſufficiens ſpatium: à coſtis patientibus ad cauam ipſam, latitudinis: ab intus foras verſus, profunditatis: quibus omnibus modis facta ſanguinis miſsio, reuellere, libello de reuulſione monſtrata eſt, ac in morbis thoracis, ſatis facere ad reuulſionem, diſtantia ea quæ eſt ad manus: maximè quùm non reperiatur maior, vbi ſecueris contrarij lateris baſilicam: quod ſatis affabrè Briſotus monſtrauit ex ipſa anatome petita demonſtratione. Nec Auicenna negauit illud quarta primi cap. 3. dum ſufficere diſtantiam quæ eſt ab humero ad humerum ad reuulſionem faciendam conſenſit: non eſſe neceſſarium addens, vt duæ diametri pertranſeantur, ſed rectitudinem ſeruari, quæ dextrorum eſſe cum dextris & ſiniſtrorum cum ſiniſtris eiuſdem libri cap. 1. interpretatur.

tur. Cæterum age, teſtimonijſq; ipſorum barbarorum Gal. ſententiam oſtendamus, aut ipſos ſibi ipſis non cōſtaſſe ſed confundiſſe omnia, nihilq; certum poſteritatem docuiſſe. Primum, Auicen. 4. primi canonis cap. 1. rectitudinem ſeruari iuſsit in reuulſionibus quæ fiunt cum materia eſt in decenſu, quæ nullo pacto ſeruabitur ſi ex contrario latere ſanguinis fiat minutio: alioqui perperam de iecore loquens ſubiunxit, patiente iecore ex parte dextra petendum eſſe remedium, ſimiliter & cordis dextra parte laborante, dextrum latus eſſe feriē dum. Secundò in aliorum morborum curatione ad verbum ſecutus videtur Galenum qui in vniuerſum edixit libro tertio anatomicarum adminiſtrationum, ac libro de venarum & arteriarum ſectione, ſecundo item acutorum com. 10. acommodatiſsimam eſſe venam morbis ſuper clauiculam infeſtantibus, cephalicam: ijs verò qui infrà clauiculas, internam cubiti: vtriſque partibus, communem: non abſimilem præcępit diſtinctionem ſeruari tertio canone cap. 29. dum de morbis capitis diſſerens hæc annuit obſeruanda. Si ſignificatio oſtendit ſanguinem cum ipſa abundantem eſſe, ſi in vniuerſo corpore & capite eſt materia exuberans, à cephalica incipiemus. capite de Sirſem, cephalicam minuit venam dicens. Cura ſpecierum eius venarum eſt phlebotomia ex cephalica & fit feſtinatio ad illam immediatè cum incipit permiſtio rationis. Similiter capite de lethargo, ac capite de mellancholia. quid igitur exordiendum eſſe à ſaphena aut alia diſtantiori vena con-

Monſtratur barbarorum incōſtantia, erga rectitudinē cuſtodiendam.

ſentiunt in pleuritide, qui barbaricæ ſectæ parentem audiuerunt feſtinandum eſſe immediatè ad cephalicam in morbis capitis grauiſsimis? Atque hæc quidem pronunciauit eo loco potiſsimùm, quo vniuerſalem rationem ſcribebat curandarum ægritudinum capitis, & ſuppoſita totius corporis plenitudine: deinceps tractatione de oculorum affectionibus hæc monuit. Euacuantur ab oculo materiæ aut ſecundum ſemitam conuerſionis aut ſecundum ſemitam reſolutionis: conuerſio autem prima ex corpore ſi eſt repletum, deinde ex cerebro, quibus ex templo adiecit. (Venæ quæ ſecantur propter oculum ſunt cephalicæ, deinde quæ ſunt in partibus capitis.) Quare quùm opthalmiæ medetur, cephalicam ſcindit. Quartò in morborum hepatis curatione, baſilicam ſecuerunt eiuſdem partis Auicen. Haly, Serapion, Iſaac, Alexander, (vt Florentinus latiſsimè adduxit) ac vbi de rectitudine ſeruanda ſermo habitus eſt, exemplum hoc de hepate, & ſplene in primis propoſuerunt. cur ergò in pleuritide curanda non ſeruabitur, multò anxius, diligentiorique ſolicitudine à Gal. hoc loco celebrata? Dices, exiguum eſſe interuallum ſi in pleuritide ex eadem parte diuidatur vena: hepatis verò reſpectu ſeruari permagnum. Certè ſi metiaris ad perpendiculum intercapedinem inter iecur & venam eiuſdem lateris internam ſitam, ac rurſum illam quæ inter pleuritidem vltimas coſtas obſidentem & eandem venam intercedit, exiguum aut nullum offendes diſcrimen. Quintò, de cura differentiarum anhe-

litus oblata sanguinis missionis necessitate, basilicam secandam curauit: quæ valde propinqua est pulmoni, & multo vicinior, quam cum pleuritide paulo humiliores costas afficiente. Patiente gutture, ad cephalicam perpetuò confugit, nūquā ad saphenam. Sextò, affectus cordis curiosè admodum scrutatus, repletionem sanguinis ex dextra basilica remouet, vaporosam verò ex sinistra: quibus apertissimè constat Hippocraticam seruasse rectitudinem quæ est eiusdem lateris, quandoquidem crassum sanguinem & multum in dextro cordis ventriculo versantem ex dextra basilica deprompsit, vaporosum autem qui in sinistro ventriculo creditur considere, ex sinistra. Sed quanta est distantiæ magnitudo à corde ad basilicas? Medius fidius, multò minor, quàm ea quæ ad patientes costas inferiores mensuratur, nimirū quùm vena sine coniuge costas alens octo inferiores subter cor iacere credatur. Verùm attende iam inconstans eorundem iudicium & variam disciplinam. Capite de sputo sanguinis saphenam aperiēdam imperauit: nisi illic de eo sputo tractasse dixeris, quod à suppressis menstruis duxit ortum. Sed audias alterum manifestius transfugæ exemplum. Capite de curatione communi pectoris, prius à saphena sanguinem dempsit, deinde à basilica contrarij lateris: quanquam eatenus ibidem fluere ipsum permittat, donec color permutetur. Iam vides dictorum ineffabilem repugnantiam: vt qui iusserit spectare coloris sanguinis mutationem saphena percussa, quam solum spectarūt Hippocrates, Ga-

lenus, Paulus & alij, quum vena secta parti phlegmone tentatæ existit propinqua, aliôqui prius exhaurietur vita. Amplius in mictu sanguinis magis conferre saphenam voluit quam basilicam: in colica vero, pariter ac in vesica inflammata: in renum affectione, testiculis laborantibus, rectitudine seruata post basilicam, saphenam laudauit. rursum matrice inflammata, vertit in dubium vtra magis modò dictarum venarum conueniat, & tandem rectius putat à basilica demendum esse sanguinem leuatis pedibus, deinde à saphena: consimilem seruabit methodum præfocationem perpesso vtero, vbi post basilicam, cômendauit saphenam: in quibus omnibus secû ipse non conuenit; quum pari opera, in mictu sanguinis, post basilicæ sectionem, facienda esset saphenæ. Aequo pede Rasius inconstantissimè processit, quippe qui cap. de melancholia basilicam sinistram, in catarrho cephalicam: in cephalea, cephalicam eiusdem lateris: in opthalmia vero ex contrario brachio exhausit sanguinem. Subinde in apoplexia ex vtraquè cephalica aggrediendam esse curationem scriptis mandauit. vnde constat, fuisse parum constantis disciplinæ Rasium, qui in alijs Hippocratem æmulatus, in opthalmiæ curatione brachium alterius lataris protinus curauit diuidendum, quum æqua ratione in cephalea non eiusdem partis sed contrariæ cephalica vena foret rescindenda. Quæ omnia idcirco peculiaribus exemplis adnotasse libuit, vt intelligant cuncti non vnicam fuisse barbaros

com-

complexos disciplinam, sed palantium m ore, in varia irrupisse dogmata, vnica Hippo. nunquã ab illis satis intellecta. Superest nunc, nequidquam semel proposito dogmati deesse videatur, vt argumentis contra Hipp. & Galenum constructis, pro viribus satisfaciamus. Ac omissa modo barbarorum authoritate, quos turpis inconstantiæ nuperrimè dignos existimauimus, ad Manardi refellendas argumentationes operæprecium est accedamus: quæ illo filo pendere potissimum visæ sunt quòd nequeant nostra tempestate corpora tantam perpeti vacuationem, quanta spectationi coloris sanguinis effluentis est necessaria. Et quòd Galenus non simpliciter vituperasset contrarii lateris venę ruptionem, sed ante tulisset eam, quæ ex eadem parte affectionis collocatur. Argumentatio prior, tanto viro mehercule indigna, facilè diluitur, si consequentiam negemus. Non enim colliget quispiam dialecticè sequente consequentia. (Non licet tantam copiam nostra tempestale sanguinis educere, ergo non est seruanda rectitudo) siquidem imbecillis existentibus hominibus non est expectanda coloris sanguinis mutatio autore etiam Galeno vt superius monuimus, adhuc tamẽ secundum directum facienda est eius emissio. Prępuè quod Galeni temporibus, corpora mortaliũ ob victus intemperantiam imbecilliora notabantur tempestate Hippocratis, ad subeũdos labores medicinales, nõ tamen idcircò præceptum de directione seruanda aut neglectum est apud Galenum, aut posthabitum vnquàm, quũ singulis pagellis,

Diluuntur argumẽta quæ rectitudinẽ eße seruandam negabant.

2. de fracturis, comment. 27.

gellis, ipsum maximo in pretio esse habendum legerit quisq;. Sed ait, non simpliciter fuisse vetitam ex contrario latere venę sectionem, sed ceu minus vtilem à Galeno repulsam: quid inde, hoc saltem condonandũ est sponte, Galeni testimonio, eiusdem lateris venã vtiliorem esse, quod summè cupimus medicis persuasum. Rursum nõ semper esse custoditam rectitudinem apud Galenum contendet aliquispiam demonstrare, ex ea potissimũ oratione quæ. 13. meth. scripta est ad hunc modũ. (At si plethoricum corpus sit, vel malo succo redundet, curatio per ea quæ sic calent, fluxionem ad membrum citat: atqui nec alia vti datur: cogimur ergo aliàs sanguinem mittere, idque aut vena incisa, aut membris his, quæ læsa non sunt scarificatis, manu enim laborante scarificabis crura: altero verò crurum laborante, reliquum.) In hac controuersia Manardus & Fuchsius suam quoque seruari rectitudinem asseruerunt quemadmodum in ea medicatione, quæ posterioris partis capitis dolo-
5. aph. 68. rẽ venæ frontis sectione nititur sustollere. Verùm quoniam nullibi id genus interpretationis inuenimus, parique iudicio brachij ad brachium sua inesset rectitudo, periretque facilè quod tantopere hucusq; defendimus de rectitudine præceptum: alia quippe via dirimẽdus videtur quæstionis articulus. Dicendum itaq; est reuulsionem appellari apud doctissimos viros, illud nimirum auxilium quo humores negocium facessentes in aliam lõge diuersam particulam seuocantur: siue ea cum vacuatione copuletur, cuiusmodi est sanguinis mis-

sio, siue absque ea omnino fiat, vt quùm ligamus partes à patiente particula procul positas, aut cucurbitulas citra scarificatum admouemus. Eaque subinde fit in contrariam partem ei quæ patitur: considerata nimirum contrarietate secundũ corporis dimensiones, secundũ longitudinem quidẽ supra infraq; secũdũ latitudinẽ verò, hinc & inde, hoc est à dextris & sinistris: secũdum profundum autem, ante & retrò. Inter has, illa vocatur deriuatio, quæ licet aliquatenus humores dimoueat à loco patiente, non quærit tamen semotissimum, sed potius vicinum locum: ita enim deriuari dicũtur humores qui per aluum confluere cœperunt, quùm per vrinam concitantur. Vacuatio tandem dicitur illa, quæ si corpus totum respiciat, per venã quancunq; ruptam fit, siquidem quælibet vena è toto corpore vacuat communicationis vasorum ratione; si verò certam quãdam corporis particulam, quæ ex ipsa parte affecta contentos succos extraxit, aut extra corpus omninò, aut ad alias corporis partes. Si itaque reuulsionem exactissimam intenderimus, quæq; solum id prestare debeat quod sui muneris est, in contrariam partem succos fluẽtes reuocare, illa erit maxima reuulsio, quæ in maxime longinquam fit regionem, quemadmodum sæpius scriptum est. (Longissimè à parte tenta fluxione, quod redundat reuellere, nequaquam ad eam trahere conuenit.) Si verò, deriuare duntaxat proposuerimus satis profectò faciet qui fluentes in oculos humores, ad palatum seu nares aduocauerit: aut qui per hemorrhoidas fluere ceperit sanguinem,

2. Acut. 11

13. Met. et 2. de natura humana 9.

guinem, in vteros ipsos depulerit, ac exinde foras extruserit. Quód si vacuatione vti sit opus simpliciter appellata, ab ipsa si fieri potest parte affecta, extat exercenda: quo pacto ipsi spleni & hepati inueteratas perpessis durities, non dubitauit Galenus cucurbitulas cum scarificatione infligere. 2. ad Glau. quam vacuationem nũquam melius exercebis, quàm quùm phlegmonem suppuratam scalpello aperis, aut musculorum prope cutim hærẽtium cauitates diuiseris: in alijs porrò, vsquequaq; interesse videtur deriuatio. Iã verò si omnia simul exequi coegerit necessitas, reuellere scilicet, deriuare: & vacuare: diligenda est vena quæ cuncta hęc commodè faciat, atq; præstet. Quamobrem scitè admodum pręcepit Gal. non vtcunque esse isthęc auxilia in vsum admittenda, sed pensata potius phlegmones magnitudine, & totius corporis statu: quocirca si phlegmone parua sit, aut ignobilissimas obsederit particulas, non admodum curat
13. meth. Gal. præsenti malo succurrere, Sed potius futuro, sicuti. 2. ad Glau. genu in tumorẽ sublato, post basilicæ sectionẽ ad crura descendit. Aliter nimirũ facturus si qđ factũ erat iã phlegmones per se ipsum vrgeret periculumque minaretur. Quærimus (inquit ille) pręsertim in acutis, eam nimirum venam
2. acut. 11. quæ citius & magis reuellat & euacuet. Ac proinde quum genu inflammatio inter acutos non cẽseatur nisi esset maxima, reuellere magis fluentes quam vacuare studuit humores: reuelluntur autem magis, quò longinquius. Eadem meth. 10. de compositione secundum locos, in ischyade basilicam

eam primum secuit, deinde ad malleolorum venarum peruenit diuisionem: quòd ischyas, nisi propriæ essentię ratione foret maxima passio, loci ratione exiguum malum censeatur. Corporis quoq; plenitudo maior aut minor nō parum facit ad auxiliorum reuellētium selectionem: nimirum quū exigua redundante copia, minus reuellere conueniat, multa verò si præmat, maiore opus sit reuulsione. similiter etiā, si multis plenum est corpus humoribus, reuellemus vacuādo extra corpus humores, quia plenum corpus reuulsos non recipiet. Ast si moderatè corpus habuerit, synceris retractionibus vtemur, hoc est, quæ absque vlla vacuatione aut perquàm exigua cōficiuntur, vt sunt ligaturæ & frictiones. Quin & loci commoditas maximè contemplanda videtur, vt quis valeat aptissimam venam adaperire, aut aliorum præsidiorum vllum vsurpare conuenienter: quanquam enim perpetuò custodienda sit (quantum datur) rectitudo, ob eas causas quas Galenus reddidit, & nos eius sequentes disciplinam attexuimus, nihilominus tamen nonnunquam locus feriendus id non permittit, cogitq; vt id fiat quod potest, non quod fieri deberet. Verbi gratia. Dum manus altera patitur inflammationem notatu dignissimam, exigit sanè vt vena scindatur quę reuellat simul & vacuet nōnihil inflāmationis, quūq; nō detur per idē brachiū id agere, quoniā sic non fieret reuulsio sed tractus potius humorū, neq; cruris eiusdem lateris venæ ruptio, ob lōginquum positum, vacuare in parte inflammata contentos succos valeat, fit

3. tech.

ſit certè vt ex altero brachio ſanguis emittatur, ex quo quanquam non ita rectè, ob vicinitatem tamē loci, magis & citiùs ex afflicta parte ſanguis exhauriatur. Quùm alterum crus de quo propoſita eſt controuerſia, phlegmone affligitur, ſi reuellere cōfluentes humores eſt animus, brachia magis forēt ſcarificanda, quòd longiſsimè poſita ſint à parte patiente. Verùm quoniam periculoſum eſt admodum verſus partes pręcipuas naturam repellere, & forſan plenitudo tantam reuulſionem non poſcebat, eam partem potius vſurpauit quæ non tātum reuelleret ſed ad propinqua deriuaret: quę quùm ex eodem crure fieri nequiret, ne per patientem particulam irruant ſucci, alterum percuſsit, non ſanè tanquam rectius affectionem reſpiciens, verùm quod vicinitatis ratione, plus ex ipſa educere poſſet. Credere igitur dignū eſt varios vſurpaſſe Gal. reuellendi modos, quod non vbique ad ſecandam venam commodus eſſet locus, neq; æquabilis ſemper adſit copia ſuccorum, præter id quod phlegmones magnitudo, aut ipſius paruitas, aut reuellere ſolum aut ſimul reuellere, & vacuare, aliquandò verò vacuare ſolum cogat. Dices forſan, pleuritide laborantem vacuandum eſſe ſaltem ex crure eiuſdem partis, quo ad remotiſsimam fiat humorum retractio, quemadmodum decimo tertio meth. & ſecundo de natura humana præceptum eſt. non ergo ex eodem brachio mittetur ſanguis. Fatemur ſanè reuulſiones ſynceras ac ſimpliciter tales ex maximè longinquis partibus eſſe faciendas, quod optimè adducta teſtimonia comprobarunt,

Comm 9.

runt,

runt, atque hoc ipsum expostulat reuulsionis præceptum: cæterum, cùm præsentibus iam malis medemur, seruata rectitudine quantum licet, non solum reuellere motos humores & ad fluxum citatos, sed & fluxos vacuare contendimus, quod nequit efficere, nisi vena rumpatur aliquantò propinquior affectæ particulæ. Non adduximus reliqua solita fieri argumenta, quod illa, Hippocraticā disciplinam consulentibus, & ea quæ nuperrimè scripsimus fundamenta, impendio sint perspicua & solutu facillima. illud tādem colligamus, liquere satis, quæ vena singulis in morbis seligenda sit, nempe in morbis supra clauiculas infestantibus, humeraria, infra verò basilica seu interna, vtrasquè partes, ea quæ communis esse dicta est. Subinde, in morbis infra hepar, talares venę seu poplitū sunt excindēdæ: renes ambigere creduntur, propterea quòd vtrinque opem accipiunt, quamobrem recenti eorum inflammatione ex basilica ducendus est sanguis, inveterata verò eadem, ex poplitis aut malleoli vena. Vltimò exhortatur, vt quùm ꝓpria patienti particulæ vena non appareat, aut quia à natiuitate illa priuatus fuerit laborans, aut quoniā latentem admodum sortita sit locum, eam prę cęteris deligamus quæ illi est copulatior, ac directius affectam partem respicit. Quocirca si cephalicam studeas discindere, ea non apparente, ramum eius ad iuncturæ flexuram descendentem rūpito, quod si neque is appareat, communis dicta vena extat amplexanda, atque deinde his non apparentibus, ad eam perueniendum est, quę quanquam non ita

13. meth. *6. aph. 36.*

recte

rectè vrgenti malo prouideat, vtcunq; tamen melius proficiat quàm si nihil effeceris. Neque hoc vitiat præceptum de rectitudine quod tunc tẽporis pollere credas opportet, quum datur optio peritis medicis commodissimam arripiendi venam: si enim quispiam in altero brachio nullam apparentem venam gereret, consultô eam feriremus, quæ ex opposito brachio illi correspondere t.

Cap. XVII.



GO itaque rogatus sum aliquando à diuite quopiam viro in suburbio Romanæ vrbis habitante, vt suarum rerum æconomum inuiserem, cui cęcitatis imminebat periculũ, (hoc enim ipse dicebat) vehementer dolentem, idque propemodum diebus viginti. Erat autem familiæ diuitis illius prefectus medicus Erasistratius, studiose semper a vene sectione abstinens. Vbi igitur laborantem inspexissem, iuuenemque esse multi sanguinis, oculosquè nondum exulceratos habere depræhendissem, cæterũ phlegmonem fluxionemquè maximam, & in ambabus palpebris densitatem, in altera etiam asperitates iam quasdam, à quibus obtenebratione orta magis dolebat, & phlegmone deuflxioquè ipsa exacerbabantur: ijs (inquam) conspectis, cognitaquè omni curationis qua medicus ille vsus erat, ratione, me quidem non posse assiduè in suburbium venire dicebam

ex vsu verò esse vt homo triduum, vt minimum, breuibus interuallis à me inspiciatur. Permitte igitur illum, inquam, mihi per hosce tres dies. Imò verò (ait) hoc abs te contendo, gratiamquè habebo: quin iam hominem ad ædes tuas abduc. Venit autem horam circiter quintam, ac prima statim detractione sanguinis libras tres exhausi, dein hora nona aliam extraxi. A quibus plurimum leuatus postridie leuiũ quopiam collyriorum, cui admixtum erat, id quod ex vino conficitur, inunctus est, veluti in eiusmodi facere consueuimus, in vnctione sub palpebris per summum cuspidis specilli facta. Id autem primum mane factũ est, dein hora tertia, postea nona, à quibus inunctionibus sub occasum solis lotus est. Pòstero deinde die palpebris extra versis bis inunctus est, maiori copia collyrij illius quod vinum recipit molli collyrio admixta: postea ad vesperam lotus est. Sequente die mane diuiti illi obuiam factus eò loci ubi è vehiculis descẽdere solent, salutauit illum oculis apertis, phlegmonequè ac fluxione liberis, qui ante biduum palpebras præ fluxione ac dolore aperire non potuit. Quapropter res incantationi cuidam similis visa est, ita vt & ille ipse curationis celeritatem admiratus exclamaret, omnesquè qui cum eo erãt similiter in clamorem prerumperent, quùm nos haud magnum quidpiam fecissemus, nisi comparatione medici eius familiaris, qui propter metum venæ sectionionis maximũ malum attulerat. Porrò opus erat laboranti vt ex palpebris extergerentur tum densitates, tum asperitates: id quod citra mordax medicamẽtum fieri haud poterat: tale autem nihil ferre potuit, nisi prius va-

cuatus foret. Dictum enim iam, & sæpe nobis demõstratum est, omnia acria medicamenta partibus quibusdam admota, nisi vniuersum corpus vacuum fuerit, & exquisitè excrementorum expers, fluxionem attrahere, phlegmonemquè efficere. Percontatus igitur est tum diues, quænam incantatio curationis fuisset, & cùm omnia quæ facta sunt audiuißet, ab eo tempore Erasistratium illum medicum sanguifugum nominauit. Hæc itaquè narratio vtriusque indicationem continet, tum quòd in eiusmodi affectibus sanguinem mittere opportet, quod in præsente sermone nobis propositum non erat: tum quòd in rectum laborantium partium secare venam conueniat, & quod humerarias venas, vbi partes thorace superiores laborant, incidere opporteat.

Commentarius.



REVI sermone interpretanda est Galeni prolixa narratio: quãdoquidem satis est per se perspicua, duoq; potissimum ostendit, tum quòd in eiusmodi affectibus opporteat sanguinem mittere, tum quod in rectum affectarum partium, & idcirco fuisse in phlegmone oculorum, incidẽdas humerarias venas, iuxta pręcedentis capitis disciplinam. Qua de causa Erasistratęos sanguifugos appellarint constat ex his quæ à principio huius tractationis prælibauimus, quum an sit in vsum medicinalem,

dicinalem recipienda ſanguinis miſsio, diſputauimus. De collyriis & medicamentis oculorum, multa.4. de compoſitione ſecundum locos: inter quæ Paulus quod de vno confectum eſt, deſcripſit libro ſeptimo, cap. 16. Quid autem intellexerit per denſitatem liquet contẽplantibus caput Pauli libro tertio de σκληροφθαλμίας. hoc eſt duritie & difficili oculorum motione vna cum dolore & rubore: hæc ſiquidem affectio ſanguinis miſsione foret curanda, nequaquam ea quæ τριχίασις dicitur, id eſt, pilorum in palpebris indebitus exortus. Et forſan legendum eſſet τραχύτητα non δασύτητα. Eſt enim in opthalamia aſperitas quædam in palpebris, cuius ratione dolent, quùm mouentur. quod manifeſtat, id quod de phlegmone fluxioneque ſublatis ſanguinis præſidio, adiunctum eſt. Admirabitur forſan quiſpiam, quòd tres libras ſemel exhauſerit ſanguinis, ac interpoſitis horis, quatuor, quartã aliam iuſſerit expromere. Verùm qui per Galeni volumina aliquandiu verſatus fuerit, æquè feret illud, & aliquandò nõ dubitauit æquabilem ſanguinis quantitatem poſcente morbi vehementia, extrahere. Quanquam enim vt plurimũ primas ſanguinis detractiones parciores paulò exerceamus cotyllę vnius ſcilicet menſura plus minuſuè: nihilo ſecius tamen, duas libras & tres cogimur educere, quemadmodum ego in fœmina vtero gerenti eduxi, (quæ fœtum gerens demortuum, paſſa eſt apoplexiam,) quadraginta vncias ne dicam quinquaginta, duarum horarum ſpacio.

Cap. XVIII.



Vemadmodum omnes prædictæ partes venæ sectione in gibbero facta vt dictum est, iuuantur: ita quæcunq; ijs inferiores existunt earum quæ in poplite & malleolis inciduntur. Sunt autem prædictis inferiores, quæ iuxta coxam, vesicam, & vterũ sunt: renes autem ancipites sunt, siquidem inferiores sunt ijs quas prius recensuimus, superiores autem ijs quas secundo loco commemorauimus. Quapropter venæ sectionibus in gibbero factis interdum auscultant, quando nimirum phlegmone recens fuerit, & sanguinis redundantia affuerit: qui verò illo affectu laborant quem propriè nephritim nominant, eam quæ in poplite est tum incidere oportet, aut omnino eas quæ sunt in malleolis, venas. Porrò vteri phlegmones magis quàm renum, à venis in cruribus incisis iuuantur: vacuationibus enim quę in gibbero fiũt, aliud quodam etiam accedit malum, quippe menstruas purgationes suprimunt, eò quòd sanguinem ad superiora corporis reuellunt. Quæ verò ex cruribus fiunt, non solum reuellunt sed & menses euocare solent. Ac quando hoc facere volueris, prope tempus consueti mulieri circuitus, tribus aut quatuor diebus anteuertas, aut venam incidens, aut malleolos alterius cruris scarificans, parum vacuato: deinde postridiè eodem modo ab altero crure iterum similiter

vacua-

vacuato, vt tamen vnà istis diebus in quibus ita vacuas, & ante hos, alijs quatuor aut quinque de extenuante victu prospicias. Scriptus est autem à nobis seorsum vnus liber de extenuante victu, verum mulieribus etiam citra huiuscemodi victus rationem menses abundè prouocant & calamintha, & pulegium. Dare verò ea oportet in mulsa cocta & arida tusa, cibroque subtili transmissa, ac rursum in mortario trita vt pollinem referant mulsæ insperge. Tempus verò potionis optimum est à balneo, inuolutis adhuc linteo. Hæc itaquè mitia sunt medicamenta: vehementiora autem sabina & dictamnus: cæterum vsus prædictis similis. Datur verò hoc etiam tempore medicamentum quod propriè amarum nominatur, centum habens drachmas aloes mixtas, aliorum medicamentorum cuiusq; sex, optimum autem est quando cinamomum accœperit. Hæc quidem obiter dicta sunt, quanquam à re ipsa non aliena, eò quòd delationi sanguinis ex vtero auxiliantur, cum vacuatione quæ ex cruribus fit, sine malleolis scarificatis, aut incisa vena quæ ad talum est, aut in poplite vena. Scio & ischyadas vno die vacuatione ex cruribus sanatas esse, quæ scilicet non ex frigore, sed à vasis quæ in coxa sunt sanguine impletis, factæ erant. Quocirca sic affectis sanguinis missio à vena poplitis, quam in malleolis commodior est: scarificatio autem illos haud manifestè iuuat.

Commentarius.



N expoſitione decimi quinti capitis, ex Galeni diſciplina quæ tradita eſt ſecundo acutorum decima commentatione, & tertio libro anatomicarum adminiſtrationum, ac libello de venarum & arteriarum diſſectionibus, morbis ſupra furculas vagantibus conuenientem venam humerariam retulimus, ijs qui thoracem moleſtant affectibus, interiorem: communem vero ſeu inter vtraſque mediam, vtriſque affectibus prodeſſe, vt Oribaſius & Aetius definierunt. Præſente capite, ne quid deeſſe videatur conſiderationi, de venis, vnicuiq; affectioni accommodatis ſupplet accuratè reliquas affectiones, quæ partes infra iecur laceſſunt atque dilaniant, dicens. Quemadmodum partes quæ ſupra iecur afficiuntur, à venis quæ in gibbero reſident tribus, interna ſcilicet, media, & humeraria iuuantur, haud ab ſimili ratione inferiores iecore partes à venis malleolorum & poplitum auxilium ſentiunt præſentaneum: adeò, vt ſexta Apho. comment. 36. in morbis veſicæ venas manuum ſecare non liceat de mente Hippocratis: quòd eius ſententia, in partibus quæ ſupra hepar locantur, è manibus ſanguinem mittere iubeatur, in inferioribus verò, è cruribus ipſis, vt liquet ex ſexto

& 7. apho. 43.

Epi.

Epi. parte prima, comm. 5. Disterminauit porrò Hippoc. nostri corporis particulas in superiores & inferiores, medium designans iecur, 6. Epidemi. parte 2. comm. 16. Quod Oribasius libro ad Eustathium obseruauit,& Aetius primę quaternionis sermone tertio cap. 12. Quid multa? Nam vel Auicenna ipse capite de sanguinis missione, haud potuit id genus disciplinæ non profiteri, dum talia fatur. (Cephalica non mundificat hypochondria, & basilica non euacuat nisi quod est à parte capacitatis scilicet thoracis, & inferioris ventris saltem ventriculi.) Hanc etenim partem inter superiores computauit Galenus capite 3. ante hoc, & sexto Epidemi. parte 2. commentario 16. Quãdò ergò affectus est genitus in aliqua nostri corporis parte, partesque infra iecur sitas miserè cruciat, non esse prætereundas crurum venas hucusque confecimus, idque, & ob loci viciniam quæ sic, comparatione patientis loci, seruatur, & ob vasorum debitam rectitudinem, quæ omnia Hippocratis experimentis comprobantur. Sed est quòd Galenum audias, nihil eorum quæ nuper ostendimus obseruantem. Is enim quum medicinalibus operationibus operam nauaret, eisq; partibus mederetur, quæ infra iecur iacent, contrariã exercuisse methodum sæpius offenditur. Nempe libro de cõpositione secundũ locos cap. de Ischyade, vena primum secta cubiti, eam quæ ad talos posita est secuit: & secundo ad Glauconem cap. de inflammatione, genu in tumorem sublato, in primis cubiti venam percussit, deinde eam quæ

Explicatus Gal. a contradictione.

in cruribus,quibus exemplis non seruauit Galenus rectitudinem, quam superiorum partium inter se, & inferiorum hucusq; de mente Hippo.sumus tutati. Fateor equidem me non semel dubitasse de hac re quid potius foret iudicandum, quum in vtranq; partem demonstrationes adducantur: sed quo mihi nonnunquam satisfeci, curabo quoque communi vtilitati facere quoquè satis. Quando itaq; Galenus reuellit & vacuat humores in partē læsam irruentes, eas proculdubio selegisse venas legitur, quæ loco patienti sunt vicinæ, quæq; dum aperiuntur, humores in affecta particula contentos extrahant, licet simul reuellant; atq; id maximè obseruauit,in acutis morbis seu malis vrgentibus,2.acutorum.10.commento.vbi ergò morbus acutus non est, qualem genu & ischyade laborantibus, contingere par est, nihil refert profectò, si distantiorem partem percuserimus, reuulsionem propensius procurantes, quàm vacuationem, fluxionem præterea ipsam attendentes procliuius, quàm genitum iam tumorem. Quod si Hipp.nusquam in morbis infra iecur legitur ad brachiorum venas peruenisse,vt Aph. citato nuperrimè assertum est,id sanè intelligendum est:vt quum vacuare humores passionum autores studemus, semper sit seruanda præceptio,quæ in morbis supra hepar brachiorum venas scindere monet, & in his qui infra,rursum eas secet quæ sunt crurum. Secus habet si reuellere solum, nihil vero vacuare ex afflicta particula voluerit, quemadmodum Galenus vsu ipso comprobauit. Ad hæc, 2.libro Epide.partis

tis primæ comm.40 Multum intereſt conſideraſſe occaſiones à quibus quiſq; ægrotare occæperit, ſeu vt rectius interpraætatus eſt 6.Epi.parte 3.comment.18.& quarto acutor.57.perpendenda ſunt, & dies in quo cœpit morbus, & principiũ ex quo, & quis morbus.quam ob rem,quũ, magna ex parte à principalibus membris fluxiones deſcendere credantur, vt pote officinis ſuccorum ampliſsimis, non ab re dicendum erit, patientibus inferioribus hepate particulis morbos ex fluxione, eas eſſe adaperiendas venas quæ citius & magis principes partes exhauriunt, cuiuſmodi ſunt quæ in gibbero diuiduntur 4. acuto. comment. 24. Renes ambigere dicuntur, non quidem, quod tam ex brachijs quàm ex cruribus opem ſentiant effatu dignam vtcunque, id equidem & morbis aliarum partium exiſtit familiariſsimum, propterea quod reuellitur humor ex longinquis admodum partibus, deriuatur verò ſeu vacuatur ex vicinis: ſed quia ſiue brachiorum ſiue crurum venas ſeces, perpetuo renes ab humoribus quibus fatigati ſunt exonerantur,& humor qui in ipſis inhæſit,exhauritur, & foras educitur. Aliôqui, quæ pars eſt in toto corpore, quæ vndecunque ſecta vena opem non ſentiat, ob id quod corporis plenitudo diminuatur,& elangueat: & deinde reſerata proprio-ri, adhuc maiorem vtilitatem non experiatur? Nulla ſanè. Quo circa in ea fuerim ſententia, vt quum inflammatio inſignis veſicam, aut vterum, aut aliam quamuis particulam ex inferioribus infeſtauerit, quæ periculum minetur & vrgeat,

Quo pacto renes ambigere dicantur.

geat protinus esse ex cruribus inchoandam sanguinis emissionem, propterea quòd id semper asseratur, inter initia phlegmonem & aliorum morborum præsertim acutorum, expedire luculentius reuulsionem cum vacuatione coniunctam, quæ non debitè fiet rectitudo illa partium superiorum cum superioribus & inferiorum cum inferioribus mordicus custodiatur ac inspiciatur. Obiter hoc loco methodum ciendi menstrua descripsit nobis Galenus, quatuor aut quinque diebus anteuertere præcipiens venæ sectionem, aut scarificationem vt in albis & pituitosis fœminis obseruandum esse superius admonuit. vtcunque fiat, qui ciere menses procurat, parum vacuet, bis terque per interualla, vt maiori impetu concitata natura quos optamus succos sufficienter expellat. Accedat quoquè per plures antea dies quùm purgationis tempus instet, decem scilicet plus minusuè, victus attenuantis ratio, quò humores fluxioni parentur habiles: de quo victu, scriptus est liber vnus de attenuanti victu à Galeno. Eiusmodi est decoctum pulegij, aut calaminthæ, aut sabinæ aut dictamni, aut harum herbarum pulueres cribro secreti, aut castorij drachma in aqua mulsa epota quæ insignem aliquandò peperit vtilitatem, de quo capite de castorio & quinta Aphorism. vigesimo sexto dictum copiose. Iam verò iheræ picræ puluis drachmæ vnius aut semissis pondo in aquæ calidæ ciathis tribus, valde commendatur libro secũdo de compositione secundum locos capite

Capite sequẽti & 2. acut. 10.

Methodus mouẽdi mẽsium fluxionem.

pite de dolore capitis per consensum ventriculi. verùm illic confecta esse traditur ex octoaginta aloes partibus, aliorum senis, hîc verò, aloes centum drachmas miscet, aliorum cuiusque sex. Sed prior efficacior multò censenda est, ob id quòd aromata ad aloem comparata, præstantiorem nāciscantur excessum: sintq; ipsa aperientia magis, & incidentia, quàm aloe ipsa. Neq; opportet negligenter audiuisse, victus attenuātis appellationem, & victum exiguum ac parcissimum spectantibus mēses exhibere: quippè id aduersatur maximè medicationi ergà cienda menstrua peragendæ. Nam vt libro aduersus Erasistratæos scriptum est, per dies aliquot ante purgationis præstitutum tēpus, victu humectanti & lauacris vti iussit mulieres: propterea quòd inædia, non solum fluentes purgationes sistat atque detineat, verùm etiā eas quæ prius inculpatè prodibant, reprimat pariter ac cohibeat. Laudauit proinde eodem libro muliercuIas quasdam quæ huic malo Romæ medebantur, vt quæ neq; quietem, neq; ieiunium imperassent ex purgandis fœminis, sed melicratum, & victum humectantem, ac tandem lauacra. Per nephritim Fuchsius voluit cum autore libelli definitionibus, inflammationem cum vehemēti dolore, satis prȩter mētem Galeni: si enim nephritis inflammatio existit cum dolore vehementi, non solum ex cruribus, sed & ex brachijs prius debet subueniri, præsertim si recens insit. Melius videtur nephriticam dici pasionem, eam nimirum quæ renes excruciat citra malū aliquod manifestū, cuius modi esse potest

Ibera ex aloes centū drachmis constans ciendis mē sib. est efficax minus.

Quæ menses spectāt fœminæ nō sunt fame macerādæ.

Nephritis falso à Fuchsio interpretatur.

test distemperies aliqua debilitans renes cum humoribus forsan associata calidis: cui equidem expediret sãguinis detractio ex cruribus, ob id quòd inueterascant id genus passiones. Ita siquidem octauo de compositione secundum locos cap. de affectibus iecinoris, nephriticum, hepaticum, cœliacum, & stomachicum inscripsisse legitur: quandò, enim tumorem aliquem pars aliqua patitur, inflammatam eam aut tumorem patientem cõpellant Græci. Quod Dioscorides euidenter ostẽdit, dum nephriticis & hepaticis gentianam, rhaponticum, agaricum, aristolochiam prodesse consensit: quæ, qua nam ratione inflammationibus cum vehementi dolore proficere poterunt?

Caput XIX.



AETERUM vt summatim dicam incipientes phlegmonas reuulsoriè vacuare opportet: quæ verò diuturnæ sunt, ex ipsis, si fieri potest, laborantibus partibus, sin minus, ex ea quæ his maximè vicina est. Incipiẽtibus enim, id quod influit auertere conuenit: in diuturnis autem ipsum tantum quod laboranti parti impactum est, vacuare opportet. Vacuabitur verò id optimè per venas coeũtes cum his quæ in partibus ipsis sunt sitæ. Huic rationi experientia quoq; ipsa testimonio est. Quocirca ijs, quæ in faucibus & arteria *phleg-*

phlegmone laborāt vehementi, in principio quidē quæ in gibbero est, post hāc quæ in ipsa lingua magnificè auxiliatur, ambabus nimirū quæ in ea sunt venis incisis: sic etiā in oculis, induratas phlegmonarum reliquias vena, q̄ ad magnū est angulū secta iuuat, quēadmodū capitis grauitates, et diuturnos in eo à plenitudine dolores, vena in frōte incisa manifestè lauare solet, incipiētes autē et vigētes, reuulsio per cucurbitā in occipite, interim quidē ipsam solā, interim etiā cum scarificationibus oppositam. Verùm vniuersum corpus antea vacuatum eße opportet. Eadem ratione dolores in posteriori capitis parte incipientes & vigentes, vena in fronte secta iuuat: quippe reuulsiones cum vacuatione magis fluxionibus incipiētibus fieri opportet, quæ verò ab ipsis laborantibus partibus, aut illis vicinis vacuant, in phlegmonibus iam veluti induratis. In quibus autem corporibus nulla dum particula laborat. Cæterùm vere ineunti vacuationem anteuertimus, in his siquidem homo ille quotannis æstiuo tempore febrilibus morbis capi consueuit, dum redundantiam eorum, quæq; morborum generationi opitulantur, vacuare studemus, quæuis pars ad sanguinis detractionem eiusdem conditionis et sortis est, quemadmodum vtiquè si arthriticus fuerit, omnibus articulis laborans. Quibus verò pars quæpiā nisi prius vacuati fuerint, p̄cipuè infestatur, haud æquè ex quauis particula vacuationē moliri opportet, sed pinde atq; in alijs quæ iā laborare incipiūt. Quocirca podagricos ex gibbero vacuabis: comitiali autē morbo et vertigini obnaxios potius ex cruribus: si uerò ppter retētas hæmorrhoidas sāguinē miseris, si-

quidem

quidē has voles cohibere, eas quæ in manibus sunt, sin elicere, quæ in cruribus sunt venas secare oportet. Verùm in his quibus suppressa sunt menstrua, sēper quæ in cruribus sunt: nō enim vt in hæmorrhoidibus quidam liberari eiusmodi vacuatione volunt, quidam verò habere cupiunt, ita quoque in menstrua purgatione res se habet. Quippe vacuatio per hæmorrhoidas suspecta est, ne in tantam euadat immoderationem, vt aut hominem protinus interimat, aut omnino hydropicum aut malo corporis habitu præditum reddat: at per vterum purgationibus, vt quæ naturales sunt, tale nihil accidit. Euenit tamen aliquandò vt etiam ex vtero propter erosionem sanguis erumpat, in quibus non est idem curationis scopus, nō enim effluere sanguinem, vt in menstruis, sed planè sistere consilium est. Communis igitur in his omnibus qui vere ineunti ad sanguinis missionem veniunt, hæc ratio est, si quidem præcipuè infirmam aliquam partē habeant, in quam quæ coaceruatur plenitudo decūbat, reuulsoriè vt vacuemus: si verò tale nihil sit, vnde cuiquè magis placebit, excepta tamen hæmorrhoidum, aut mensium suppressione, vt paulò ante definitum est.

Commentarius.



X præfatis iam liquet apertissimè quæ vena singulis morbis sit adoptanda: verùm sermonis decursus cogit, vel inuitos denuò repetere exempla saltē aliqua, quæ id ipsum in peculiari demonstrent. Ita equidem Galenus in angina primùm humerarias, deinceps eas quæ subter lingua sunt, dissecat: capitis grauitates & diuturnos eius dolores, vena in fronte incisa, nam recentes ex plenitudine, curabit prius venæ cephalicę dissectio: ppterea quòd monimētum illud Hippocratis, de vacuatione totius corporis, antequàm topicis remediis vtamur vbiquè sit maximè obseruandum, vt ex 6. lib. de compositione secundum locos inter initia compertū erit, & 2. ad Glauconem cap. 7. Quod si Hippo. 5. sectione Aphorismorum. 68. dolentem partem capitis posteriorem, secta vena frontis, est medicatus, id certè ea lege factum esse arbitrere, qua hoc in loco illud idem faciēdū putauit, scilicet vacuata prius totius corporis plenitudine. Hoc etenim subaudire nos opportet & si non dicatur. Superius etiam diximus, exceptis venis poplitum & malleolorum, cubitorumuè, ex aliis nihil mediocre effluere sanguinis: quare, vena frontis non poterit vniuersum corpus exinanire, quod fusissimè sexto

6. de comp. secundum locos principio.

Epide.

Vena frontis sectio locale est remedium, ac perinde, non debet morbi principio exerceri.

Epide.parte 2.commen. 30. insinuauit, inquiens venæ frontis sectionem reuulsorium esse præsidiũ & locale. Nemo ergò inde sumat occasionem ad secandam venam frontis in morbi principio, præcipuè pleno existente corpore: si quidem valdè vicinus est locus, nisi fortè maiores pertimescens aperire vt in phreneticis, ad hanc confugeris, quæ tametsi decidente ligatura sanguinem inopinatè effuderit, nihil periculi adducet. Hæc quæ modo diximus, fluentibus humoribus patranda sunt: quòd si passiones inueterauerint, ab ipsa parte affecta, aut si id non licuerit, ob partis ipsius incomoditatem, saltem à maximè vicina parte quantũ licet facienda est vacuatio. Vt si oculus patiatur antiquam affectiouem, ex magno angulo aperienda vena est, cùm non liceat ex ipso oculo, ob loci ineptitudinem & periculum, quod experientia atque ratione stabilitum, reliquit Galenus. Nó igitur vnquam obliuioni tradantur quæ exactis iam capitibus adnotauimus: nempe omnes vacuationes conuenire in hac generica appellatione qua vacuationes nominãtur Græ. κενώσεις: quæ multiplex iuxta suarum differentiarum numerum existit declaranda. Nimirum reuulsionem faciẽs defluentium humorum in cõtrariam regionem, vocatur reuulsio, quæ vero in partem propinquam diducit hnmores, deriuatio: at ea quæ ex ipsa patiente fit particula, nomen retinet generis simpliciter. Quæ, quia superius copiosius sunt explanata, non libet in præsenti, iterum repetere, sed ad illum locum ablegandum duximus studiosum lectorem.

ctorem. Ceterùm lubens hîc cuiusdam scioli perstringam diligẽtiam: qui cum apud Aetium legerit humerariam venam esse minori timori subiectã atq; eo amplius, capite de dysenteria, minus vires imbecilles reliquis venis; audet citra vllum iudicium pronunciare idem reddere absque vllo rerũ delectu examineuè, ceu rem controuersia carentẽ dimittere. Sed res ipsa aliter est excipienda, Probatissimi etenim autores, id tantum cauisse in incidẽdis vena interna & communi videntur, ne arteria aut neruus qui illis substernitur, percutiatur pro vena, quod palam fecit historia apud Galenum tertio anatomicarum sectionum relata: humeraria verò quùm nihil illorum subter nacta sit, tutius sunt arbitrati eam scindere quam alias. Nemo profecto exinde colliget, si sapiat, humerariam minus debilitare vires quàm reliquæ: quanquam enim animales vires & quæ in cerebro consident, ob rectitudinem quam cũ capite indepta est, amplius vacuet, & citius quàm reliquæ, vitales tamen magis debilitabunt communis & interna, quoniam cor directius respiciunt. Minus etiam debilitabunt cor venæ malleolorum sectæ, quam humeraria ab eandem rationem: præsertim quùm Aetius loco nuper citato, perspicuè causam addiderit, ob quam humeraria minus labefactet vires, inquiens. (Quod si cephalica non appareat, necessariò mediam secamus: inferiorem autem incidere ob subiacentem arteriam vitandum.) Sed quæ hactenus disputata sunt, erga designationem venarum vnicuique morbo congruentium, de morbis iam

Non est secãda vena cephalica in dysenteriæ curatione, quod minus debiliter vires.

præsentibus debent duntaxat accipi: nam de morbis venturis. alia prorsus habenda est consideratio. Estque in primis contemplandum, an totum corpus ex æquo pati sit solitum, an vna pars aliqua insignius affecta esse consueuerit: si priori ratione passurum corpus expectes, quælibet vena (vel cōmunis ex Oribasio) ad id præcauendum est conueniens, quod quidem in febribus, & articulari morbo cunctos articulos vexanti comprobabitur: quippè quòd vnaquæque vena (de maioribus sub audias) vniuersum corpus æquabiliter euacuat secundo acutorum 10. comm. Si autem pars aliqua præ cæteris afficiatur terribilius, eosdem canones seruare par est quos conuenire sumus interpretati incipientibus inflammationibus, & reliquis morbis præsentibus. Nimirum de rectitudine seruanda, de reuulsione fluentium succorum, de deriuatione fluxorum, de extirpandis his qui in particula aliqua sunt inculcati, Nisi quòd in futuris malis indicatio reuulsoria solum vigeat ac præstet, in præsentibus vero quæ vacuat simul & retrahat: quamobrem secuudo libro de natura humana comment. 9. ad quam maximè distantia auertendos esse succos iussit, in sanis videlicet, futuris tamen ægris. Eadem methodo præseruantes vertigini & podagræ epilepsiæuè obnoxios, eam nitimur venam incidere quæ procul reuocet humores flexuros à parte pati consueta: in epilepsiæ precautione malleolorum venas pertundentes, in podagræ vero, eas quæ sunt in gibbero. Consimiliter fiet, si hæmorrhoidas aut menses nimios plus iusto,

In morbo rū precautionibus maior est reuulsionis indicatio.

sto,

sto cohibere, aut ciere exardeas: detinentur siquidem in gibbero sectis venis, reuocatis sursum humoribus, cientur rursum, his quæ in malleolis insunt. Iam vides hîc Galenum hoc posuisse discrimen inter hæmorrhoidas & menses, quòd illas coercere aliquandò permittatur, quùm scilicet timorem incutiunt ex nimia purgatione, ne hydropicus, aut catheticus fiat laborans. valdè nanque suspectum censuit Aetius per hæmorrhoidas factam euacuationem, à qua maiora pericula imminent quàm vtilitates: quare amoliri eas penitus decreuit, Hippocratisque esse decretum Aph. illo, (hæmorrhoidas sananti antiquas) de cunctis simul venis occludendis. De qua re quid sentiendum sit in expositione nostram depromemus sententiam: quam in Apho. Hipp. conscribimus. Menses verò, vt qui naturales sint excretiones, nũquam coercentur, sed perpetuo prouocantur si nom conuenienter exierint, ac proinde è cruribus sanguis est mittendus: secus habet si superfluant, aut ob vlcus vteri sanguis immoderatius erũpat; tunc enim necessario ex bracchijs foret absque dubitatione mittendus sanguis. Satis latum est discrimen inter præfatas duas affectiones, quod quamuis non redundent, sed tempestiuè secedant, nihilominus tamen plures ob tædium & tristem viuendi conditionem ob hæmorrhoidibus cupiant liberari, à mensibus verò, nulla sanæ mentis fœmina, quòd si id temerè postolauerit, ceu iniquam petitionem & naturæ instituto contrariam iure suo denegabit medicus. Demum quùm

præferuamus aliquem à futuris malis verno tempore id potissimum faciemus, iuxta sententiam illam 6. Aphoris. ac libro de puero Epileptico; nūquam enim vtilius periodici morbi repelluntur, quam verno tempore.

Cap. XX.



E hoc quidem in superioribus potestate dictum est: verum tamen præstat et nunc omnia percurrere, omnibus quæ antè dicta sunt, in vnum hunc sermonem coaceruatis, et vnà definitis, quæ minus sunt distincta. Igitur in summa hoc sciendum primùm, quòd in sanguinis missione dierum numero non sit attendēdum, quemadmodum nonnulli scripserunt, & quidam vtique admodum ridiculè post tertij diei accessionem quandò videlicet, vt aiunt, iam habemus dignotionem aliquam, qualis sit forma & morbus totaque sua natura morbus. Alij verò extremum terminum mittendi sanguinis quartum definiunt diem, intra quem vtique vt sanguis mittatur in accessionum interuallis, quandò libuerit decernunt. Alij verò auferre festinant, quibus sanguinis detractionem ex vsu esse definiunt, eo etiam non transfluenti, & nondum in aliqua parte superuacua recipiente firmiter retento: vnum solummodò considerantes, num cibi in ventriculo concoquendi corruptio aliqua facta sit, aut tarda concoctio, aut etiam cibi,

bi,

bi in eo contineantur . Quòd igitur maturandum sit in quibus vacuatio ex vsu est , nisi ubi prius cibos , & in primis venis semicoctos humores concoqui oporteat, rectissimè dicunt , eisq; credendum est . Verum quoniam sæpe postquàm aliquis dies iã quinque aut sex ægrotauit ad curationem accersimur , expediet vtiquè sanguinem mittere , etiam si huius remedij prima occasio sit prætermissa. Quocunque etenim die mittendi sanguinis scopos in ægrotante inueneris, in eo præsidium hoc adhibeto , etiam si vigesimus ab initio morbi dies fuerit. Qui nam vero fuerunt hi scopi? Magnus morbus, virium robur , excepta ætate puerili, & ambiente nos aere admodum calido . Quoniam verò temporis progressu, in plurimis morbis virtus exoluitur , ideò mittendi sanguinis occasio dierum numero amittitur : non quòd idipsum primario efficiat . Sed interueniente aliquo , priusquàm scilicet virtus dissoluatur . Proinde vbi altero à principio die , aliquando virtus exoluta videtur, à missione sanguinis abstinebimus.

Commentarius.



ISSERVIT hucusq; Galenus quinque considerationes huius tractationis præcipuas, an opus sit vacuatione per sanguinis missionem exercenda, quod in quinque dispositionibus corporis admisimus

explendũ:secundo,qui valeant ferre sanguinis missionis præsidium indemnes: tertiò, quibus scopis obseruatis mensurabimus sanguinis educẽdi quãtitatem: quartò, quandò, ad lipothymiam vsquè deceat ipsum extrahere: quintò,quæ vena pro singulis morbis sit eligenda, siue præsentibus malis medeamur, siue futura arcere procul propositum sit. Sola manet occasio differenda, quam circa huius præsidij administrationem, oportet medicum in primis intueri:quam scientissimus Hippocrat, æquè variam ac multiiugam cum ipsis morbis percensuit, libro de morbis primo. De qua iã tandem sic disceptauit Galenus. Non attendas (inquit) dierum numerum ad sanguinem mittendum, sed in quocunq; morbi die scopi adsint, magnitudo scilicet morbi,robur virium,tametsi vigessimum diem perdurauerit morbus, imò quanquã quadragesimum Auicennæ testimonio: oportet sanguinem peccantem demere. Verum est sanè idque eo nomine abnegandum ducerem, temporis progressu amitti sanguinis educendi occasionem,non dierum ratione primum,sed intercedenti alio,virium nempe dissolutione: magna siquidẽ ex parte labuntur vires durante morbo, ac propterea dictum est,Aphorismo illo. 29. secundi Aphorismorum, (inchoantibus morbis si quid videtur faciendum,facito) spatio porrò temporis,& sanguis & spiritus exhauriuntur, corpus corrumpitur, ita vt sanguis minutus, imbecillum facere posit non integrum Celsi sententia. Qua de re
4. 1. c. 20. Auic.in his corporibus quę prolixas sunt perpessa
ægri-

ægritudines cauendum esse sanguinis missionem adiurauit. Cęterum quanquam hæc attendi debeát à perito medico, non tamen adeò deterreri debet, vt & si adsint scopi qui cogunt ad sanguinem mittendum, distringi atq; anxius admodum esse debeat: satis cautè aget, si temporis rationem contéplatus, accuratius vires perpenderit. Quocirca, qui solum meditantur dierum numerum dicentes post quartum dié non licere phlebotomia vti, aut qui post tertij diei accessioné tantum permittunt istud pręsidium vsurpari quales sunt diatritarij, qui ante tertium diem nequè cibos aut medicamentũ vllum præstantes spectabant donec morbi natura integrè fuisset agnita & moribus & forma, quod ante tertium diem nosse posse quenquam diffitebantur. 8. Meth. hi omnes (inquam) falso nituntur fundamento, nã quòd temporis duratione corrũpatur corpus, dissipetur virium proxima materia, fatemur ingenuè, nõ tamen proinde negabit quispiam humorem pituitosum tempore in sanguiné migrare calore febrili ipsum calfaciente atque coquente, subindequè morbi successione opportunè admodum demi sanguinem, quem à principio educere forsan non decuisset. Adhuc tamẽ res ipsa persuadet, vires morbi duratione lacessitas occũbere quadãtenus, imbecillioresq; reddi: id tamen hoc conficit solũ, vt parcius detrahamus quàm plenitudo cõmoneat, Quòd si diatritarij, cuiusmodi sanè est plebs hodierno etiã die, nõ valẽtes ĩtra tres dies morborũ naturas & differentias ad vnguẽ expendere, tres dies expostularũt, ad exactam dignotionem

Morbi processus sanguinis mittendi minuit indicationem.

4. de sanitate tuenda.

nem assequendam: permittant obsecro diligentiores paulò, pariter ac peritiores viros suo modo agere, explorataq; mox in ipso morbi principio, eius specie & natura, illicò suppetias afferre. Autore etenim Tralliano libro septimo capite de cholera. Ἀναβολὴ γάρ ἐστι πάντων τῶν ὀξέων νοσημάτων κακόν. id est, dilatio enim in acutis omnibus morbis, malum est: & Hippo. testante, 2. Aph. 29. inchoantibus morbis si quid videtur mouendum, moue. Placet igitur prę alijs illorum secta, qui summo studio ad ablationem sanguinis festinãt quùm opus est, id præcauentes duntaxat, ne cibi crudi in ventriculo insideant, aut semicocti in primis venis id est, meseraicis remorentur: hos enim venę sectio ad penetralia corporis inconfectos transduceret, inibique obstructionem tracti facerent: quod lib. 4. de sanitate tuenda animaduersum est. Ante sanguinis missionem igitur, antecedentia & consequentia consideranda sunt volenti exactissimam & nihilo claudicantem, erga huiusce auxilij dispẽsationem, sequi Methodum: antecedentia quidem ventris cruditatem nonò meth. declarauit, sub qua cibi corruptionem, tardam coctionem, & demum ciborum in ventriculo diutinam moram par est intelligamus ex hoc loco. Neq; expectanda est plures dies crudorum ciborum coctura, sicuti quidam nostræ tempestatis faciendum esse proclamabat, quòd Auicennam dicentem legisset, (caue ne fastiditum phlebotomes) nam pręterquàm quod perniciossum esset valde decretum, quodquè morbo, sua seuissima & teterrima conditione vrgenti

præ-

præproperè ſuffregari nonnunquam cohiberet, ſufficiet ſanè ſi ad alterum diem à principio morbi, remedium differatur ſanguinis miſsionis, quandoquidem cruditas ciborum non omnino vetare, ſed differre ſanguinis eductionem cenſetur. Sicuti alui ſtercus, intenſio febris, & ſimilia tardantia venæ ſectionem, & aliam occaſionem opperientia, non vetantia prorſus, dicuntur. Ita equidem tertio Epidemiarum parte prima commen. 2. Galenus ſe gerere in hiſce rerum euentis ſignificauit quum inquit (opportebat Hippocratem cum hominem aduerteret in præcipiti eſſe, ad ſanguinis miſsionem ſe conuertere, aut primo die ſi nullum contineret venter crudum cibum, aut certè alterum itaque diem ad ſummum ſpectaret Galenus, neq; ſineret pro craſtinato præſidio, morbum omnes ſuas vires recolligere, aut ſi id quod cauſabaris cruditatis, vno die emendari haud intellexeris, vomitum tentato, & ſi hac non ſucceſſerit, negligenda videtur iudicatio, & morbo ſuppetias attuliſſe ſatius erit. (Medicari enim, in acutis eadem die, tardare enim in talibus malum) Comprobauit hęc omnia Paulus lib. 6. c. 40. (Igitur prima die morbi interdum phlebotomabis cogenti neceſsitate, ſolam ſuſpiciens quæ in ventriculo fit, coctionem, aut perfectam hepatis ſanguificationem: ſi verò ob aliquam cauſam in principio ſanguinis miſsio non venit in vſum, & vltra. 7. diem non erit abſurdum phlebotomare, efflagitantibus illud & vſu & viribus. Quid igitur medico agendum eſt, dum ſanguineus humor venas & arte rias oppleuit, periculumq;

Differunt nonnulla sãguinis miſsionem non prohibent.

Non perpetuo cruditas in primis venis hærens vetat sanguinis detractionem.

lumq; minatur interceptionis venarum & suffocationis caloris natiui: rursum in primis venis, hoc est meseraicis, inconfecti succi ac pituitosi redundanter continentur? Quam controuersiam Fuchsius aliôqui doctissimus succussatori æquo veluti insidens, nec olfecit quidem, quemadmodum plurima alia, quæ admiratione non carent, propterea quòd semper paraphrastæ potius obierit munus, quàm expositoris. Quæram igitur, nunquid crudorum succorum coctioni operam dabimus, quæ non nisi lógo tempore comparari potest, an ablata copia humorum prius, quę præsens promittit discrimen necis, deinde securius agentes eos coquemus per ocium. Sic sanè videtur faciendum, ab vrgenti necessitate edoctis, cui parendum esse velis nolis cuncti philosophantes acclamarunt: nam vel Galenus ipse quarto de sanitate tuenda, idipsum insinuasse visus est: qui sic scripsit. (Pone hominem ex mala victus ratione, lasitudine affectũ, deinde ex his quas retulimus notis, in venoso genere vasorum apparere subesse illi copiam crudorum succorum, in reliquo corpore toto multitudinem horum quos lassitudo sequuta est, auctus præterea illi quodam modo esto sanguis) subscripsit deinceps quod sequitur, (maximè ergò vt dictum est detrahere primo die sanguine oportet, deinde succum illum educere qui superare videtur.) Mox in eodem exemplo perseuerans fermè sic ait (at si in eodem homine reliqua eadem sint, cæterum in lasso corpore sanguis paucus bonus, crudi plurimi, huic nec sanguis mittendus,

nec

nec alui deiectio aut exercitatio conuenit: quippè incisa vena bonum sanguinē emittit, malum qui in primis venis circa iecur, & quod mesenterium vocatur colligitur, in totum attrahit corpus.) En quam aperta oratione supposita eiusdem exempli imagine, variata tantum penes paucum aut multum sanguinem, sanguinem esse adimendum voluit vbi est redundans: nec verisimile est aliam potiorem occasionem expectasse, in tanto rerum periculo, quantum ex hypothesi supposuimus instare: quod Celsus doctissimè insinuauit, dicens, quū crudo minimè sit mittendus sanguis, neque id tamen est perpetuum: etenim res nō semper coctionem spectat. Secus haberet si paucus subesset sanguis, multis contra succis redundantibus crudis: eo si quidem tempore, exiguam spectaremus vtilitatem ex hoc auxilio ob causas à Galeno memoratas, præsertim si virium abesset robur, vti duodecimo Meth. de febre cum syncopa ex humorum crudorum copia, propositum est. Sed pergamus vlterius, & stercus in intestinis contineri fingamus, estne tunc subducēda aluus antequàm sanguis emittatur, an potius vti quidam perstrepentes asserūt, vt videantur paradoxam deprompsisse sectam, sistenda magis, donec sanguis demptus fuerit: certè si Græcorum similiter ac Barbarorum sectemur vestigia mollibus clysteribus vtendum prius est, ne venæ exinanitæ ab intestinis trahant succulentam stercoris substantiam, quod Paulus docuit lib. 6. cap. 40. Auicenna capite proprio hęc scripsit (caue à minutione super cibi repletionem

Taxatur qui, clysteris vsum ante venæ sectionem uetat.

& à

& à repletione inteſtinorum, à fęce ſubſequuta, imò ſtude ad euacuandum illud, quod eſt in ſtomacho vomitu, illud verò quod eſt in inteſtinis & ſi non alio ſaltem clyſteri.) Auerrous ſeptimo collectionum cap. primo, laudat impendio Zoarem, qui iuſſerit, ventre ſtiptico exiſtenti, (hæc enim ſunt eius verba) haud quaquam ſecandam eſſe venam, primi libri cap. 18. Hæc ſunt quæ euidenter oſtendunt vacuanda eſſe inteſtina prius quàm venam ſeces: latet profectò, quàm valida eſſe poſsint huius noui dogmatis conditoris, fundamenta, quę iſtud demoliantur ac deſtruãt. Vt enim ſuam pertinacius protegat hæreſim, in ridiculã incidit defenſionem: ſi enim cuipiam laboranti, quo tempore vena eſt ſcindenda, egerendi offeratur cupiditas, tãtum abeſt vt illum permittat ventrem exonerare etiã citra clyſteris vſum, vt iubeat potius violenter fluxum detinere, & phlebotomiam maturãdam eſſe præcipiat. Fortè legerat Auicennam de cura putridarum in vniuerſum, qui poſt venæ ſectionem, lenire ventrem mollier imperauit: aut Hipp. 4. Acut. 21. & 75. vbi poſt venæ ſectionem clyſterẽ admoueri iuſsit, ex quibus clyſteres poſt vacuationem factam, venire in vſum raciocinatur ille, non antea. Secundo, reputat ſuſpectas eſſe admodum duas vacuationes ſimul tempore miniſtratas: quo igitur tempore ſecanda eſt vena, haud debet imperari clyſteris vſus. Tertio, inteſtina à ſuis fæcibus exinanitia, auidè admodum è corpore trahent, conſequenterq; impedient exitum ſanguinis. His forſitan (ut audio) dogma ſuum κενόδοξον

corro-

corroboraſſe credendus eſt: qui quantum à verita te aberret, probatiſsimorum autorum decreta nuper adducta euidenter demonſtrant. Præterquam quòd nullam mereri debeat fidẽ apud ſtudioſum aliquem, tã peſsimi facinoris patrator, tum quòd in re ſeria tam facilè fuerit præuaricatus, tum præterea, quoniam ad delendam tam antiquæ diſciplinæ autoritatẽ, melioribus multò debuiſſet fulciri demonſtrationibus, & maturiori vti conſilio. Quùm enim Hippoc. iuſsit vti clyſteri poſt venæ ſciſsionem, iuſsit quoq; & pharmaco vti, ſi vires. ſint robuſtiores & morbus infeſtaret magnus, ſin minus ſolo clyſteri fuit contentus: non ergo illic: de ſubducendis fæcibus agitatur locus, ſed catalogus recenſetur morborum in quibus purgationis & ſanguinis miſsionis præſente neceſsitate, à ſanguinis miſsione inchoanda eſt medicatio, ac deinde aut pharmaco, aut ſi id non liceat, clyſtere ſunt expurgandi reſidui ſucci. Auicenna, poſt phlebotomiam clyſtere leni vſus eſt, ad tollendam ventris adſtrictionem, ob phlebotomiam conſequentem, autore ſiquidem eodem, phlebotomia propterea quod ad diuerſum trahit, naturam ſecundum plurimum retinet. Iam verò illud non facilè feres, inteſtina expurgata impedire ſanguinis defluxum ad venæ reſeratum foramen: quaſi verò inteſtina vnquam didicerunt, à venis exugere alimentum, & non antiquins ab ipſo ventriculo. Quòd ſi hãc tribuiſſet inteſtinis ſagaciſsima aliôqui natura propenſionem ex omni loco pelliciendi nutrimentum, nunquam fames, contingeret, tracto ſemper

ſan-

ſanguine in ipſa inteſtina: nec vnquàm fas eſſe ipſa à fęcibus exinanire, ne à venis ſanguinem alliceret. Poſtremò vtrum malles, trahi fæces ſtercorarias in ipſas venas phlebotomia exhauſtas, an cõtra ſanguinem ad ipſa inteſtina: conſultius eſſet ꝑfectó, ſecundum, quòd ex priori conſilio, obſtructiones, putredines, innumeraq; alia mala ſubſequerentur. Eadem etiam ratione cibus crudus in ventriculo potius eſſet procurandus, quãdo exercenda proponitur ſanguinis emiſsio, quàm quòd impediat miſsionis ſanguinis exercitium, trahit enim ventriculus nihilominus ac ipſa inteſtina.

Cap. XXI.




VOD verò in ipſo rurſum die in quo ſanguinem mittimus obſeruare opportet febris inclinationem, notum eſſe arbitror: quanquam quibuſdam non eſt cognitum, qui mane tantum venam ſecandam eſſe pręcipiunt, aut quod longiſsimum eſt, vſq; ad quintam aut ſextam horam. Verùm ſi quis memoria tenet quæ antea toto hoc libro dicta ſunt, nihil in ijs errabit, quauis vtiq; diei noctisq; hora, modò reſpiciat in febrientibus particularium acceſſionum declinationem, ſanguinem mittẽs: in quibus autem vel propter lippitudinem, vel aliud eiuſmodi citra febrem, hoc auxilio opus eſt, non declinationem omnino non exiſtentis febris his, ſed

magni-

magnitudinem doloris aut phlegmones, aut totius affectus in quo sanguinis missione opus est, inspicere conuenit. Quùm verò nihil eiusmodi vrgeat, aut prohibeat, præstat manè venam secare, non confestim à somno excitis, verum horam circiter vnam iam antea vigilantibus, dictum est autem, quòd & vti balneo quibusdam expedit, quòd si verum est, & prgeũte quoq; deambulatione, vti nonnullis vtile est. Cæterùm quibus verè ineunte venam incidere conamur, propter febris metum, aut alterius cuiuspiam affectus, quibusdam etiam postquam solitorum operum quippiam obijssent, siue in ludo literario, siue in officinis, siue in foro, siue in ædibus misiße ne sanguinem noui. Iteratæ tamẽ detractionis in quibus vtiquè simpliciter vacuare studemus, tempus eodem die esto: at in quibus reuellere conamur, si vel duobus deinceps diebus fiat, melius fuerit. I: omnibus verò his laborantis vires te attendere opportet, manu illius arterias contingentẽ: sunt enim quidã quorum vires tam facilè laborant, vt confertam vacuatinnem ferre non queant: in quibus refecto primo die ægrotante, secundo detractionem iterare conuenit.

Com-

Commentarius.



N hac poſtrema contemplatione quæ de occaſione pertractat, non ſolum vniuerſale tempus auxilij admouendi reſpicere eſt neceſſum, ſed & particulare, ob idquè iam diſceptatur & meritò quota diei hora vſurpãda ſit venæ ſciſsio, ſi commodè ſit adminiſtranda. Sunt enim qui ſummo manè aut ſaltem, quod longiſſimum eſt, vſquè ad quintam & ſextam diei horã ſeu meridiem, venas reſcindant tantum, non alio tempore, nihil omnino curantes aut febrium declinationem, aut morborum vrgentiam: contra quos Celſus definiuit, (in ipſo febris impetu ſanguinem mittere, iugulare eſt, quod ſi nequè febris remittitur, occaſio omittenda non eſt) Galenus palam decreuit eſſe obſeruandam febrium declinationem: quod ſi non adſit veluti in febribus cõtinentibus, Celſi conſilium eſt exequẽdum, quod Galenus amplecteretur lubens, quùm aliter fieri nequeat. At verò in reliquis morbis ſine febre, in ipſa magnitudine aut doloris, aut phlegmones ſuccurrendum eſt, quemadmodum hîc Galenus ſenſit: & illum ſecutus Razes decimoquinto continentium. Aetius verò prius ſpectat doloris ſedationẽ, ad venam aperiendam, Galeni decretis aduerſus è regione: quippe eo tempore ſubuenire affligentibus

Quo tempore particularis acceſſionis faciẽda ſit ſanguinis miſſio.

bus malis suademur, quo grauius molestant ac cru delius, præcipuè si eorum remissionem minimè speras. Similiter & in febribus continentibus in quibus nulla de declinatione tenetur spes, matutinum tempus magis idoneum existimauit Paulus, cui sedulò obtemperandum est si morbus dilationem patiatur: at si febres suas periodos habẽtes, in declinationem vicissim eant ex sua natura, abstinere oportet ab auxiliorum vsu in ipsis accessionibus, sicuti in ipsis interdicitur cibus & potus prima Aphorismorum vndecimo. Conuenientissima tamen hora est putanda ad sanguinis missionem, mane, non mox post expergefactionem sed horam vnam circiter experrectis, ne contrarijs motibus agitentur humores, intrò quidem somni ratione, foras vero sanguinis detractione: & vt ab excrementis valeat corpus expurgari, quæ inter dormiendum fuere retenta. id tamen fiet, si non prohibeat febris vigor, aut vehementia alterius morbi à febre cogat accelerare præsidium, tunc enim vel media nocte, aut hora alia quantumuis intempestiua subuenies. Vnde rectissimè dixit Celsus, (in præcipiti periculo rectè fiunt, quæ aliàs essent omittenda). Decet etiam aliquando nõ solum vnicam horam cunctari post somnũ ad sanguinem eximendum, sed & balneas præire, deãbulationem, ac demum exercitium iuxta cuiusq; consuetudinem solitum: sic enim habilior efficitur humor, ac magis fusilis, quod verius existit, in his quos præseruandi gratia tempore veris curandos suscipimus. Vbi enim morbus adest præsertim cũ

Capit. de Phrenitide

plenitudine humorum copulatus, periculum inferret balnearum aut exercitij vſus: immunda ſiquidem corpora lepris ſcatent, quum exercētur, & eadem ratione, ſi balneis lauentur, quas porrò. 3. acutorum vltimo coctis ſuccis & vacuata multitudine duntaxat admiſsit. Quin & de iteranda ſanguinis miſsione præceptum addidit in fine capitis dicens: dum vacuare humores ſimpliciter intendimus, eadem die eſto: quando verò reuellere, ſi deinceps duobus diebus fiat, melius erit: quātò enim maiorem in numerum reuulſionem diuiſeris, tantò magis proderit, vt dictum eſt cap. duodecimo ante hoc. Per diem autem in tota hac tractatione, ſpacium ſubaudimus, quod ab ortu ſolis vſq; ad eiuſdem occaſum dimenſuratur, quodq; horis duodecim inæqualibus conſtat, iuxta temporum anni diuerſitatem: aliter multò. 2. de criſibus cap. 2. ſcilicet pro noctis & diei ſpatio, viginti quatuor horarum duratione. Quæ patent clariſsimè ex hiſtoria cap. 16. enarrata, & ex his quæ hîc de mēte aliorũ citātur, qui aut ſummo mane aut quod longiſſimum eſt, quinta aut ſexta hora ſanguinem demere conſentiebant: idq; fuit temporibus illis conſuetiſsimum quod ſacra pagina demonſtrat, dum horas canonicas quæ chriſtopathiam continent, per diei horas digeſsit. Erga reuulſionis iterationē obtrudet nobis forſan quiſpiam, quòd nullus ſanæ mentis in pleuritide aut alio morbo magno ex fluxione comparato, duos aut tres dies cunctaretur, quin citiſsimè reuulſionē repeteret & ſæuitati morbi præſto auxiliaretur: præcipuè quùm 5. meth. ver

sus principium, fluente sanguine ex nare, ex cubito inciderit venam, ac vbi paululũ detractum sit, mox vnam horam intermittens, rursus detrahit, post iterum atq; iterum pro laborantis viribus: atque ad hunc modum esse reliquas fluxiones curãdas conclusit Galenus. Fugies argumentationẽ si de sola hoc loco agi retractione responderis, quæ quantò pluries iteratur, tantò fit præstantior, & si duobus deinceps diebus fiat, efficacior: in pleuritide verò atq; alijs prẹsentibus malis ex fluxione obortis scopus est potior retrahendi scilicet cum euacuatione humoris iam infestantis, qui quò infestat atrocius eò citius demẽdus est: ac proinde dictum est, iteratæ detractionis tempus, eadem die esto quum simpliciter vacuare conamur. Ast vbi duntaxat reuellimus, quod tunc fit maximè quum morbus futurus præcauetur, dedocere naturam magis elaborantes, repetemus remedium & maioribus interuallis: quod quidem maturius faciemus præsente malo vt in hæmorrhagijs & fluxionibus, in quibus impetus ille quo natura immoderatè prorupit, crebris repagulis est coercendus, & sæpius est natura ad contrarium iter reuocanda, quod quinto meth. notatum est. Multum interest sanè, an feriari medicum liceat, an potius cogatur acutissimis morborum præsentium insultibus ire obuiam: illud enim somnolentius aliquantò suspicit, hoc vero summa dexteritate ac quàm celerrimè nititur demoliri.

Quũ duntaxat reuellimus id efficacius præstam⁹, quũ maiorẽ in numerum reuulsionẽ partimur.

Caput XXII.



VOD autem veteres arterias appellent venas, & à nobis alibi demonstratum est, & ante nos alijs confessum fuit. Ob hoc igitur ipsum: & præterea doctrinæ affinitatem melius esse mihi visum est haud scribere alium de arteriarum sectione librum: sed orationi de venæ sectione adnectere, & hoc ipsum in ea parte in qua consideramus quas venas in quibus laborantibus partibus, incidere oporteat. Vt enim alias venas in alijs partibus secandas esse monstrauimus: sic vtiq; & quæ in temporibus sunt, arterias, & quæ post aures, medici incidere consueuerunt. Eas quidē quæ in temporibus sunt, in defluxionibus ad oculos tùm calidis tum spirituosis: post aures verò, in vertigine laborantibus potissimum, & ijs qui diuturnis capitis calidis & spirituosis doloribus infestantur. Iam verò & propter alia mala in capite consistentia diuturna, nonnulli arteriarum post aures sectione vsi sunt, non tamen in alia aliqua parte laborante hoc vsi sunt remedio, tametsi multi sunt quibus eò magis quàm venæ sectione opus est. Vbi enim calidus sanguis & spirituosus in arterijs coaceruatus infestat, hic communibus laboranti parti sectis arterijs opus est. Verùm quùm arteriæ difficulter compescantur: ideò medici eas incidere non audent: quum etiam

si qui

si qui secantes venam vulnerarint arteriam, ægrè confestim sanguinis eruptionem sistant, ac vbi res optimè cadat, ad cicatricem perducta diuisione, tamen aneurisma fiat.

Commentarius.



N his duobus capitibus proximè expositis occasionem secandæ venæ, tùm vniuersalem, tùm etiam particularem nos sapienter edocuit Galenus, è quibus illud præcipuum excipiendum est documentum: vt horam quandam selectissimam esse intelligamus ad sanguinem exhauriendum summum mane, & declinationes febrium, aliam verò coactam, & quam occasio ipsa vrgentis morbi nobis offert ad omni tempore morbo subueniendum. Ita quoque non præteribo illud monuisse, tyrones, duplicem esse mittendi sanguinis vsum: alterum quidem necessariæ phlebotomiæ, qui tunc vsu venit, quum ipsa morbi natura & magnitudo hoc sibi poscit ceu conuenientissimum præsidium, & citra cuius opem vsque ad mortem periclitatur ægrotus: alterum verò vtilitatis, quo non raro in morborum curatione fruimur, non quod esse necessarium id ad salutem consequendam credamus, sed vt tutiori remedio causis

morbificis diminutis, citius natura morbum vincat. Quo pacto ex ponenda sunt mihi Galeni dicta, quæ ob id solum sanguinem mittere reformidasse eum asseuerant, quòd laborans parere noluisset: si enim necessarium foret auxilium sanguinis emissio, nulla ratione per purgationem cōpensari potuisset, secus multo, si vtile tantum existimaretur auxilium, dicendum esset. Et quoniam de venis egimus vnicuique morbo appositis, arteriæque antiquitus venæ appellabantur iure suo visus est Galenus facturus, si de arteriarum sectione, consequio quodam pauca tradidisset est enim luce clarius, venas tum pulsificas, tum etiam non pulsificas venæ nomine apud priscos nominari, quas deinde vt commodè secernerent, illas arterias, has verò venas appellauerunt, ac rursum videntes arteriæ nomen commune similiter esse asperiæ arteriæ, pulsantes, simpliciter arterias, eam vero per quam spiramus asperam arteriā vocauerunt. Cæterum multis exemplis ostendit Galenus non sine magna vtilitate scindi arterias, quando videlicet sanguis subtilis & spiritu plenus particulam quampiam torquet miserè: nam vt reliqua missa faciam, tertio de locis patientibus cap. octauo, ac libro de locis & aëre, hunc esse morem scytharum adnotauit, vt pone aures arteriam resecarent, licet non impunè. Influxionibus itaque oculorum arterias temporum, in doloribus verò capitis antiquis, arterias post aures incidere, non est præter doctissimorum virorum sententiam: & iam prodidit historia Galenus, se nonnunquam

4. de sanitate tuēda.

4 acut. 24.

ape-

aperuisse arteriam inter pollicem & indicem sitam magna cum ægrotantis vtilitate, Deo ipso iubente: vt hinc pateat, non sine cęlestis numinis autoramento posse constare, quæ de arteriarum sectione traduntur. Quòd si periculum immineat aut fluxus immodici, aut aneurismatis, aut gangrenę, illa vitanda sunt totius arteriæ decisione: sic enim retractæ partes arteriæ in se ipsas concident, & propriam cauitatem opplebunt. Aut puluillis sanguinem reprimentibus, quos luculēter ad eum vsum commendauit 5. Meth. ex duabus partibus thuris, vna aloes, cum albumine oui ad crassitudinem mellis concinnatos, ac deinde vsus tempore pilis leporinis commistos, vlceratæ particulæ iussit apponere. Deorum ergò persuasione receptum est, vt in extremis membris & in capite arterias incidamus, maximè dum membranea corpora laborant, quorum dolor punctorius existit secundo de locis affectis: cuius causam hanc puto, ex Aphorismo, (accidum eructantes pleuritide non capiuntur) quoniam materia crassa haud facile penetrat in membranas ipsas ob densitatem compactas: quare si qua subit, subtilis ac arteriosa sit oportet, cui necessariò quadrabit arteriæ scisio. Quod Aetius, Auicenna, Oribasius, Paulus fuere imitati. Gangræna magnas inflammationes sequitur, estquè mortificatio partis non integra. septima Aph. quinquagesimo primo. Aneurysma, libello de tumoribus præter naturam, fit vuulnerata arteria, cum ad cicatricem deuenerit quæ ei adiacet cutis, manet verò

6. aph. 33.

arteriæ vlcus,ea neq; glutinata,neq; ad cicatricem simul perducta, neque à carne obstructa: cognoscitur ex pulsu, quoniam eo presso arteriæ delitescit tumor.

Cap. XXIII.



VI & interijsse quosdam nouimus à sectione arteriæ interiori in gibbero venæ subiectæ: nonnullos autem confestim ob vinculum iniectum,medicis volentibus compescere, ita vt hæmorrhagia in gangrenam transiret: alios postea chirurgia aneurismatis trucidatos, necesse enim est hic funiculo vasculum complecti.Effatu igitur dignas ac maiores arterias propterea medici refugiunt, paruas autem tanquam haud plurimum conferre potentes:quanquam & ipsæ sæpius haud exiguum nobis attulisse commodum visæ sunt,cum eo q sine aneurismate cicatricē contraxerunt. Quin & si maior est arteria,& ipsa quoq; citra aneurisma cicatrice clauditur,tota scilicet dissecta idq; ipsum multoties quod ex sanguinis eruptione imminet periculū substulit: manifestè enim apparet quum tota per se totam transuersim præciditur, reuulsis retractisuē vtrinque ambabus partibus vnam quidem sursum, alteram deorsum concedere. Atque id etiam venis accidit, sed arterijs semper magis quàm venis. Ego verò qua ratione impulsus sum vt arteriam secuerim

iam

iam tibi narrabo. Monitus per quædam somnia, quorum duo mihi euidenter visa sunt, veni ad dextrę manus inter indicem & pollicem sitam arteriam permisique, vt flueret, donec sua sponte sistererur sanguis sic quidem iubēte somnio. Effluxit autem non tota libra. Cōfestim verò diuturnus qui in illa maximè parte, qua iecur septotransuerso committitur, fixus erat dolor, desijt. Hoc quidem mihi ætatę adhuc iuueni accidit. Minister autem Dei pergami diuturno lateris dolore liberatus est per arteriæ in summa manu sectionem, ex insomnij quoque monitu illud aggressus. Porro alteri cui ex malleoli vulnere dissecta arteria fuerat, sanguinis effluxus haud cessauit, donec ego vocatus totam præcidi, ac medicamento ex aloe, & māna, ouorum albo pilis leporinis excepto vsus sum: vulnusq; citra aneurisma curatum est osculo arterię carne obducto. Homo autem ille annis iam quatuor ex interuallis paruis coxæ dolore vexatus deinceps perfectè sanus euasit. Hæc itaq; mihi persuaserunt, vt multoties in summis artubus, imò etiā in capite, arterias in omnibus doloribus à calida & spirituosa substantia natis, inciderem & maximè in membranis, quarum dolor punctorius est, sensimq; expanditur, punctorio quidem sensu in vna parte tanquam in centro laborantis loci facto, tensionis verò sensu circum circa centrum vniuerso percipiente musculo.

Com-

Commentarius.



VAE tantum venæ descen-
dũt per brachia ad manus,
quæ medicis veniunt secã-
dæ, ex quarum coitu tertia
communis enascitur, de re
liquis superna humeralis
dicitur, inferna basilica seu
interna: huic subiecta est ar
teria, mediæ neruus humeraria his omnibus caret,
ac proinde carere periculo superius dicta est, quo
cæteræ non carent scilicet, ne neruus aut arteria
inter secandum venam percutiatur. Hac de
causa tertio anatomicarum sectionum
liberauit eos qui venam pertun-
dentes, spasmum intule-
runt, à crimine mor-
tis. Cætera sunt
manifesta
huius
capitis & in pręceden-
ti capite vtcun
que an-
nota-
ta.

Caput,

Caput, De Cucurbitulis.



VCVRBITVLAE ijs qui antea vacuati sunt, utilitatem afferũt: si enim plethorici fuerint, illis haud vtimur. Eadem ratione & in cerebri & eius membranarũ phlegmonibus, in principio malorum cucurbitulis non vtimur: quemadmodum nec vlla alia in parte phlegmone obsessa: verùm vbi nihil iam influitq;, vniuersumq; corpus antea vacuatum est, opusq; est, aut mouere, aut amolire quod in laborante phlegmone particula existit, aut foras trahere. Porrò fientibus adhuc malis, non laborare incipientibus membris, sed ijs quæ eis coniuncta continuauè sunt, reuulsionis gratia affliganda cucurbitula. Cucurbitula potest materiam vacuare, dolorem soluere, phlegmonem minuere, inflationem discutere, appetentiam reuocare, imbecillum ventriculum robustum efficere, animi deliquio liberare, ex alto fluxiones transferre, ac resiccare, sanguinis eruptiones cohibere, facultates mensium corruptrices extrahere, et mẽses leuare.

Com-

Commentarius.

Species varia cucurbitularum.



EADEM ratione cōnectet quis cum præcedentibus tractationem de cucurbitulis, qua caput de arteriarum dissectione cum capite de venis secandis fuit annexum: nempè, quia reuellant, & vacuēt, tum præsertim quùm scarificatis locis superponuntur. Tria illarum genera Celsus lib. 2. cap. 11. & Paulus lib. 6. 41. assignarunt, corneas, æneas, vitreas, adde si lubet, ligneas, ferreas & ex quauis idonea materia, alias: videmus etenim quotidie & figlinas venire in vsum mulierculis, nos vero frequētius vitreis vtimur, quanquam æneas vehementius præhendere asseruerit Paulus propterea quòd maiorem sustineant flammam. Subinde ipsius Pauli sententia cucurbitularum duplex est genus, alterum quidem earum quæ vnicum duntaxat obtinent foramen, alterum verò rursum earum quæ duobus foraminibus sunt apertæ, quorum alterum angustius est multò quàm alterum. Quod quidem labris ipsis præhensum, adhibitoque suctu vehementi, exinanit vacui quadam ratione, carnes ipsas quibus altero foramine impingitur. Modus ad mouendi hasce cucurbitulas ex parte subiecti talis erit. Primum quidem inungere debes corpus

cui

cui sunt applicandæ, deinde in ipsas cucurbitulas linamentum seu stupam ardentem immittens, eas designatæ particulæ defigito; cauens, ne stupa candens carnes attingat, ad equidem plerosque deterruit, ab vsu cucurbitularum, propterea quod vstæ partes in vesicas dolorificas attollantur. Nisi velis aliter, ac iucundius eundem præstare vsum. Accipies denarium candelam exardentem habentem, huncquè statuito super partem præscriptam semel, ac deinceps cucurbitulam æquabiliter ex omni parti superponere opportet firmiterquè premere donec inhærescere credatur. De causa tractionis carnium non omnes similiter philosophantur: sed plurimis fecit haud leuem scrupulum, illud scilicèt, quî fieri posit, vt carnes trahantur à cucurbitulis, quandoquidem inclusus aër igne candentior factus, maiorem occupat locum quàm antea vtpotè rarior redditus. Ad hanc quæstionem, respondcrunt quidam portionem aëris igne consumi, in cuius locum cedunt carnes ne detur vacuum. Qui quàm falso dogmate suffulti fuerint philosophati, intelliget is, qui in nihilum aliquid posse conuerti denegarit cum vniuersa Philosophorum schola: quòd si portio illa aëris in aliam substantiam conuertatur, dicas obsecro, an illa crasior sit aëre an subtilior, quæ si subtilior sit, maiorem locum replebit, quàm aër: ac proinde carnium attractum prohibebit. Florentinus existimauit, ignem ipsum conuerti in aërem quo tempore extinguitur: postea

verò,

verò, quùm aêr minorem locum possideat ipso igne, necessariò succedere carnes ad deuitādū vacuum affirmauit. Sed nec ille quęstionem absoluit verè. Ignis siquidem in stupa hærens materialior est aêre ipso: quòd stupa ipsa & fumi ab ea dimanantes crassiorem nacti sint substantiam, quàm sit aërea: nō igitur occupabit capaciorem locum aëre. Dicendum itaq; est, ab igne aërem reddi rariorem, qui post ignis extinctionem, in pristinam densitudinem rediens, locum præbet carnibus consequentibus: quod mirificè admodum corroboratur experimento, quo volentes barbitonsores carnes trahi violentius, exterius cucurbitulas refrigerant linteis madentibus. Et cum sugant, & in seipsas carnes exorbeant cucurbitulæ, non statim plethorico existenti corpore, sunt defigendæ: sed vbi nihil amplius influit humorum, vniuersumq; corpus anteà vacuatum est vt 13. Meth. & tertio technes ad finem memoriæ proditum est, plenum corpus agitatos humores non recipere, ac propterea nec in partibus ab affecta parte remotis admouētur, nec dū in affecta parte: ne plus excitati doloris ratione trahatur humorū, quàm sit id quod vacuatur. Hæc ita habent vt dictum est. Cæterum quia Galenus facultates mensium corruptrices cucurbitulas elicere dixit, idque locum habere quisque subaudiet retentis menstruis: iure dubitamus, cur pleno corpore cucurbitulas admouerit ad ciēdum menstrua, siquidem id vetauit capitis huius principio præcipuè quùm cap. 11. præcedentis libelli in candidis mollibusq; mulieribus cucurbitulas apposue-

posuerit cum scarificatu : ne crebrò repetita venæ sectio, ad extremum languorem eas deducat. Auicenna hoc idem monuit obseruandum. Celsus etiã cap. 11. secundi libri, vbi opus est mitti sanguinem vires tamen non sustinent, ad hoc auxilium confugiendum esse consuluit, ceu magis tutum, sed leuius: ergò in pueris, in quibus ob debilitatem virium recusamus venæ sectionem, non esset absurdum scarificationibus vti, quanquam plenum afforet corpus. Nos etiam in paruulis nunquam dubitauimus scarificationibus vti bis etiam terque aliquando repetitis, ac non sine maximo commodo: quod sanè satis comprobauit Complutensis Epidemia recens grassata per cunctos ferè pueros. quorum nullum ex anthematis laborantem citra hoc auxilium sum medicatus, fœlicissimo successu. Nam si timens virium languorem Galenus, reformidauit venæ sectionem in candidis mollibusque fœminis, argumento erit, minus exigi virium ad cucurbitularum vsum cum scarificationibus, vel ad solos scarificatus, quàm ad sanguinis emissionem. Quòd si Auicẽna in infantibus ante duos annos, & post sexaginta in senibus, ab illis abstinẽdum esse decreuit: non quòd earum vsum omnino cohibuerit, (sed quantò plus poteris,) quemadmodum in eisdem ætatibus cum eadem adiectione, sanguinis detractionem permisit. Hoc etiã visus est mihi insinuasse Hipp. libello de medici officio, dum sequentia præscripsit. (At verò ad locos non periculosos, & circa quos non tenuis est sanguis latioribus gladiolis vtẽdũ est:) quam obrem vbi sanguis

Scarificatus in pueris laudandus est, præ venæ sectione.

guis est tenuis cuiusmodi est puerorum, angustis gladiolis vtemur, nó ob aliud quidem, quàm quod pertimescamus magna vasa lata diuidere, aut angusta nimis: quæ omnia deuitantur scarificatis superficiarijs vasis, quæ neutiquam nisi erratum sit, ampla patiuntur hoc modo foramina. Quarè vulgarem hunc vsum scarificandi pueros perpetuò comprobaui, ita vt in trimestrem puerum aliquando ter sim hoc remedio vsus, magnaq; cum fortunæ consensione. Sed est latum discrimen inter cucurbitularum vsum, & scarificatus, seu cucurbitulas cum scarificatu appositas: nempe solæ cucurbitulæ pleno corpore nulla ratione sunt admouendæ nisi partibus illis, quæ destinata sunt emunctoria & conuenientia emissacula recipiendis superfluitatibus p ipsas cucurbitulas vocatis: vt si ano, pubi, inguinibusq; affigantur, quod Gal. voluit in fine huius cap. in alijs verò partibus minimè conducerent: propterea quod plenum corpus non reciperet sic commotos humores. Scarificationes autem, aut cucurbitulæ cum illis applicitæ, quanquã humores perturbent, eosque vagari per corpus impulerint, nihil sequitur noxæ: propterea quod eosdem perfacta foramina educant, & ceu manibus quibusdam excipiant. Hæc diximus supposita totius corporis multitudine: secus multo sentientes, si vniuersum corpus iam suam sarcinam deposuerit: tunc enim & reuellendi gratia cucurbitulas admouemus, quemadmodum posteriori capitis parti Hipp. eas affixit, dolente anteriori parte: & vacuãdi etiam gratia impactos, ipsimet patienti parti im-

Vacuato corpore, laudatur

ti im-

ti impinguntur, quemadmodum inueterascenti pleuritidi, post septimum diē classici autores impegerunt. Sic Galenus sensit 13. Metho. quùm in generatione vitiorum, non ipsi parti quæ phlegmone vexatur, sed partibus continuis reuellendi gratia: affectæ parti capite præsente infiguntur, vt ex alto humores euocent, flatuosos dolores amoliantur 12. meth. & vt tumorem minuāt vt in carbunculorum curatione passim vsurpantur: appetentiam etiam excitant distractis aliò succis: fluxiones sistunt, vti dorso inhærentes excretiones è thorace sistere apud Auicennam dicuntur eosdē vsus affert scarificatus, præcipuè extrahēdi succos qui in intimis partibus insinuantur: quod in virulentis morsibus solet communis schola confestim exercere. Reuellendi vtilitatem quam maximam adducunt corporibus: ita vt altero crurum laborante scarificare liceat reliquum. 5. meth. Et si non aliud præstarent in re medicinali emolumentum, quàm quòd suppressos menses & hæmorrhoidas cient absque corporis iniuria & vitio, in quod necessariò laberentur corpora si perpetuo venæ sectione forent prouocanda: ob hoc solùm laudandus esset, vtique earum vsus, ac summis encomijs extollendus. Illud tandem erga cucurbitularum dispensationem adnotauit Hipp. lib. de Medico: vt quum procul ab apparenti carne compacti fuerint humores, debere esse cucurbitulas oblōgas quidem, & osculū angustum habentes: quæ enim tales sunt indirectum trahunt, & serosos humores separatos ad distantes probè ad carnem adtrahent,

cucurbitularū vsus.

In profundis afectionibus, ob-

trahent, reliquę verò ventrosæ & latum satis orificium habentes, proficiunt doloribus per carnem dispersis.

Caput De Hirudinibus.



IRVDINES nonnulli venantes includunt, eisque ad multa vtuntur: siquidem hæ cicuratæ facilè carnes appræhendunt: eas autem quæ recens captæ sunt, diem unũ asseruare opportet, exiguo sanguine in pastum exhibito, sic enim quod in ipsis est virulentum exprimitur. In vsu verò pars cui hirudines admouebuntur, nitro priùs perfricetur, vnguaturque, aut vnguibus scalpatur, promptiùs enim appræhendent: Cæterùm opportet eas inijcere in aquæ tepidæ vas purum & amplum, dein spongia compræhendentes, & sordes abstergentes manibus admouere. Vbi autem inhæserint, oleum tepidum particulæ infundemus, ne refrigeretur: si manibus aut pedibus admouebũtur, ipsã partem, aquæ, cui insunt hirudines, immergere opportet. Vbi verò parum attigerint, forfice caudas ipsarum pręcide: quippe sanguine effluente, trahere non cessãt, donec ipsi aut salem, aut cinerem ori ipsarũ insperserimus. Vbi autem deciderint, cucurbitula virulẽtum

elicere

elicere opportet: sin minus, spongijs fouere. Foraminibus autem si cruentæ lachrimæ efluxerint, ciminum, aut farinam inspergito, dein lana exiguo oleo madida inuoluito. Si verò sanguis cum impetu erumpat, linteum aceto imbutum inijcito, aut gallam vstam, aut spongiam pice liquida madentem, ac postea vstam imponito. Sciendum autem hirudines, non eum qui in profundo est sanguinem elicere, sed eum qui carni adiacet exugere: vtimur verò ijs pro cucurbitulis. Detrahimus autem eas vbi dimidiam sanguinis partem esse extractam conijcimus: prohibemus verò nec permittimus effluere donec quod satis sit excretum fuerit, eò quòd particula tum ab hirudinibus natura frigidis, tum ab ambiente refrigeratur.

Commentarius.



IRVDINVM plures differentiæ annumerantur apud Auicennam, ac tandem deligendas eas censuit, quæ paruis locustis sunt similes, & caudę muris, & ex his illas potissimum, quæ dorsum viride, & ventrem rubrum habent, Galenus verò in cunctis generibus earum virulenti succi suspitionem persentiens, fideliùs longè nobis consuluit. Primùm quidem earum cicurationem commendans longo tempore factam: quam si tempo-

ris angustia fieri non patiatur, saltem per diem asseruari antea voluit, aut amplius pastata interim animalis sanguine, hædi præcipuè sicut Auicennæ placuit. nam in his dissentire quis vellet, ab Auicenna, qui lubenter interpretatur exemplis, quod cuipiam poterat esse ambiguum? Vt velint ergo hirudines cutim præhendere, auidiusculè, fricandus est locus, aut nitro, aut re alia aspera: sanguinolentior siquidem cutis effecta, magis volupe erit animalculis sanguinis aliôqui cupidissimis. Secundò, lauentur in aqua calida & detergantur spongia: quo sordibus noxijs repurgatæ, veneni careant suspitione, quantum datur. Subinde si nolint tenaciùs cuti adhærere fouendus est locus oleo calido, ne sanguis ad interiora recurrat, sed cuti semper maneat propinquior: quod si nec hac ratione congruenter particulam attigerint, caudas abscindas opportet. Namq; hoc pacto sanguine effluente mordere non cessant exhaustæ, donec cinerem aut calcem osculis ipsarum insperserimus, quod faciet ad earum separationem. Desistendum prætetea est, antequàm sufficienter euacuent, timentibus nobis refrigerationem immodicam, & ab ipsis emanantem, & ab ipso nos ambiente aëre. Postremò incommoda, quę ad illarum administrationem subsequi solent, hoc pacto emendabuntur. Lachrimæ cruentæ si perseuerent è foraminibus factis exudantes, cumino intrito, aut farina, aut lana oleo madida inuolutaqué, quæ emplastica quùm sint, fluorem reprimere valebunt. Si verò impetuosius ferantur lachrimæ,

chrimæ, validioribus oppugnandum est auxiliis, vtendumqué est linteo in aceto intincto, aut galla vsta, aut lana pice liquida imbuta, & post vsta, ac id genus aliis. Id tacendum minimè est, hirudines Galeni decreto, superficiarium tantum sanguinem eximere, non eum qui in profundo subest. Contra Auicenna, magis eas è profundis trahere dixit, quàm cucurbitulas, satis præter rationem: cucurbitularum etenim vsus, violentiùs multò trahit, èque profundiori loco, quidquid Nicolus effutiuerit. De topicorum remediorum genere hirudines existunt, ob idque aperiendis hæmorrhoidibus sunt opportunissimæ.

Caput De Reuulsione.



EHEMENTISSIMOS humorum influxus reuulsorijs præsidijs confertim ingruere prohibemus: reuulsoria verò præsidia sunt irruẽte in thoracem & ventrem humore, ad manus retractio, vomitus autem vbi ad inferna decumbit, quemadmodum si ad vomitus inclinat, per acriores clysteres: ambas verò has inclinationes, quæ ad superiorem (inquam) & inferiorem ventrem vergunt, per vrinam & sudores reuelles. Quin

& vrina per sudores & alui excretiones retrahitur. Reuulsorium autem auxilium est etiam, mammis admota cucurbitula; his verò hypochondrijs affiguntur, sanguinis ad nares impetum reuelles, perinde atque immodicum ex vtero effluxum. Cæterùm ad caput et viscera humorum delationes, acria medicamenta pectori imposita reuellēt. In summa humoribus sursum fluentibus ad inferiora reuellendum est: deorsum autem fluentibus, contrà: intrò verò tendentibus, foras, & rursum foras vrgentibus, intrò: sin ad dextras partes repant, ad sinistras: etsi ad sinistras inclinent, ad contrarias, sic etiam quæ retrorsum abeunt, antrorsum, quæ verò antrorsum retrorsum reuelles.

Commentarius.



N hoc libello minimo, breuissimè docet Galenus, & multarum reuulsionum exempla & vsus reuocandis humoribus vtiles, quos præstant corporibus humanis. Conducit siquidem in primis, reuulsio Græcis ἀντίσπασις, ad cohibendos humorum fluentium incursus, ne confertim atquè immoderatè in partem aliquam decumbant: nimiru eadem si pressiùs accipiatur, in contrariam regionem ducit humores, ei in quam semel irrepserunt, deriuatio verò ad vicinam sedem, & quia ad contrarium quo-

quo

quo modo locum impellit ſuccorum incœptum impetum, inde hoc loco inter reuulſionum genera computatur, vt eſt illa deriuatio qua vrina per alui excretiones reuelli aſſeueratur. Sed quoniam deriuatio per propinquã regionem primùm patienti particulæ fit, magis confert defluxit iam humoribus, reuulſio verò fluentibus adhuc, vt ſæpe Galenus ait 5. & 13. Methodi. Ac vt vno verbo dicamus, reuulſionum ſpecies & differentiæ iuxta poſitionum ſex differentiarum aliquam fieri debent, in his ſcilicet, quæ ſurſum fiunt paſsionibus, deorſum facta reuulſione; in deorſum labètibus, ſurſum: ac ſimiliter eſt dicendum de reliquis. Quamobrem non debet verti in dubium, ſitne retractio dicenda, quæ ex altero brachio fit, patienti latere oppoſito, quemadmodum Manardus fecit aliôqui doctiſsimus, quis enim inficiari poterit, fluentes humores in latus ſiniſtrum reuelli poſſe ſecta vena ex gibbero dextro? Confeſſum eſt ſanè cunctis medicis, tantam eſſe communionem partium noſtri corporis inter ſe, vt vena quæuis præcipua, de toto corpore vacuet atque inaniat, quùm ſecatur. Id tamen ſæpius à Galeno proclamatur, ſectiones venarum quę ſecundum rectum fiunt, maiorem vtilitatem & velociorem afferre pręſentibus affectionibus, quàm eas quæ rectitudinem non ſeruant, dextrorum cum dextris, & ſiniſtrorum cum ſiniſtris, in quo rectum ipſum conſiſtere ſuperiùs diximus: at hoc enim verò quærimus in vrgentibus malis, vt per eas vęnas humores edu- 2. acut. 10.

 camus,

camus, quæ & citiùs, priuant, & magis perspicuam solent afferre vtilitatem.

Caput De Scarificatione.



CARIFICAMVS *partes corporis, aut phlegmone laborantes, aut induratas, aut tensas, aut dolore vexatas, aut fluxione, quæ iam firmata est, tentatas, aut acri materia adiacente, aut venenata facultate extrinsecus accedente, aut ubi materiam ex alijs partibus in aliam traducere volumus. Verbi gratia, crura scarificamus capite laborante, aut vbi materiam in corpore redundantem minuere nobis consilium est, præsertim vbi redũdantia prouenit à materia q̃ vacuari consueuerat. Veluti si hæmorrhoides supprimãtur, crura scarificamus balneo prius vsi, aut calida per spongiam fouentes: nã in anno sæpius incidere venam non expedire censeo, quippe cum sanguine copioso vnà vitalis excernitur spiritus. Eo autẽ copiosiùs absumpto, vniuersa corporis moles refrigeratur, omniaq́; naturalia opera deteriùs fiunt: quapropter ab ignobilioribus vt potè cruribus, detractionẽ fieri cõuenit. Prodest autẽ scarificatio etiã oculis diutina fluxione uexatis, et capitis affectib. malisq́; thoraci dorsoq́; accidẽtib. ad hęc anginis, atq; humorib. ĩpactis.*

Com-

Commentarius.



E scarificationis vsu compendium nobis reliquit Galenus impendiò concisum, sed summam amplexum omniū quæ dici poterant. Duplicem insinuauit eius vsum, alterum vacuandi, quem reddit, vbi ipsis inflammatis partibus & gangrenam interminantibus inuritur, aut quum carbunculos pestilentem inculcantes contagionem, scarificantes extirpamus: aut eo tempore quo suppressas vacuationes excitare contendimus, timentes ne si crebrò per venæ sectionem expediatur sanguis, vniuersum corpus refrigeretur. Quo loco apertissimè docuit Galenus, per scarificationes vacuari posse redundantiam humorum, minoriq; cum detrimēto virium: proinde haud iniquè faciunt, qui puerorum morbis medentur, euacuātes multitudinem, sarificatis malleolis, aut brachijs. Quemadmodum cap. de cucurbitulis comprobauimus esse faciendum. Sed hic vsus aptior est fluxis iam humoribus & in particula aliquà firmatis: alter vsus est reuellendi fluentes & ad alium locum traducendi, qua ratione, rectè faciet qui ascendentibus sursum ad caput succis, crura scarificaret. Verum hic scarificatus vario modo fit, autore Paulo, nam si paululū vacuare cogitamus, vna diuisio abundè est: sin amplius, plures adhibētur. Item si tenuiorem, qui continetur, sanguinē senserimus, summa scarificari, si crassio-

crassiorem, alta debent, quandoq; etiam concreti exitu sanguinem educere est animus. Terminu autem moderatæ diuisionum altitudinis sola cuti est crassitudo. Illud postremò adnotatione digni adiûxit Hipp. loco nuper adducto, vt quùm subte cucurbitulam scarificationem adhibere velimus sanguinem scarificādorum locorum conspicuum esse faciamus, aliàs neq; circulum adtractum scarificare ac pertundere oportet. Scalpris prætere vtendum est in summo incuruis, non valde angustis: aliquando enim serosi ac saniosi humores viscosi ac crassi veniunt, quare periculum est, ne in ipsis fissuris substent, quùm arctæ fiunt. Et quia Hippo. causam reddidit, propter quam scarificandi loci, sint priùs ad ruborem quendam permutandi, hanc scilicet, εὐτονοτέρη γάρ ἐστιν σὰρξ τοῦ πονήσαντος, idest, vt Cornarius vertit, debilior enim est caro loci dolore affecti: libuit in medium adducere meam expositionem. Cornarius insinuauit hanc esse causam, (quia caro laborantis est debilior & veluti exanguis effecta, oportet sanguinem cucurbitula leui aduocare ad partem extinctam, quò scarificatus eum faciliùs valeat extrahere.) Sed quia codex Græcus aliter habet, scilicet εὐτονοτέρη, sic à nobis explicatur, scilicet, (quia durior seu tensior est caro laborantis particulæ: (dolores nempe desiccant particulas) ob id oportet eas rubificatione præmissa, attenuare quodam modo. Hinc forsan natus est mos barbitonsoribus obseruatissimus, vt priùs frictionibus vtātur duriusculè factis, quàm partem aliquampiam scarificent.

Vnde natus sit fricandi mos ante scarificatum.

COM-

COMMENTARIA

FERDINANDI MENA

Philippi Magni Hiſpaniarum regis à cubiculo medici, & in Complutenſi academia profeſſoris.

In libellum Galeni de purgatione, cui alius eſt titulus, quos, quando, & quibus medicamentis, &c.

Caput primum.

SALVBRIA habentes corpora, difficulter purgantur: nam & vertigines & ventris tormina: ſeu torſiones patiuntur, ægrèquè purgatio ſuccedit, & præter hæc celeriter exoluuntur. Fiunt autem hæc omnia, quia medicamentum expurgans, familiarem humorem trahere cupiens, quùm ipſum non offendat, ſanguinem & carnes colliquat, vt ex illis familiarem ſuccum eliciat.

Commentarius.


ERTINET hic libellus ad eam partem medicinalem, quæ salubris vocatur, autore Galeno. 6. Apho. 47. quare non egemus nunc partitionis eius, qua alijs in locis vti libenter consueuimus, quùm vniuersam medicinã in quinq; partes partiti fuimus. Ostenditur enim in hoc breuissimo compendio, quæ ratio & methodus custodienda sit medico, ad debitè purganda corpora sana quidem, sed morbis obnoxia, cõsequenterq; tractationis communione, insinuatur quoq; nonnihil, quæ fuit similiter habenda, quùm præsentibus malis propositum est mederi. In primisq; antequam ad institutum accedat, ab hac cõtemplatione exclusit temperata corpora, hîc a Gale. salubria nuncupata, à philotheo in Aph. expositione. σύμμετρα, id est moderata: hæc etenim, quùm omnino sana sint, nullumq; vitium humorum contineant, purganda sunt minimè. Aliôqui symptomata ea patientur, quę à Galeno numerantur: nempe vertiginem, ventris dolorem, qui morsus est ab ipso pharmaco profectus, aut à flatu non habente exitum proficiscitur, & illis non succedit pro voto expurgatio, celerrimèq; exoluuntur, seu in animi defectum incidunt: quorum omnium

4. apho. 11. et 2. ap. 37

cau-

causam hîc, & sexto Apho. 47. talem designauit. Quoniam pharmacum expurgans, carnes, sanguinem, spiritus, in quibus vires nostri corporis potissimùm consistunt, exhaurit ac dissipat; non offendens eum humorem, quem debet attrahere, & cum quo similitudinem seu familiaritatem à principio fuit nactum. Prudenter inter initia huius capitis, salubria, vertimus, non sana corpora: quòd illa simpliciter sint inculpata, & omni vitio careant, Græcis ὑγιεινά: dicta cum hac adiectione ἁπλῶς, idest, simpliciter; de quibus latissimè in libro artis medicinalis mentionem fecit Galenus, & quatenus potestatem præseferunt validè morbis repugnandi, & actiones ad quas sunt procreata, perfectissimè exercendi, in secunda specie cathegoriæ qualitatis ab Aristotele locata sunt: hæc verò, ὑγιαίνοντα, idest nunc sana potiùs dicuntur, & secundum habitudinem seu leuem habitum, possidere sanitatem Græcis κάτασχέσιν. Quocirca priora corpora ad partem medicinalem referũtur salubrem, quæ priuato nomine, εὐεκτική appellatur, id est, quæ εὐεξίαν id est perfectum habitũ, qualis est, seruat: posteriora verò, subiecta sunt salubri quidem parti similiter, sed quæ in melius commutat, ac proinde salubris dicitur simpliciter & generali appellatione, qualis refectoria est, & quæ corpora ad pristinum statum reducit. Iam verò distemperata corpora de quibus nunc proximè loquebamur, adeò sunt parata morbis, & præcautione arte procurata indigent, vt ea, aut nunquam in senectutem peruenire; aut vno aliquo morbo

12. meth.

Libello an gymnastica ad salubrẽ attingat.

chro-

chronico corripi, sexto de tuenda valetudine perspicuè sit assertum. Quod quidem calidarum & siccarum, & calidarum & humidarum ac reliquarum distemperierum comprobauit testimonio. Verùm quoniam de pharmaco expurgante præcipua habenda est contemplatio in præsente tractatione, illudq; familiarem humorem pellicere modò dicebamus, haud præter institutum fiet, si quid sit purgans medicamentum, & qua ratione humores expurget, disseramus. Expurgans medicamentum dicitur, quod per excellentiam quandam hoc nomen adeptum est, propterea quòd & si reliqua humores detergant atq; mundent, nullum aliud per vomitum aut aluum subducit, quos familiaritate priùs pellexit succos: quemadmodum quod propriè pharmacum purgatorium appellatur. Quę ab ipso dimanat operatio, expurgatio vocatur. quo sensu Hippocrat. autore (cocta medicari seu expurgare oportet, monere non cruda,) prima Apho. 22. decretum est: estq;, qua humores qualitate noxij vacuantur, aut si mauis exactiorem definitionem, quæq; candidè rem ipsam exponat: est quæ non indifferenter humorem quemlibet euacuat, sed certum quendam, aut plures, selectè tamen, trahit. Vti libro de purgantibus medicamentis scriptum est. Quamquam enim amaricantia omnia medicamenta quæ sordescunt, detergant, & præter hæc mel, hordei farina, & furfures atque alia multa detersoriam adepta potestatem, hoc tamen nomine dotantur, non per excellentiam, nec quatenus tractrice facultate superflui humoris similiter

3. simpl. c. 24. & 5. libro. c. 20.

2. apho. 17.

Quid sit expurgatio.

militer & familiaris donata sunt. Similiter sanguinis missio humorem vacuat, tùm sanguineum, tùm etiam quęcunq; alium qui per venam sectam exire aptus existit: at quia, non certum eligit, sed indifferenter omnes elicit, ab expurgationis ratione & classe venit secludenda. Subinde quæ hanc exercent operationem medicamenta, catharica seu purgantia vocantur, per excessum seu prętantiam suæ actionis, quam similitudinis cuiusdam ratione operari dicuntur. vnde non ab re disceptandum proposuimus, qua ratione fiat præfata expurgatio, & quo potissimum familiaritas illa sit explicanda. Non dubium est quin apud Galenum passim reperias, præcipuè tertio simpl. medicamentorum, capite 24. & 5. lib. cap. 20. huiusmodi tractionem fieri familiaritate seu similitudine qualitatum quæ in ipsis est substantijs, sic enim Græ. ὡς οἰκειότητι τῶν ἐν ταῖς οὐσίαις ποιοτήτων αἱ ὁλκαὶ συντελοῦνται, idest, monstratum est in commentarijs de facultatibus naturalibus, quòd familiaritate qualitatum quæ in ipsis substantijs sunt tractiones perficiuntur. Capite 25. expurgantia medicamenta, his qui trahuntur humoribus, existunt familiaria: verùm sunt efficaciora quæ trahunt, vt magnes ferro similis est, & in eisdem metallis inuenitur, sed quodam modo fortior est. Ex qua responsione satisfiet quæstioni, qua quęritur, propter quid alterum est tractorium alterius potius; quandoquidem in vtriusque est familiaritas. Hanc familiaritatem nunc dictam, proprietatem etiam interdum vocat totius substantię, vt nó mi-

terti lib.

An simile à simili trahatur.

retur

retur aliquis, si apud quempiam scriptum reperiat pharmaca proprietate humores seligere: sic enim sexto libro de simplicibus medicamẽtis capite de abrotano litteris proditum est. (De his facultatibus agimus, quæ calfaciendo, refrigerando, humectando, desiccando, & qualitatibus alijs quæ has sequuntur, sua munera explent: nam de his certa Methodus rationalis traddi potest. Quæcunquè autem proprietate totius substantiæ complentur, sola experientia innotescunt. Quod rursum loculentissimè nobis tradidit Galenus sexto Epidemiarum, parte 6. comm. 5. inquiens. Quoniam autẽ non solùm iuuamenta & noxæ corporibus nostris accedunt secundum simplices qualitates corporũ adhærentium, sed & secundum totam substantiã, etenim & hoc in alijs commentarijs didicistis, nec ab re dictum est, Plantarum succi in quibus conueniunt & secundum totam substantiam proprietates, siue familiares nostris corporibus, siue alienæ, sub quadruplici rerum materia, compræhenduntur, nempè expurgantium medicamentorum, nutrimentorum, deleteriorum. & antidotorum.) En quàm doctissimè Galenus explicuerit, proprietatem Græcis, ἰδιότητα, purgantibus inesse medicamentis, haud absimilem ei quæ inter membra & eorum alimentum intercedit, quam quis in qualitatibus reponeret, & non in ipsis substantijs, inter quas cognatio requiritur, vt altera in alterã mutari optimè queat? Non potest, inquit Galenus lib. primo de facultatibus naturalibus, esse alimentum, nisi cognationem cũ subiecto obtineat.

Et

Et quoniam varijs in locis diuersam nominandi hanc facultatem vsurpauit elocutionis formam, modò similitudinem qualitatum, modò verò totius substantiæ familiaritatem seu similitudinem, inquiens: exactum appellationis vsum quinto simplicium medicamentorum cap. 17. nos scitè admodum edocuit, dicens. οἰκειότητι ποιότητος ἐπισπωμένων, ὅπερ οὐδὲν ἄλλο ἐστὶ, ἢ ὁμοιότητι τῆς ὅλης οὐσίας. Quod est. Similitudine qualitatum trahentibus pharmacis, quod aliud est nihil, quàm totius substantiæ similitudine. Hanc autem aptissimè exposuerit quis, si vniuersum substantiā misti corporis eam esse dixerit, aut formam eius substantialem, quæ omnia ex certa quadam mensura elementorum ad misti generationem coeuncium pullulaverunt. Solet mea sententia illud idem Auicenna explicare, nunc quidem à tota specie fieri quidquam interpretando, nunc verò, id quod agit, quid est rei ipsius explanando. Nam si qualitatum occultarum nomine, hoc quidquid est agentis complecti aliquis contenderit, quemadmodum maxima pars vulgarium medicorum hactenus existimauit, pari opera affirmandum esset eisdem, venenum omne posse nutrire, siquidem ab illa qualitate promptissimè posset spoliari, cuius causa alendo corpori dicitur esse repugnans. Nec posset coniecturis quibusdam indagari, quas à sensibus Galenus mendicat, si mistionem substantiarum non comitaretur prædicta trahendi forma: nempè qualitatis illa proprietas & innominata qualitas, quùm aliunde

Quid sit familiaritas, cuius ratione purgantur humores.

2. 1. de eo quòd comeditur.

de quàm ab elementis suam sit sortita naturam, superuacaneum est illam ex qualitatibus sensibilibus velle expiscari. Iam vero notissimum est mediocriter in Galeni voluminibus versato, hanc proprietatem tactu, visuq; nonnunquam comprobari. Quod tertio de simplicibus medicamentis cap. 24. factum est, dum Cnici & grani Cnidij similitudinem tactu visuquè constare asseruit, præterque ea tertium esse, quòd ambo pituitam detrahant. Non est tamen in omnibus inuestiganda familiaritas per ea quæ sensui patent, plerunque enim ob coniunctas alias substantias, quæ in mistis pręstantiùs vigent, accidit, vt delitescat quæ in purgante aliquo medicamento subest proprietas. illam proinde tunc ab effectu liceret rectè colligere, quemadmodum compositas esse omnes propemodũ mistas substantias ex cõtrarijs opinatus est Galenus, quod in plurimis est euidens, in alijs ita futurum, & si non appareat, deducens. Ita sanè dicendum est, pharmacum omne simile esse trahendis succis: propterea quòd licet in quibusdam familiaritas illa non sit vllis notis perspicua, in plurimis tamen ad vnguem perspicitur & sensu maximè comprobatur. Quod quidem, præter iam dicta fundamenta, illo adhuc fulcitur validiùs quo sic Galenus quondã est argumentũ istud machinatus. Medicamentum suo fine frustratum, in humorem similẽ ei, quem suapte natura natum est vacuare, conuertitur: quod fieri vtiq; non posset, nisi familiaritatem & symbolum obtineret, quibus alimenta & corpus alendum, prædita esse deberent. Et sicuti medica-

Pharmacũ simile est seu familiare purgandis succis.

4. simpl. c. 13.

3. simpl. 24.

medicamētum haud omnino aſsimilatur humori quem purgat:ita quoq; ſecundū eam partem duntaxat tranſmutatur in cum quem debet euacuare humorem, nam reliqua aut venefica eſſe poteſt, aut omnino diſcors & diſymbola. Aduerſus aſſerta dudum, Auicēnæ ſequaceus plurimi hoc modo debachātur. Ferrum traheret ferrum : magnes alium magnetem : quod experimentis aſsiduis impendiò Aduerſatur : quæ tamen vera eſſent ſi ſimilitudinis ratione tractus fieret humorum qui expurgantur. Reſpondet Galenus. Non identitate fieri tractionem, ſed ſimilitudine & conuenientia inter res ſpecie differentes, quarum altera efficacior eſt altera. Nam vel ex Ariſtotelicis placitis, primo de generatione, cap. 7. agens & patiens genere ſimilia eſſe debent, ſpecie verò differentia, pariter ac contraria: quæ ſunt igitur eadem, haud quaquam adinuicem agent & patientur. Imò nec quæ ſunt diuerſa cuncta in ſeipſa agent, niſi alterum multò ſit præſtantiùs altero non mole, ſed perfectione vt mox dicam. Porrò ſi voles hanc efficaciam maiorem, quantitatis mole, aut intenſione penſare, non proinde conficies, vt id quod antea trahebatur, tractorem ſuum rurſum valeat attrahere. Aliôqui fiet, vt ferrum maiori multo pōdere cumulatū, aut intēſa magis qualitate donatū, magnetē attrahat. ſimiliter, bilis quæ prius ab aloe efficaciùs agente purgabatur, eadam, ſi vratur impenſius, aut cumulatore redundet quantitate, è diuerſo ipſam aloem ad ſe traharet. In perfectione igitur quadam collocāda eſt iſtius modi efficacia ſeu energia, qua ſpe-

4.1.c.4 & Meſues. pricipio ſui libri.

Cur pharmacum tr. hat, & no trahatur.

cies speciem superat atq; excellit : quæ sicut nullis possunt exæquari figmentis, ita quidem nunquam fiet, vt aloe a bile trahatur, aut à ferro magnes. Nõ herculè inficior tractoriã facultatem hanc, quę similitudinis agit ratione, iuuari à calore intensiore, quemadmodum sensit Galenus 5. de simplicibus medicam. cap. 17. qui scripsit, (inter ea quæ essentijs similia sunt, quod calidius est, id potentius trahit, vt pote quod auxiliarium adiunxerit calorem, siquidem cùm ipsum duabus causis attrahat, superabit id quod vna duntaxat trahit) verum si hac sola ratione Cnicus purgat pituitam & non purgatur ab ea, quòd calidior sit, Agaricus qui modicè est calidus, quod ex eius subdulci sapore cognoscitur, neutiquam pituitosos humores illegitimũ causonem generantes, expurgabit, vt qui calidi in tertio ad minimum sint præ putredine, siquidem lædunt sensibiliter. Item rhabarbarum nemo hucusque multi caloris prædicauit, qui non bilem prasinã aut porraceam feruentiorem iudicet. Quamobrem tantum aberit, vt illã rhabarbarum trahat, vt potius ab illa eliciendum sit & trahendum, si similitudinis ratione calore intensiore adiuta facienda sit expurgatio & tractus. Fieret præterea vt acuratissimè forent deligenda medicamenta purgantia bilem, quæ multò calidiora essent, quàm quę pituitam: quandoquidem bilis est calidior, & quæ non nisi a valde calido poterit exuperari medicamento: quùm contrarium vniuersa schola medicorum adstruxerit, scilicet, vt mitiora medicamenta parentur ad pharmacopolis, pro purgãda bile, quàm

pro

pro frigidioribus humoribus. Sed de his latius diximus in expositione 36.& 37. secundæ Aphorismorum in præsente tractatione hæc faciant satis, ad mentem Galeni explicandam. Arguunt secundò tractionem haud quaquam fieri similitudinis causa, propterea quòd aërem trahat frigidum, calidius cor: ventriculus sitiens, refrigerantem potum, contrarietatis potius ratione quàm similitudinis. Cui argumentationi, hoc pacto respondetur. Sitim & cordis calorem, affectiones esse quodam modo de genere preter naturam, ac ob id contrarium efflagitare, quo corrigantur: nec trahere cor per viam similitudinis, sed consequentia ad id quod vacuatur, nisi commercium quoddam & cognationem esse dixeris, inter spiritum & aërem ex quo generatur. Postremo sic refellere conantur Galenum. Si cognationis præfatæ ratione pharmaca humores educerēt, id maximè facerēt, quando in sua persistunt naturaliq; dispositione; quamobrem extra corpus humanum id perficient integrius, non intra corpus exsorpta, atqui nisi à calore ventriculi superentur quodam tenus, & è potētia in energiam suam traducantur, nunquam percipiuntur suas functiones exercere. Probaret sane isthęc ratiocinatio, si ita esset, vt inalterata medicamenta id præstarent quod pollicentur: verùm illud est multis, à maioribus, Philosophis demonstrationibus persuasum, in corpore saltem humano, piper, Cnicū, thymeleam, minimè posse sua munia perfectè obire, nisi prius à corpore perpetiantur nostro. Immo vero mandragora ipsa, quāquam *3. de temperamentis*

calfacta propinetur, euomita perspicuam frigiditatem ostendit: quùm foris tamen tangitur, exiguam aut omnino nullam repræsentaret. Aduenticia quippè qualitas citò perit ex Aristotele. Arguunt vlterius Auicennæ interpretes, probantes, non conuerti pharmacum in humorem vacuandum, quùm frustratur proprio munere: quòd contingat, secundũ plures partes in alios humores trãsmutari: Expurgans nimirum pituitam medicamẽtum calidæ quùm sit & siccæ naturæ, in bilem cõmutabitur æquiùs, quàm in dissimilem, quantum ad qualitates attinet, pituitam: sanguis epotus quã quam per magnam cum sanguine nostri corporis obtineat similitudinem, non protinus in sanguinẽ permutatur, sed potius in vitiosum succum aliũq; à sanguine. Respondeo, ita esse, vt medicamenta secundum portionem similem, conuertantur in respondentem humorem: nam tametsi quo ad qualitates dissideant longoquè admodum interuallo separentur, substantias tamen habent cognatas, inter quas mutua est actio & in se inuicem transmutatio. Et quia non omnino sunt simplices substantiæ sed contrarijs constant principijs, fit equidẽ, vt non totum medicamentũ in humorem purgandũ abeat, Sed magna ex parte, & solùm secundum partem purgatoriam. Quemadmodum nec sanguis, optimo si donetur alimẽto, neq; suillę carnes, quas autores prope omnes familiarissimas nostro corpori vno ore affirmarunt, vniuersim in alimentum transeunt vtile habent: sed sua excrementa & fæces quæ in nullis alimentis quantũuis probis con-

3. de temperamentis.

coctione absolui possunt, secundò collectionum, capite primo. Iam verò consequenter disceptatur, an purgatorium medicamentum quod humorem similem allicere prędicatur, ad ipsos humores permeet & locum in quo hærent, an potiùs in ventriculo commorans, ad se humores pelliciat & confluere faciat. Aristoteles primo problematũ, probl. 41. & 42. medicamenta dissecuit in frigida & calida; calida deinde in partes supremas ascendere, pronunciauit, frigida verò, in inferiores, per easdem omnino venas per quas alimentum distribuitur, dispersa, donec humores attingant, quos colliquatia secum afferunt, ad vomitum aut alui deiectionem deturbantia: asseruit secundó, illa dici medicamenta cathartica quæ secundum qualitatẽ nõ vincuntur, sed superantia sunt & εὐδιάχυτα, idest benè fusibilia à calore natiuo: quare mel, oleum, quæ si largiter ingenerantur, expurgant, non tamen cathartica dici merentur, quòd quantitate id efficiant. Hac quoq; de causa non sunt cathartica, argentum, aurum, æs, quoniam licet non vincantur, non sunt tamen εὐδιάχυτα, idest fusibilia. Ecce Arist. aduersantem prorsus arti medicinali, quæ omnia expurgantia medicamenta profitetur calida, siue illa per superiora siue per inferiora, humores detrudat. Quis obsecro vocauit scammonium aut colocynthida frigida, quòd per aluum & intestina eos humores traducãt, quos similitudinis causa natura sua trahere suut apta? Non quod violas, pruna, tamarindos & id genus alia calidæ naturæ esse sentiamus, (absit hoc nefandum crimen), sed

Aristot. de purgãtibus medicamẽtis sententia.

5. simpl. 17 & 1. apho. 24.

 quòd

quod illa cathartica esse verè negemus, morē sequuti grauissimorū autorū, qui proprius captum purgās medicamentū calidæ naturæ contestati sunt, reliqua quæ purgant frigida, aut quantitate id efficere vt Arist. sensit citata dudū sentētia, aut olei modo emollitis ductibus & publicis cānalibus, excrementa eluere potius quam allicere, dicendū esset. Quinimo si placuit vnquam eorum placitum, qui in his quoq; quæ excessu sunt frigida medicamentis vt myrobolanis, portionem subesse calidā præstanter, quæ purgat, tuētur: adhuc verissimum manebit eorum dogma, quod in vniuersum cathartica, quatenus talia sunt, calida esse asseuerāter iamdiu decreuit. Subinde huius Arist. disciplinæ patroni extiterunt Dinus & Conciliator, saltem quoad id, quod per easdē venas per quas defertur alimentū, catharticum peruadere concesserunt: differente tamen ratione id explicuerunt, quod illorum alter ad disponendos seu parandos humores expulsioni catharticum abire censuerit, alter vero, ad certā distantiam ferri, non ad ipsos humores. Quam rem sequentibus probationibus se cōfirmasse crediderūt. Nā quùm viderent vrinam tingi epota cassia fistula, similiter & rhabarbaro, nō secus penetrare per vniuersas nostri corporis semitas, ea putauerūt, ac mēses, ciētia medicamēta, in vterū & partes illi vicinas: similiter & diuretica in vesicā aut illi proximas regiones, cœtus oīs medicorū pluribus abhinc ānis libētissimè subire cōsēsit. Adhæc Agaricus attenuare succos crassos & vniuersū corpus attingere dr, aloe nō trāscēdere hepar aliorū medicamētorū cōparatio-

tione. Quãobrẽ dicẽda sunt medicamenta expurgãtia, ad eas regiones permeasse, vbi sunt humores ad quos expugandos à medico elargiũtur, & quorum tractioni ab ipsa natura instituta esse euidenter intelliguntur. Verùm isthæc, quanquam posset aliquis haud ægrè per facultatem necessariò illuc transmissam vbi operatur, tueri, dicereque vim siue virtutem pharmaci duntaxat per omne corpus transferri: non tamen poterit veraciter diffiteri, quin substantia ipsorum pharmacorum intrò vadat, & ad penitiora loca progrediatur. Quũ enim Galenus primo simpli. cap. 13. medicamenta in pollinem minutissimum redacta popoſcerit, vt suos plene producant effectus, quòd sic protrita, arteriæ suo motu distentæ contractæq; perpetuo, in penetralia multo promptius transmittant: apertè monstrauit, idem in expurgantibus medicamentis exigendũ esse, vt nequeant functione propria perfrui, nisi per arctissimos canales distribuantur. Quod quidem vel ipsa omnium medicamentorum attenuantium natura perspicuè patefacit, cuius munus est genuinum, vias aperire, obstructa reserare, & crassos demum humores delere, qui in ipsis cutis meatibus tenacius hæsitarũt; cuius sortis, purgantia medicamenta quùm omnes fateantur, nemo illis denegabit citra iniuriam, quam communem sunt adepta facultatem ad interiora, scilicet permeandi, & remotissimas quasq; regiones cominus attingendi. In quorum demonstrationem si philosophorum desideres testimonia, en tibi Aristotelem subscribentem septimo Physicorum.

Pharmaca purgatoria totum corpus interdum permeant.

ficorum.cap.secundo, vbi omnem tractum fieri ab agente vltimo simul cum moto existente simul autem ea esse dixit, inter quæ non est mediũ, quod quidem commune esse in omni mouẽte & moto doctissimè conscripsit: non possumus ergo impunè reluctari, quin medicamentorum aliquanta portio, per corpus deferatur, cum ex modo distributionis alimentorum cum quibus & ipsa sæpissimè commiscentur, tum ex propria eorundem qualitate calida & sicca, præterea & attenuante, ac postremò, ex motu arteriarum quo iugiter motæ, diuulsam quamlibet substantiam violenter rapiũt, atq; ad intimas particulas secum strenuè admodũ conuocant. Cum ergò ad ventriculum & intestina humores trahuntur per pharmaca expurgantia, & non ad alium quemlibet locum, hac de causa factum id sæpius existimaui, quòd in ventriculo pariter ac intestinis secundum crassiusculas & plures particulas eorum resideant simul & demorentur: in quibus cum maius (vt par est) inhæreat robur trahendi, ad locum in quo sunt, succos alliciũt & cumulatum deportant, quod experientia rerum magistra vberrimè stabilitur. Iam verò quòd purgantia medicamenta valdè contrita soleant per vrinam deduci, manifestius est, quàm vt à me modo debeat demonstrari: quò constet, tantò fœlicius purgans medicamentum tractionem suam in ventriculum perficere, quantò in maiores partes effractum fuerit: dummodo non præpediant quam vocant actuationem. Ob id sanè Galenus, diospoliticõ medicamentum crassius facere, solebat,

Si altius penetrant purgantia medicamẽta, cur ad ventriculũ & intestina humores ducuntur.

bat, quoties deijcere aluum per illud studebat, quarto de sanitate tuenda propè finem. Quo circa facilè conuellitur eorum argumentatio, qui qùum humores ad medicameutum venire cum alijs asseuerauerint, non fieri exinde purgationem colligunt, si ad locum in quo sunt peruenirer pharmacum: non cōtra, humores commearent, ad ventriculū, in quo primnm ingestum fuit medicamentum. Asserimus etenim, medicamenti tenuissimam substantiam circumquaq; volitare, non crassam & fæculentam in qua robur tractionis inest potentius: quam si contingat vlterius pergere, vrinam magis ciebit, quàm aluum. Quod consentaneum est satis dogmatis etiam Barbarorum. Liquet postremò quàm falso incubuerit fundamento Puteanus ille, qui facultatem certi cuiusdam humoris selectricem pharmacis denegans, humores ea causa ab illis expurgari duntaxat est opinatus, quòd calorem seu offensionem quandam naturæ inferant, & illā ad expulsionem stimulent, incoctilia & cruda permanentia. Hoc enim modo, haudquaquam distinguet superexpurgationem à purgatione quæ certum humorem deligit: qùum enim vtraq; stimulata natura & ad expulsionem cōmota fiat, in vtraquè perpetuò tenuis humor primum, secundo qui illum sequitur tenuitate, ac postremò sanguis naturæ familiaris educeretur. Quod hercule præterquam quod Galeno & Hippocrati atquè alijs contradicit, euidentibus repugnat testimonijs, quæ aliter ac ab illo obiectum est euenire clarissimè contestantur. Quin & illud palam facit, illius

Reprobatur Puteanus qui facultatem tractoriam pharmacis denegauit.

illius commentum quàm prauum sit, & quam fuerit absq; vlla probabilitate prolatum: est siquidem manna, cassia fistula, rhabarbarum, myrobalanus, citra vllam exacerbationem purgatorius, certique alicuius humoris: nisi fortè, hæc aut emolliendo, aut comprimendo, id muneris explere, non irritando, tuearis. Sed quum plurima cernamus quæ amplius adstringunt & comprimunt, quàm prædicta, quæq; nullatenus vacuare comperiuntur vt mirthus, gallæ, & similia: iure nostro fecisse videbimur, si responsionem seu defensionem istam ceu iniquam exploderimus, pariter ac capite censuerimus mulctandam. Nam illud quod addidit, (rhabarbarum humorem purgare deobstruendo) tam est reprobatione dignum quàm quod maximè: siquidem infinita sunt propemodum medicamenta, quæ vias aperiunt simul & deobstruunt, quæ neutiquam de censu reputantur expurgantium.

Caput secundum.



T sani quidem adhuc parati tamẽ ægrotare nisi euacuati fuerint, præuueniendi sunt inanitione ineunte vere, aut sanguinis missione si plethoricis capiatur morbis, aut expurgatione, si morbis ex corruptione: nos etenim podagram, articularem morbum incipientem, quique in articulis nondum tofos fecerat, eiusmodi vacuatione per plures

annos

annos inbibuimus fieri. Ad eundem modum apoplexiam, epilepsiam, melancholiam, atque alias chronicas passiones prædicta euacuatione in pluribus hominibus substulimus. Quibusdam ergò conuenit pituitosos succos expurgari, quibusdam biliosos, alijs verò melãcholicos, atq; alijs aquosas superfluitates iuxta essentiam passionum ipsis fieri consuetarum. Iã verò quidam melancholia singulis annis corripiebatur, si non expurgaretur: quem non solùm vere, sed & autumno expurgo. Eadem ratione fœminam quandam quotannis inchoante vere vacuo cancrosam in mammillis patientem affectionem: quam porrò curauimus pharmaco nigram bilem expurgante. Quòd nisi purgatio præuenißet aliquando, dolor ipsi in profundo aderat. Elephantiasim incipientem in alio in primis sanguinis eductione & medicatione sanaui: huic rursum per singulos annos vnica sat erat purgatio, qua intermißa mox passio ipsa imminere videbatur. Atquè hæ ægritudines nigros humores purgari postulant: articulares morbi, qui cum multo calore, succorum biliosorum desiderant uacuationem: qui cũ tumoribus frigidis, pituitosorum. Porrò alius quidã tempore æstatis perpetuò tertiana febre laborabat qui plures annos ab ea liberatus fuit, præuenta bilis pallidæ vacuatione, decedente iam verè: hoc enim tẽpore melius est tales humores exinanire: quemadmodum Epilepticos, articulares, melancholicos atquè alios omnes quotquot à crassis succis infirmantur, melius est intrante vere.

Commentarius.



OLVM ergò præseruandi sunt ex purgatione, qui sani sunt vt nunc, hoc est, distemperati, quique futuri sunt ægri nisi præcaueantur: sana siquidem corpora distemperata tamen, vix queunt absque morbo degere, ac proinde egēt vt ad moderantiam reducantur per contraria, vt aduersus Iulianum disseruit Gal. dicens, corpora quæ non sunt euectica, idest, symmetra, debere in melius agi, iuxta disciplinam. 3. aph. 3. exaratam, & lib. de salubri victus ratione cō ment. 2. & sexto Epide. parte 2. comm. 24. Neque aliam conseruationem medicis exercendam esse concipio, qui optimè norim scopum sanitatis tuēdæ illum constituti, qui in longinquissimū tēpus vitam protrahit, & sanas custodit operationes: qui enim distemperantiam custodire conatur in eo statu in quo ipsam deprehendit, tantum abest vt cā seruet ac foueat, vt potius minus durabilem, & citò casuram efficiat. Quanquam enim qualitates corporis in pristina intensione permanere faciat, id tamen non est medicinalis custodia, quę præfatum scopum intendit, sed philosophicum potius studium, cuius munus est, entitatem rerum magis spectare, nihil curans degat ne res tempus angustissimum, an amplissimam æternitatem incolumiter. Quod si aliquando similibus conseruari

1. de sanitate tuēda

Custodiuntur corpora distemperata, per contraria.

corpora

corpora dicuntur, id equidem dum aliquo negocio astricta sunt, aut ægra vt nunc, interpretandū est, propterea quòd tunc non liceat aliis nouis affect ionibus corpus vrgere, præter eas quas & mor bus infert, & negociorum ingens cumulus in plura distrahens animum, attulisse credendus est: de quibus copiosiùs in expositionibus artis medicinalis dictum est. Ergo quùm his distemperatis corporibus debita sit reductio seu per contraria facta contemperatio, non ab re erit quandoq; illa ex purgare, nun cquidem per vomitum, nunc verò expurgationem vt sexto de sanitate tuenda inter initia iussum est fieri in calidis & siccis corporibus & alijs distemperatis: id tamen fiet explorata priùs abundantia & idea humoris. Quippe si plethoricis corripiantur morbis per phlebotomiam, docēte Galeno libello de sanguinis missione in pleuritide quoad vasa sine discrimine sanguinem esse mittendum: verè plenitudo simpliciter pronūciata, de ea quæ ad vasa intelligenda est libello aduer sus Iulianum, reliquæ verò siue quæ ad vires, siue quæ alicui alteri humori à sanguine referuntur ac ceptæ: cum adiecto nominantur plenitudo videlicet quo ad vires, & plenitudo pituitæ, &c. Quocirca Fuchsius minus benè interpretatus est, redundantiam omnium humorum æqualiter, aut quoad vasa, aut quo ad vires: quippe quæ ad vires dicitur, dici etiam potest de cachochymia, & de plenitudine quo ad vasa, quando maior est, quàm quæ à natura ipsa vincatur, 2. Aphor. 17. Si vero sit diaphora, quod diuisionis membrum plethræ è regione

oppo-

ōpponitur, vt ſuperius de phlebotomia tractantes inſinuauimus, expurgatione extat prouidenda: nimirum purgatio fieri explicatur, quando vitioſi humores ſecundum qualitatem vacuantur. Quo pacto arthritidem incipientem præſeruauit Galenus, quòd inueterata iam, topicis gaudeat remedijs, quę quoniam diſcutiunt impactas in iuncturis materias, diaphoretica nuncupantur. Similiter epilepſiam, apoplexiam, melãcholiam, aſthmata, cãcros, elephantiaſim, quæ cancer eſt totius corporis 2. ad Glauconem, quominus recurrerent, prohibuit. Bilioſos morbos eadem purgatione anteuertens, ne fierent omnino ſæpius præcauit. Cæterùm hac prophilatica medicinali parte, inchoante vere vtẽdum eſt, ex Galeno hoc in loco & libro de puero Epileptico: vbi opportuniſsimum tempus ad curationem morborum periodicè redeuntium, ver voluit iuxta 4. ſextæ Apho. Adiecit inſuper craſſos ineunte vere, bilioſos finiente vacuandos eſſe: cuius diſcriminis cauſam quæ ſequitur, annectam. Quùm enim Galeno autore prima Apho. 15. hyemis tempore calor robuſtior reddatur, & ſuas functiones tunc exactius expleat, quòd carnis coagmentet molem, & pluri reſarciat ſanguine corpus adeò vt iumenta ipſa & homines experientia magiſtra vacuare coegerit per ſanguinis miſsionem in fine veris, nè ſuperuenieus æſtus multos humores diffundat, & eos per totum corpus vagari permittat, vaſa quædam rumpendo, in parteſuè aliquas decumbendo in quibus, aut inflammationẽ aut eriſipelas, vel aliquod aliud morbi genus ex fluxione

Explicatur à contradictione Galenus.

xione solitum fieri, constituant: fit inde iure optimo, vt quùm suspicamur morbũ venturũ propter apparatum humorũ multorum simul ac crassorũ è hyeme proxima comparatorum, illos ociùs expellere conemur, antequã calore aduentante diffluãt, & mala quæ modò dicebamus, ingenerent. Quod quidem optimè fiet, incipiente vere, haud expectato periculo ruptionis aut decubitus in aliquam partẽ: biliosi verò humores qui iuxta temporũ analogiam dominantur, nondum eo tempore suam obtinuere generationem, siquidẽ incepto vere adhuc plenum est corpus sanguine & pituitosis succis, quare non antea in corpore consurgent, quàm declinante iam vere, æstatis calor corpora mortalium incendere iam videatur, quod aliquatenus fit in fine veris, qui principium est æstatis. Ex doctrina Galeni. 3. Apho. Disceptant vulgares medici, erga eam partem in qua ideã humoris esse spectandam dictum est, ad discernendum speciem vacuationis: an existente plenitudine cui debetur sanguinis missio, & corruptione, cui expurgatio est cõueniens, debeãt indiscriminatim altera alterã præire vacuatio, an potius primas partes sibi vẽdicet phlebotomia, secũdas verò expurgatio. Cõsenserũt plurimi medicorũ ꝓbatę autoritatis in re medicinali, ꝓferẽdã esse sãguinis missionẽ: ꝓpterea ꝙ ampliores efficiat inanitates corpis & capaces humorũ regiões, ꝑ quas liberiùs pharmaci vis queat incedere, & humores attrahere. Sic porrò decretũ est ꝑ Auicẽnã. 4. primi, cap. 4. Si minutio fuerit necessaria sanguinis, & vẽtris solutio cum elle-

1. lib. de natura humana.

Lib. de renum effectionibus.

boro, aut alio violēto medicamento à minutione est incipiendū. Mutuatus (vt reor) à Galeno lib. de renum affectionibus & 6. Epidemiarum, parte 1. commento quinto dicente. Si vtroq; auxilio fuerit opus à sanguinis missione est incipiendū. Quibus subscripsit Trallianus libro vndecimo cap. de podagra inquiens. Si verò non solùm pituitosus succus molestet, verùm simul cum ipso conspiciatur sanguineus redundare humor, vtrumq; facere opportet: verùm tamen sanguinis missionē prius, subinde vires resumentes, ad purgationem veniēdū est, quæ crassum humorē trahere valeat. Causam subdit, cap. de lapide renum, eandem, quam dudum scripsimus, adhunc modum. (Porrò laxitate quadam inducta, & meatibus rarefactis, adhuc magis oblata remedia proprium opus exercebūt,) vulgus medicorum, Si molliendi ventrem immineat necessitas & extrahendi sanguinem, à ventris subductione exordiendū esse senserunt: quod nos ita faciendum esse, libello de sauguinis missione aduersum paradoxam quandam sectam defendimus. Cæterùm id non debet adeò ineuitabile esse præceptum, vt si aliunde instet mortis periculum præmitti non debeat sanguinis missio, ante quàm fluens materia corpus alicubi affligat. Contingit porrò, vt iniecto clystere, venter non pareat atque obsequatur, quo tempore laboranti pleuritide crudelissima, verba daret, qui id sedulò intendens, suppetias maximè necessarias negligeret. Quod doctissimè Celsus medicorum eloquentissimus animaduerteus, de eadem re quæ sequuntur asseruit. (Vt mi-

Aliquando negligendus est clyster ante anguinis ductionē.

(Vt minimé est crudo sanguis mittendus, ita neq; id est perpetuum: non enim res semper expectat coctionem, ceu siquis cecidit ab alto, aut vehementer est contusus, aut strangulatus; protinus idemenda est materia, ante quàm fluens materia corpus affligat: at si morbi ratio id patitur, nulla cruditatis suspitione manente id fiat.) Affabrè satis Celsus docuit; nihil esset tam inuiolabile præceptum apud medicinæ studiosos, quod vrgenti necessitati non cedat, quod nos quùm de sanguinis missione scriberemus, abundè locupletauimus, & eo libello cui titulum indidimus de ratione permiscendi vsitata medicamenta, promulgando propè diē. Secundò aiunt, æquali existente vsu sanguinis missionis & expurgationis, à sanguinis emissione esse inchoandum: quod ita scribentem offenderint Auicennā, quarta primi capite 20. (Quādò humores inequales fuerint, ab expurgatione primū, deinde à minutione:) ex quo subaudiunt, æquabilem requiri vtriusque vacuationis vsum, siquidem inæquabili existenti à purgatione incipiendum esse professus est. Ego tamen hanc æquabilem necessitatem non deposcerem, sed vtriusque auxili oblato vsu tametsi dispari, à sanguinis missione exordirer, propter causas dudum enarratas: & quia tutius est præsidium, quod citra tumultum & corporis calfactionem, multitudinem deponit. Galenus etiam id tantum poposcit, vt vtriusque auxilij oblata necessitate id fiat. Adde secundo acutorum vbi maior videbatur purgandi necessitas, prælatam fuisse sanguinis detractio

6.epi.parte 1.cō. 6. nem vtpotè tutiorem. Cæterùm ne ansam alicui præbuisse videamur, hunc ordinem vacuationum perpetuò & temerè obseruandi, repetenda est diligenter sententia Galeni, quarto de sanitate tuenda hisce verbis fermè prolata. Humores alij à sanguine, aut ab eo distant plurimùm, aut multùm, aut parùm: si plurimùm, nullatenus fiat sanguinis emisio, vti. 6. Epi. parte tertia, commento penultimo commendatum est, ne, quùm sanguis insigniter ad alterius humoris naturam declinarit, sanguis detrahatur: si multùm, cautè admodum mittatur sanguis: si parùm, mana cum fiducia demendus est. Quòd si quis ob
4.de sanitate tuēda timiditatem, aut ætatem permittere se medico ad sanguinem vllo modo detrahendum nolit, huic aluus largiùs est subducenda, aut si id quoque suspectum est, alia ratione educendnm est superfluum. Quæ sententia quomodo sit interpretanda libello de sanguinis eductione patefecimus: de vtili phlebotomia intelligendam esse cōtendentes, nequaquam de ea quæ est necessaria. Quod comprobat Galenus, qui ibidem, relicta sanguinis misione, licet non breui longiori tamen tempore sperat recuperandam sanitatem.

Ca-

Caput tertium.



PORTET autem priùs attenuare & scindere humores crassos & viscosos, & poros, per quos hi transmittuntur & trahuntur à purgãtibus medicamẽtis, aperire, si purgatio optima est futura, tum in omnibus, & maximè in helleborum aßumentibus: vehementia namq; euulsionum extrahens impactos, & vix eluibiles humores patientibus partibus, & ob id ipsum diuturnas affectiones iuuans, faciliùs operatur priùs attenuatis ipsis. Si autem ista neglexerint, difficiles eueniunt expurgationes, cum torsionibus interdum, & quibusdam vertiginibus, fastidioquè multò, & malo pulsu, & lipothymia, & dificultate.

Commentarius.



T à primis & ab ouo (quod aiũt) rem omnẽ teneamus, quã in hoc paruo libello intercludere ꝓposuimus, operę pretiũ est prænosse illas nouẽ quæstiones, quas in expositione primi capitis de sanguinis misione, in omni consultatione medicinali, prælibandas esse priùs exacteq; examinandas sumus professi: hæ-

ſunt, an quidquam agendum ſit, & quid ſit agendum: quibus præſidijs: quantùm: quales: quando: vbi: ſeu per quem locum: ordo: & quę vires adſint, ad ſubſtinendum præſidiorum violentiam: quarũ aliquas hîc iterum repetemus, ne quid ad perfectam explanationem deeſſe videatur: quod non in hiſce paginis breuiſsimè ſaltem contextum ſit, atque conuolutum. Omiſſa itaque modò prima quęſtione quæ an ſit facienda vacuatio poſtulat, quam loco nuper citato ſolutam inuenies, ſecundum col libitum eſt nunc agitare, quæ peculiari eget tractatione, propterea quòd expurgatio alijs affectionibus reſpondeat, alijs verò ſanguinis emiſsio. In quinque igitur affectionibus numero æqualibus his, in quibus conueniebat phlebotomia, exercenda videtur purgatio, in diaphora ſeu corruptione humorum, quod ſecunda Aphoriſmorum 17. notauit Galenus aiens, (quando humores peccant qualitate, fit expurgatio.) Quod ſi obieceris, ſi cũ ea corruptione humorum iungatur morbi magnitudo, ſanguinis eductio fiet potius quàm expurgatio? Reſpondetur, alibi nos expoſuiſſe, non quancunque morbi vehementiam eſſe refringendam ſanguinis detractione: verùm faciendam eſſe prius diligentem indagationem, an conducat ſanguinis detractio, an expurgatio: quod libello de ſanguinis miſsione egregiè admodũ probauimus. Quãobrem qui ſine diſcrimine in omni morbo magno conſtanti facultate, ſanguinem demere ſtudent, artem medicam produnt, & Galenum apud vulgus infamant, quúm ipſe 10. meth. indicauerit multò

Quinque ſunt affectionũ ſpecies, quibus iure ſuo debetur purgatio.

aliter

aliter scribens (in multitudine præfertur sanguinis extractio, in ea verò quæ secundum qualitatem humorum, attenuantium vsus.) Secundus affectus purgatione indigens, plenitudo est quo ad vires, explorata idea humoris, qui alius sit à sanguine, siue quartus intelligatur humor, siue omnium quatuor succorum aceruus æquabiliter coagmentorũ. Tertius est, magnitudo morbi præsentis aut futuri, quæ sola iure suo nonnunquam exposcere comperietur succorum vacuationem per catharticum medicamentum peractam: sic enim decretum est apud Galenum 4. libro de morborum curatione, hoc pacto decernentem (sicut sanguinis eductio non solum ob redundantiam humorum, sed & ob solam magnitudinem morbi exercetur: sic quoque & expurgatio ob magnitudinem solum morbi, citra humorum redundantiam vllã expediet.) Quartus affectus, cui adaptanda est quæ nunc disceptatur, vacuatio, principium est alicuius tumoris: cuius causa 6. metho. in eo qui patiebatur nerui puncturam, corpus nacto caccohymum, αὐτίκα id statim expurgationem exercuit, fluxionem prauorũ succorũ præcaturus. Quintus postremusq; reuulsionis est vsus, qua de causa plurimùm laudauit Hippo. leppientem capi ab allui profluuio: & Galeno autore 4. meth. non solum vacuandi gratia vsuuenit expurgatio, sed & reuulsionis. Quæ omnes affectienes quanquam connexæ esse adinuicem alicui primo intuitu conspiciantur, nihil moror: dummodo id fiet eidem compertum, ad varia peragenda munia & ad varias corporis af- 7. aph. 17.

 fectio-

fectiones succurrendas, purgationem ritè vsurpari, quæ subductarum affectionum numero citra dubium complectuntur. Secunda speculatio, de corporibus ad eam sustinendam vacuationem idoneis texet sermonem, quæ de virium robore disserat, confunditur: sunt etenim, qui sicut pueris venam pertundere non audebant, sic quoq; eisdem purgationem inhibeant. Quin imò quos præ virium languore nō audent per sanguinis detractionem exinanire, eosdē intrepidè expurgare audent, ceu leuius multò sit auxilium quod purgatione efficitur, quàm quod per phlebotomiam. Verùm hanc tam prauè receptam hæresim vsquè adeo nō recipio neutra sua parte, vt pueros credam posse sustinere hanc vacuationem, sicut & eam quæ per sanguinis detractionē ministratur optimè ferre sustinui: prætereà plures esse, quibus ob imbecillitatem virium, pharmacum propinare non audeas, quos nihil obstat, quin excusso timore, sanguinis missione euacues, ceu minus violento præsidio, & debilioribus viribus contento. Iam verò classicos medicinæ professores, purgantia medicamenta pueris præscripsisse oblata occasione, ac morbo exigente, notius est quàm prolixa debeat demonstrari persuasione: est enim vulgare satis illud apud Hippocratem sexto Epidemiarum, parte quinta, commentatione trigessima quinta. Quod his verbis legitur exaratum, (mulier & capra purgans medicamentum & cucumerem siluestrem edentes, purgatio pueris,) in cuius commentarij expositione, non elaterio, aut cucu-

mere

mere siluestri vsæ fœminæ lac purgatorium puero rum duntaxat efficiunt, sed quodcunq; aliud eiusdem efficaciæ assumpserint: nimirum nomine elaterij, quod præsiùs sumptum, succum cucumeris siluestris subindicat omne pharmacum solutorium intellexisse Hipo. autor est Gal. libello de linguarum expositione antiquarum. Ibidem paulò inferius, euidentissimo testimonio, lactantes etiã & qui ab ipsis vberibus sugunt non exclusit, quominus vrgente malo, purgatione ijs subueniendũ sit: hoc enim modo subscripsit, (infantulos enim purgare volentes, aut matri infantulum lactanti, aut capræ, huiusmodi aliquid esui dantes, sic eos purgauimus.) Quod quidem eodem autore roboratur firmius 3. de alimentis cap. de lacte, eandem, paucis demptis, annectente philosophandi rationem. Quòd si Auicenna, 4. primi cap. 4. pueros & senes ab expurgatione expulisse legatur, id equidem quantò plus poteris subaudiendum est, quẽadmodum eosdem à sanguinis missione explodebat, cum eadem limitatione. verum est enim Celsi testimonium, quo, sæpe de hac re loquentes, huiusmodi dicta consueuimus attemperare, dicentes, minus subesse virium in his ætatibus, ac perinde, nisi irrefragabilis cogat necessitas, non esse molestandas fortibus præsidijs, cuiusmodi sanguinis existit missio & purgatio. Vt etiam omittam casiam nigram, quam vel Auicennam. 2. canone pueris concedere est notissimum, rhabarbarũ, quod plurium opinione inter potentia recensetur pharmaca. Mesues non dubitauit & prægnantibus

Pueri sunt pãrgãdi oblata necessitate.

bus

bus & pueris intrepidè elargiri, qui si euangelista barbarorum medicorum iure est interpellandus, maximam certè irrogare debet autoritatẽ, ad propositi dogmatis comprobationem. Quin & si desideras locum aliquem & apud magnæ fidei autorem aliquem reperire cupis, quo cõstet apertè pueris esse propinandum pharmacum quod efficaciter expurget, Aetius sermone tertio primæ quaternionis cap. 108. legatur: qui pharmacum, omnem materiam corruptam, in capite ad vngues vsque potẽs educere describens, in omni tempore, & omni ætate & pueris conuenire idem perorauit. In quo, quùm scammonium & epithymus misceãtur nõ manebit inter viros vtcunq; doctos iusta altercatio, sitne illud inter efficacia medicamenta numerandum, nec ne. Sed pergamus vlterius, ac ostẽdamus minus virium requiri ad sanguinem mittendum, quàm ad expurgandum corpus: nã quòd in vtraq; vacuatione robur virium deposcatur, id equidem & confessum esse debet cunctis medicis ceu notissimnm per se principium, & à Galeno pluries est celebratum, potissimum prima Apho. 2. & 3. Aphor. vbi in omni vacuando vires præcepit attendere. Ac nono de morborum medicatione, ad hunc modum locutus est. (Si cum diapthora sint imbecillæ vires, neque sanguinis missionem, neque expurgationem admittas) quò fit vt in vtroq; exercendo auxilio, virium sit exigenda constantia, non tantum ea quæ præsens est, verùm etiam quæ post præsidij dispensationẽ est perduratura. Sed quòd maius robur ad purgationem

Maius robur exignẽdum est ad purgationẽ quã ad sanguinis missionem.

exer-

exercendam sit necessarium sequentibus reddam firmissimum. Primũ quidem sanguinis detractio tutius creditur auxilium secundo acut. 11. Nam & si minus auxilium consequabatur ex venæ sectione, quàm per purgationem, securius tamen multò existit, imò nullum periculum exinde impẽdet, cum tamẽ in purgatione magnum sit spectãdum: potissimùm si laborantis naturam expertus non fueris, quoniam moues & non vacuas, aut copiosius moues, aut moues & minus sufficienter. Secundò, multò maior agitatio, & humorum perturbatio subsequitur epoto semel medicamento, nẽpe succi, spiritus & vniuersa corporis membra immoderatius calfiunt, vires exoluuntur, ac totus ipse laborans præ calore, ac ob illam quæ hinc & inde fit humorum lationem, angitur, dolet & perturbatur adeò, vt non rarò mortem proximam adfore concipiat. Quid dicam abhominationem, ventriculi subuersionem, quibus miserrimè laborantes eo tempore cruciantur? proculdubio, citius clauam de manu Herculis eruas, quàm hoc malum semel periclitatis hominibus, pharmaci sorbitionem suasseris, propter eum quem semel imbiberunt in tanto conflictu timorem. Tertiò, in acutis morbis, à quibus inseparabiles sunt febres, antiquissimi quiq; in medicina sapientes, vehementer extimuerunt purgationem, vt in libello de purgãtibus medicamentis Hipp. est perspicuum, & apud Gal. & 2. acut. 11. & Celsus cap. de diiectione, in aduersa valetudine, medicamentum non admisit purgandi causa, nisi morbus sine febre sit: quibus

ac-

accedit Platonis sentẽtia in timæo scripta, à nobis lib. de sanguinis missione relata. Horum tamen nemo sanguinis detractionem vetuit, dum modò eã curandis morbis crediderint esse vtilem, aut sine ea grauiorem futurum morbum formidarent, tametsi nondum sæuiret. Quartò, non alio firmiori argumento Erasistratum confutauit Galenus qui sanguinis missionem ab vsu medicorum explodebat, quàm quòd securissimum, maximè commensurabile, & in manu medici prorsus situm affirmaret præsidium: adeo vt liberum sit medico cuiuis ad vnguem librare periculum, & auxilij quantitatem ad nutum metiri, (hac porrò de causa, libello præsente attrectare iubet tunc pulsum, mutationibusq; animum adhibere exhortatur, vt si quam incipiat præsertim in vehementia inæqualitatem pulsus adquirere, illico cessandum esse præcipiat quod quidem haudquaquam exhibito semel pharmaco fas erit efficere. Sit ergo minimum robur quo minus sanguinis extractionem substinere minimè valeat: cum hoc virium tenore nullo pacto audendum censeo quenquam expurgare, nisi præcipitem in mortem illum agere aut intẽderis, aut negligenter permiseris: tùm quòd maiorem sit passura agitationem & commotionem æqualis ex hypothesi virtus, tum præterea quoniam non valemus quotquot sumus artifices quùm volumus purgationi obsistere aut id fit longo temporis tractu, & vix fieri potest, tantum abest, vt eam sistere ad nutum nostrum queamus. Dices sat scio, sanguinem esse proximum alimentum & familiarissi-
mum

mum virium nostri corporis reparatorem, consequenterquè versari in maiori periculo, qui in demendo illo insudaret, quàm qui in quouis alio humore. Fateor equidem atq; id libentissimè; quid tum? Verùm si ad eas angustias peruenerit virtus vt quacunq; vlteriùs labatur, necis subeat periculum, tunc locum habet controuersia hæc, quod sit rutius tentasse præsidium, quodq; pro viribus valeat commodiùs attemperari, & si semel erratum sit, quod citiùs ac tertiùs possit ad imperium medici refrenari, hoc autem optimè præstabis appræhensa arteria, nam si post extractam vnciam sanguinis collabi vires sensero, liberrimè pariter ac promptissimè ne secunda vncia superaddatur cohibebo. ast verò exsorpto purgante medicamento, si prima deiectione iamiam labuntur vires, quis est adeò naturæ dominus, vt possit si tentet, secũdam arcere? nullus sanè. Quare ex hypothesi, superaddita secunda alui diectione, quam nemo quantumuis potens, potest certè inhibere, succumbet æger sine remedio. Tertia contemplatio, quæ non seruato ordine, de scopis mensurantibus quantitatẽ huius auxilij disceptat, duobus illis carminibus à me pluries citatis, continetur.

Ars, ætas, regio, virtus, complexio forma,
Mos: & symptoma, tempus, repletio, victus.

Quæ satis superq;, à Galeno libello de sanguinis missione, & Auicenna quarta primi cap. 4. interpretantur: inter quæ illa memoratu digniora percensui, quæ minus vulgo a medicis obseruantur & præter omnium sententiam inuertuntur in

alienam

alienam adstipulationem. Eos (inquit) Auicenna qui pauco vtuntur cibo, & qui laboriosam vitam vixerunt, quæ nimis corpus exhaurit, cuiusmodi sunt fossores, atq; alij qui totos dies defatigantur, secludere oportet absq; expurgatione: quos tamē video passim citra vllam examinationem, iugulari audacter nimis, tum sanguinis emissione, tum etiam repurgatione. Cæteri scopi, qui in citatis modo versiculis continentur, vt plus minusuè detrahatur humoris ostendunt, non prorsus vetant: nāque (vt sæpe diximus in alijs tractationibus) genus affectionis, genus auxilij subindicat, reliqua, vt plus minusuè conficiatur auxilium. Quarta contemplatio, de loco per quem facienda sit purgatio, strictim pertractat: quæ, quum remedium sit & vacuatorium & reuulsorium, secundum rectum est exequenda, κατα'ίξιν, Græci vocant. Hoc tamen patrocinium minus crebrò rectitudinem custodit, propterea quòd non vbilibet, ac vndiquaq; recipere potionem datum sit à natura: seruanda tamē est nihilominus quatenus licuerit: eadem nimirū ratione & progressu, quibus in exercenda venæ sectione, vtendum esse cum probatissimis autoribus demonstrauimus. Sic enim Galenus de hac re ex industria loquens, quæ sequuntur scripsit, quarto meth. (in omni vlcere cui erysipelas superuenit, purgari corpus oportet, qua parte vlceri maximè cōducit, siue id per superiora, siue per inferiora fiat, cuius rei discrimen libello de succis Hippocrates nos docuit, reuellere nos iubens in contraria: deriuare verò ad latera: quin etiam cum maximè in-
fluit,

fluit, tum ad diuersa reuellere. Quare nunc quoq;, etiam si fluxio violenter irruat, reuellere ad cōtraria studebimus, vtique si in superioribus vlcus cōsistat, per inferna purgantes, si autem in inferioribus, superiorem ventrem vacuabis. At si iā fluxio restitit, atquè in membro inhæsit, deriuare per vicina magis expedit cum & in propinquiora translatio sit, expurganti medicamento promptiorum accessus, tum attractus è vicino detur.) Hæc Galenus, quibus liquidò, quæ in exequenda purgatione seruari conuenit, ad vnguem est complexus, potissimùm quæ ad locum per quem pertinere videntur. Cæterum vt ad se ipsam reuertatur oratio, quæ ex professo hoc loci disputatur, quæquè de præparandis humoribus ad purgationem faciēdam verba facit: haud abre fecisse videbimur, si circa hunc scopum paululum temporis immorantes, inquiramus strenuè quo pacto præparatio ista sit molienda, & quid tandem debeat præstare, siue humoribus expurgandis, siue in corpore ipso, vt debita sit. Hippocrates secundo Aphorismorum 9. nimis industriè hanc insinuauit preparationem, dum ita pronunciauit, (corpora vbi quis purgare voluerit, oportet benè fluida facere:) in cuius commentatione Galenus taxauit eos, qui ea tantum ratione parandum esse corpus adstipulati sunt, si sępius prius euomerent, aut si pluries aluum leuioribus remedijs subduxissent. Quæ & si vera sint, faciendaquè diligentissimè, vbi prosperrimè secuturam procuramus purgationem, plus tamen aliquid voluisse Hippocratem, diuturno rerum vsu & anti-

qua

qua nimis experientia Galenus indicauit: quippè si quis priùs attenuarit secueritquè crassos humores atquè viscosos, aperueritquè canales, per quos humores sunt educendi, purgatio felicissimè succedet, idquè fiet, siue per vomitum, siue per expurgationem vacuandum sit. Atquè hoc pacto interpretatur. εὐροαποιέειν. Quod est, bene fluida facere. Nequè solùm Hippocrates humorum procurabat aptitudinem, sed & ipsas partes corporis expurgandi solitas humectabat, pariter ac emolliebat, quò vellicationibus & iniuris à pharmaco inferri consuetis meliùs obsisterent, ac minus oblederentur: quod 6.Epide.parte 1.comment. 5.hellebori nomine de omnibus expurgantibus medicamentis dicendum existimo. Habet autem ad hũc modum (dictum est autem, attenuare de humoribus, hos enim tenuare conuenit: mollire, de membris solidis: siquidem vtrunq; veratrum hausturis percommodum est, vt tuto purgatio fiat) igitur nisi humores prætenuati fuerint, & membra per quæ vomitus efficitur, mollia reddita fuerint, & ad distensiones distractionesq; antequam demus veratrum agilia effecta, in suffocationis discrimen ob humorum crassitiem ægrum adducemus, aut neruorum conuulsione, ob membrorum in dilatando duritiem qui purgatur, capietur: aut vasculum aliquod disrumpetur. Multò manifestius, quod proponimus edocuit Hipp. & Galenus 6.Epi.parte.5. comm.29.) veratrum epotum, si celeriùs purgare vis, lauare, aut cibum sumere oportet) Galenus in expositione ita interpretatur. (Generatim quidem

Damnatur ex professo à Tralliano. lib. 12. c.6. qui tur gẽtes incrassant.

& vniuersæ expurgationis communis rario per hunc Aphorismum traditur, corpora vbi quis purgare, vult, prius conuenit benè fluxa facere, hoc autem loco in vno violentissimo purgatorio medicamine vnius ad facilem fluxum præparationis meminit, lauationis scilicet, humores quidem fundentis, ac si quod membrum contentum duratūq; fuerit, relaxantis.) Quibus omnibus vsque adeò Auicenna consensit, vt nunquam demirari cessem eos, qui incrassandos humores censuerint, ad sequentem expurgationem: quum semper attenuādos esse succos ille crediderit, quos spectat esse vavuandos. Sic habet 4. primi cap. 3. de quinq; intētionibus in vna qualibet euacuatione seruandis ex instituto differens. (Dicit Galenus, quod in chronicis ægritudinibus matu ratio tātum & nihil plus expectanda est: & tu quidem iam sciuisti, quid sit maturatio, & antequam vacues, post maturationē ex subtilantibus in potu tribuere debes, sicut aquā hyssopi, alhasce, & seminum.) & ne quis hoc duntaxat habere locum defendere conetur, in humoribus crassis à quibus plurimum pendent diuturni morbi: exaudiat ipsum Auicennā prima tertij cap. 29. hisce verbis vtentem. (Materiæ calidæ digestionem faciunt medicinę cum aggregatione substantiæ & apertione, & incisione, sicut aqua hordei.) Aliam præterea præparationem exegit Galenus corporis expurgandi, præter superius iam enarratas, nempe ne crudi succi sint, crassi aut viscidi, & ne hypochondria distenta sint immoderatè, ne ignea sint & calida (hanc etenim

Attenuat humores Auicenna sēper quod eos præparat ad expulsionem.

& 4. primi cap. 4.

probo, sententiam non illam, quæ vrinam calidã & igneã legit:) si ergo hæc impedimẽta absuerint procul, humores verò fluidi tenuesq; parati sint, & absq; lentore: aperta quoq; reddita sint, per quæ expurgatio fit, foramina, tunc temporis idoneum esse corpus ad celebrandam expurgationem est verisimillimum atque hæc cuncta complexus creditur Hipp. qui fluida corpora expostulauit, antequam ad purgationem accedant. Ob has causas, rarò in acutis venire in vsum medicamina cathar-
1. aph. 14. tica explicuit Galenus: quoniam ob eorum citam decursionem & pernicissimam, qua mouentur, celeritatem, non datur nobis occasio ex imparato paratum facere, nisi quis arripiat occasionem momẽtaneam, exhibendi semel aut bis melicratum in quo, origanum, hyssopus, thymus, pulegium aut aliquid eiusmodi attenuantium, decoquatur; quæ citra dubium, haud poterunt iustam temporis momento facere præparationẽ. Quin & hunc vsum attenuantium sorbitionum eatenus arbitratus est Galenus necessarium, vt coctis iam succis à natura illũ desideret, pariter ac amplectatur, quod pulcherrimè secundo pronosticorum commento 60. reddidit notissimum dicens. (Cæterùm causa ob quam nihil expuunt cõmentatione dignum, triplex est: tum puris ipsius lentor & crassitudo &c.) Peruertunt tamen demonstratum dogma plurimi Auicennæ expositores, quòd ipsum, prima quarti de cura febriũ putridarum, aquæ potu biliosos humores inuenerint præparare seu (vt ille inquit) digerere: & ibidem, digestionem putauit æquatio-
nem

nem materiæ in substantia, subtilis nempe in crassationem, crassi vero attenuationem. Quod quidem hac demonstratione se putant sufficienter corroborasse. Subtiles humores promptissimè per angustas semitas dilabuntur ac subeunt, quos nisi inspissaueris & ad compactiorem substantiam reduxeris, haud arcebis, quin vlterius pergant atquè procedant. hi igitur, vt à penetratione semel occępta desistant, non sunt attenuandi, sed incrassandi potius. Iā verò, non dubitant Galenum opponere, qui 43. comment. 2. pronost. sic scripsit. (materia tenuis excurrens non potest extussiri, crassa & viscosa quòd pertinaciter meatibus adhæreat, & impacta sit, difficilè expurgatur.) Rursum 2. de causis sympt. hæc scribit. (Tussis diarhœa, vomitus ex illo genere symptomatum sunt in quibus aliqua causa præter naturam ad tales actiones stimulat, quanquam mouendi modus nec idem omnibus visitur, nec ab eadem facultate: nam in intestinis, vesica, vtero, partes se contrahunt ad eum modum quo manus nostrę aliquid exprimūt facultate naturali vna ex quatuor: in aspera arteria, tussis nihil aliud est, quam vehementissima efflatio, qua foras simul celerrimèquè actus spiritus, attrahat propellatquè suo impetu, quæ vias obstruunt, fitqué voti compos plerunque, vbi tùm spiritus cum violentia defertur, tùm quæ obstruunt contumacia non sunt; talia sunt, quæ nec aquosæ nec glutinosæ substantiæ sunt; nam aquosa ob tenuitatem dissecantur, glutinosa pertinaciter arteriæ inhærent.) Hæc Galenus. quibus Senen

ſis atq; alij adſtipulantes, mordicus tuentur bilioſos ſuccos eſſe incraſſandos arte, vt pareant expurganti medicamento quod ad hæc confirmant, operationibus medicinalibus, quas Galenus 12. meth. imperauit inquiens. (Oportet inquit vt ſuccorum materiam incraſſes, cutim denſes, & exhalationes inhibeas, & lib. de ſectis de fluxione tenui ad oculos, tantundem.) Sed protegendum eſt Galeni placitum, & proſcribendum prorſus tam barbarum, tamquè multis ab hinc annis perſuaſum dogmat, quod plurimos coegit ab ipſa veritatis luce deerrare plurimùm: id fiet vltrò, ſi ſingulas argumentationes ſeorſum diluamus, ac primùm ſi noſtræ factionis Auicennam aſſerere cupimus, dicamus oportet. Ea cauſa illum aliquando potum aquæ gelidæ bilioſos digerere, pronunciaſſe, quòd eam citra efficacem aliquam qualilatem bibendum eſſe exiſtimauerit: quæ ſi hoc pacto ebibatur tepida ſcilicet, quis poterit inficiari bilem fuſilem magis reddi, aqua permiſta? eſt ſanè aqua tenuior bile, cui ſi cōmiſceatur ex vtraq; aggregatum tenuiùs fiet bile ipſa ſola. quòd autem aqua ipſa tenuior ſit bile, conſtat, per ea quæ ſcripta reliquit Galenus ſecundo de facultatibus naturalibus ad hunc ferè modum. Liquida magis ſunt, aut quæ faciliùs per linteum excolantur, aut quæ prompriùs in tenues partes cōminuuntur, aut quæ funduntur ampliùs & liqueſcunt, primo de ſimpli. cap. 11. propterea iure ſuo Galenus in his qui viſcoſis craſsiſquè humoribus in thorace contentis laborant, largam potionem propinauit: quo liquidior fiat, ex pota

Defēditur ſecta quæ præparat humores atteenuando.

7. de comp. ſecundos locos c. de orthopœna.

aqua

aqua & humoribus aggesta moles. Non temerè diximus si citra efficacem qualitatem ebibatur aqua, nam si impendio sit frigida, sua frigiditate densabit humores: quocirca omnis potus liquidior humore, esset conueniens eius medicamentum, si notabilis alicuius qualitatis sit expers. Aut dicas, aquam gelidam præparare bilem per accidens attemperando videlicet eius feruorem, ob quem in horas serosam portionem absumit, consequioquè crassior fit & syncerissima, iuxta modum loquendi vsitatum Hippocra. in lib. pronosticorum. Quod si pergis, & Auicennam alterius factionis barbaricæ autorem efficere velis, propterea quod digestionem adæquationem substantiæ nuncupauerit, fieriq; enunciauerit, attenuando ctassos, & incrassando tenues: de morbis thoracis interpretari debet, de quibus duntaxat, hæresis vulgaris potest veraciter prædicari, quod vel ipsi Galeno est consentaneum vt lib. de caussis sympto. 2. assertum est. Modo vero ea parte attenuandos semper succos patrocinamur, qua de expellendis virtute naturali & compressione humoribus tractatur: vbi quantumuis tenuis humor sit, haud quaquam est impedimento expulsioni, sicut nec vrina humore bilioso multo tenuior, nunquam expulsionem prædiuit ob eius tenuitatem. Secus habet, si de expellendis efflactione seu tussi sermo habeatur, tunc enim nec crassos nec tenues esse opportet: ac perinde artifici, modo sunt incrassandi, modo vero subtiliandi. Vlteriùs quanquam Galenus de incrassatione succo-

Aut purganti medicamento trahendus.

rum prætenuium meminerit. 12. metho. non tamẽ idcirco peruertitur tradita nuper disciplina, quæ de parãdis expulsioni humoribus dũtaxat disceptat. Quòd si symptoma aliquod instauerit, cuius ratione congreganda sit substantia nostri corporis, & impingenda, aliã methodũ sibi expostulat: quod quũ. 12. meth. animaduerteret Gal. videretq; ob tenuitatẽ humorũ fatiscere vires, & in syncopã collabi singulis quibusq; momentis, id sedulò præpedire intendens, cutim densare, succos incrassare, & exhalationem cohibere præproperè præcepit.
10. meth. Quemadmodũ si febris feruentissimi esset caloris, in discrimenq; duceret ęgrotãtẽ authecticæ febris, aut interitus: nõ iniquè faceret medicus, qui neglecta tũc humorũ præparatione, ad extinctionẽ caloris intensissimi se conuerteret. Consimiliter Lib. de constitutione artis medicæ propè finẽ, obseruauit Galenus: qui quũ de reducendis humoribus ad benignũ statũ, & sanũ cõsultaret, eos modò incrassando si sunt tenues, modò verò subtiliãdo si sunt crassi, reducere destinauit, secus facturus si purgationẽ eorundẽ moliretur. Illud verò argumẽtum, quo vniuersam suã hæresim suffulserũt, ridiculam fabellã videtur magis nobis ingerere, quàm quòd vllum stabilire possit placitum, & decretum nouũ. Nã quùm aiunt, subtiles humores imbibi profundiùs si subtilentur amplius, cædo, quid tum? reposcã ab eisdem, si hos in penetralibus semel receptos incrassaueris, poteris ne eos expeditiùs foràs extra ducere? non sanè, ergo hoc conficiunt subtilantia medicamina, vt humores aptiores reddantur, & vt

& vt quacunq; vocentur, respondeant, & attrahés pharmacum confluant tùm expeditiùs tùm cumu latiùs vltrò. Qui ergò syrupum de plantagine, de iuiubis, de portulaca, atq; alios eiusdem farinę, qui ad inspissationem humorum propinantur, elargiũtur, tantũ abest vt corpus debitè, disponant ad purgationem, vt admiratione careat, si nihil expurgauerint & cum pertimescendis symptomatis. quinimò, vt libello dudum publicato de ratione mistionis pharmacorum vsitatorum affirmauimus, nunquàm inspissantia seu adstringentia medicamẽta debent vsurpari, nisi aut corroborationem intenderis ventriculi, aut animi deliquium arcere. 1. acut. 18. sed de his ibidem latissimè.

Caput quartum.



Elleborum itaquè sumptnri, naturã priùs experire oportet, quomodo illa se habeat ad superiores purgationes, eas dico quæ vomendo fiunt. experiemur autem, si quæ vomitũ mediocriter prouocant, exhibuerimus. Qui enim non facilè purgatur, hic nisi præparatus, ad belleborum agendus non est: quòd fiet, si assuescat promptè euomere per continuos vomi

tus, qui sumpturus est helleborum. Fiet autem hoc melius, si corpus, prius humectetur, præhumectatur sanè pluri cibo, & quiete, ac quietē illud conficere nemini dubiū: sicut enim exercitiū mēbra desiccat, ita quies quæ requies est exercitio contraria, nata est humiditatem seruare. Alimentum porrò nequaquam simpliciter quod multum est, natum est humectare, verū quod sine vehementi qualitate, hoc est, si neque adstringens, nequè acre, neq; salsum, nequè amarum. quocirca interdum præbebamus radices in oxymelite, in quibus fuissent per noctem atq; totam diem infixi ramuli hellebori albi; essetq; imbecilla ab helleboro expurgatio talis. Qui autem thoracem habent angustum, p ac ob id compressum ineptissimi existunt ad eas quæ vomitum fiunt expurgationes, tùm aliàs, sed potissimum quæ ex helleboro fiunt albo: rumpitur namque vas his aliquod ex instrumentis respiratorijs.

Commentarius.



HANC præparationem corporis helleboro expurgandi, docuit esse faciendam Hipp. 4. Apho. 13. dum inquit, (Ad hellebo-ros qui non facilè expurgātur, eorum corpora ante potum, pluri cibo atque quiete humectanda sunt) fieri

autem

autem hanc leuioribus præsidijs si inuitetur vomitus primū ostendit, vt aqua tepida, exæleo, pinnis in os dimissis, aut decocto raphanorum, ficuum aut oleo ipso syncero: deinde foueantur partes vētriculi, manus & pedes, & distentionibus minus capiantur: quòd si his factis haud facilè purgatur, præparatione exacta opus est per plures dies antea facta, cibo omnis qualitatis experte; nam qui acres sunt, acerbi, salsi amari, præter id quòd non sunt cibi sed medicamenta, sua efficaci qualitate crassiores reddūt succos, & partes corporis arefaciūt & indurāt, eas cōuulsionibus efficiētes promptissimas cuius contrarium intendimus, solida scilicet emollire, humores attenuare, & vias aperire, non solum pro helleboro, sed & pro quocunque alio medicamento. Diligentiùs tamen hac tam sedula præparatione ante hellebori vsum vtebantur antiqui: quòd ille peruicaces admodum materias expurganas, & quæ non nisi clauo extrudi queunt, promptissimè in suffocationis discrimen adduceret. Quò fit vt Hippo. culpauerit Galenus secundo de fracturis comm. 27. qui absq; dicta & humorum & corporis dispositione, helleborum exhibuerit: tametsi temporibus Hipp. corpora minus crassis succis & paucioribus humoribus, moderatioris vitæ ratione, occuparentur, ac ob id minus essent suffocationi & conuulsionibus obnoxia. Nostra tempestate æquiùs incusaretur, quo tēpore vitæ luxui, fastui, pompæ, & omni distemperantiæ incumbunt homines procliuiùs: quorum causa, refertiunt plurimis succis, eisdéq; crassissimis,

Aetius suo loco & gal 1. ad glau.

6. Epi par- te 1. co. 6.

pari-

pariter ac viscidis maximè. Balneis quoq;, & quiete id ipsum conficiebat Hipp. 6. Epi. sectione quinta comment. 29. Hæc fatus, (helleborum vbi volueris faciliùs expurgare, lauare, ac cibo, & quiete humectare opportet.) Subinde disceptant, an simul cum purgante medicamento commisceri possit cibus: quandoquidem eodem loco nunc citato, & ante pharmaci sumptionem, & eodem tempore quo sorbetur, cibo humectanti vti permiserit Galenus. Secundò, Trallianus cap. pe amphimerina, in ipso pane præbuit expurgans medicamen: quē imitatus Aetius sermone, 3. primę quaternionis, in iusculis phasianorum, perdicum, pullorum, & in aceto vim expurgatricē nacto ob alicuius pharmaci mistionem, intingere esculenta docet, panē parat catharticum, admistis pulueribus: & alia multa figmenta, quibus maximè studuit ęgrotantibus placere, & eos technis quibusdam furtim decipere. Idem obseruauit Actuarius libro de compositione medicamentorum, quùm suum vinum purgatorium condidit ex scammonio atq; alia plura quæ cum cibis mista tribuuntur ad humorum expurgationem. Quos omnes sæpissimè sum æmulatus in Epidemia illa per totam fermè carpetaniam grassante, non aliter potens humorum redundantiam deponere, quàm clanculum conditis iusculis aut bellarijs, quibus alio nomine vti cogebamus laborantes: id in primis pluris faciens, quo ægrotātibus ipsis præ fastidio miserrimè cruciatis, placerem, ne subuersus ventriculus, ad quod tunc erat propensissimus, inanem redderet nostra operam

An cibus misceri debeat cum purgante medicamēto.

Anno 1544.

operam atq; diligentiam. Videbam ſanè nonnullos,qui abſq; hac fraude, purgatoriam ſorbitionē ingerebant, vſq; hac fraude,purgatoriam ſorbitionem ingerebant, vſq;adeo in vomitum ferri, vt ſi quoquā pacto illis reluctari conareris, ſumma angietate angerentur,toti contremiſcerent, & in rabiem quandam concitarentur. Hac de cauſa nunquam ſum veritus,in imbecillimis, faſtidio laborātibus, & nauſeabundis quiq; vehementer abhorrent id genus inſcula, omni ſtudio id potiſsimùm efficere, quî grata reddatur potio, & ſubdolè corpus expurget:hoc enim feciſſe antiquiſsimos reperio,& ad id obſeruandum cogit vel nolentem,creber caſus. Præcipuè quùm id aliquandô præceptū ſit,vt gratias ægris concedamus, dum modò non valdè noceant,ſexto Epi.parte 4.comment.8.Neque id me latet,Paulum libro ſeptimo, ieiunis purgantia medicamenta,atq; alios plures, vt Auicennā, propinare: ſed illud in alacribus hominibus. quiq; ſe ad exſorbēdas potiones vtcunq; paratas, promptiſsimū: offerunt,iuſsiſſe potiſsimùm:præſertim quùm aliud ſit, poſt cibum pharmacum tribuiſſe,aliud verò,ſimul cū cibo aſſumi, illud enim nocet, quod ſemicoctum cibum ad inferna intēpeſtiuè propellit, hoc verò minimè quoniam ſimul cum pharmaco incipiet coqui, & deinde coquetur.Potiſsimùm quę,in re liquida alimentaria propè ſemper commiſcetur, & quæ exigiuum aut nullum nocumentum impertiet etiam ſi per venas crudior deferatur,ob eius alimenti paucitatē,cum quo pharmacum miſcetur. Iam verò ex profeſſo il-

lud

lud nobis iniunxit exercendum Aetius sermone tertio primæ quaternionis cap. 56. qui ex Hippocratis, sententia, in cibis optimum esse medicamentum asseuerat & his qui conualescunt, & diuturno morbo vexatis, & his quibus paulatim atq; latenter redundantes humores vacuare volumus. Helleborus duorum est generum, albus nimirum & niger: albus auditus semper quòd simpliciter nominatur, desperatis morbis vnicum refugium vt superiùs ex sexto Epidemiarum, parte prima, cõment. 6. adductum est. Qui cum magnæ esset efficaciæ, vario modo condiebatur apud Aetium sermone tertio primæ quaternionis: interdum enim in propria substantia, interdum decoctum eius, aut maceratum, aut ramentum, aut puluis dabatur; idquè aut in ptisana, aut aqua mellis, pondo drachmas. ij. & semis quando furfurum instar diuidebatur, aut drachma. j. & oboli duo, quandò pulueris in modũ: interdùm verò, vt placidius redderetur medicamentum, catapotia ex puluere cribrato, cũ melle effingebant. Maceratum senibus & pueris concedebant, pondo drachmas. v. ramenotrum in aquæ pluuialis hæmina dimidia per triduum, post calfacientes ac percolantes totum cremorem propinabant. Decoctum libro primo concissæ in sextarijs duobus, deinde maceratæ per triduũ, postea ad prunas mitiores ad tetrias vsque decoquebant, ac deinde decocto, mellis despumati libro secundo addebant, coquentes ad mellis vsque compagem. Cuius dosis coclearium magnum. Galenus in præsente alio modo parandũ helleborũ voluit hoc scilicet.

licet. ℞. drachmas ſex, ramentorum per diẽ & noctem in raphani radice infixorum, deinde repurgatæ ab illis radices, ita vt nullus cortex maneat, cõſcindãtur & in aceto mulſo maceratæ ſimul edantur. Manardus helleboro nigro vſus eſt, drachmæ vnius pondo cum granis duobus ſcammonij, nec arcuit vſum hellebori albi noſtro tempore, vt perſpicuum eſt ei qui annotationes eius in ſimplicia Meſues euoluerit.

Caput quintum.



PORTET autem amaram bilem per ſuperiora, pituitam verò per inferiora, quamuis interdum contrariũ facere oporteat, ſi in ventriculo pituita, & inteſtinis aggeſta ſit bilis: nam melanchymicus per inferiora ſemper eſt reijciendus. Scriptum eſt autem & in Aphoriſmis, Hippocratis, de temporibus, (æſtatequidem ſuperiores ventres, hyeme verò inferiores purgare oportet.) Tẽporibus conſimilem habent regiones conſiderationem, caliditate, & frigiditate diſtinctæ, atq; eadem eſt ratio de ætatibus. Quin etiam conſuetudo non eſt exigua pars in indicanda vacuatione: nam qui aſſueti ſunt vomitui, minus moleſtè ferunt, quæ per ſuperiores ventres fiunt purgationes, inſueti rurſum non ſine periculo, maximè in ea quæ cum helleboro fit.

Com-

Commentarius.



X nouē illis ſcopis, quos principio præmiſimus, vnus eſt qui de loco per quem exercẽda ſit expurgatio, pertractat, ad cuius inquiſitionem plura ſunt conſideranda, quæ doceant rectitudinem obſeruare, cum loco patienti ſeu affectione, ſiue expurgando reuellas, ſiue ſolùm euacues, in primiſq; natura humoris morbifici nõ inſtrenuè mõſtrat, qua ſit ipſe educendus rectiùs: nimirum bilis quùm altas vt plurimùm poſsideat corporis particulas, pituita humiles ſimiliter & melanchymia: (ſic enim aptiùs complectuntur atrabilis & ſuccus niger) iure per vomitum bilis, pituita ſimul & melanchymia per aluum deijcientur. Vt plurimùm diximus, nam ſi ob alias cauſas peruentatur hic poſitus ſuccorũ cuntingatq; in ventriculo hærere pituitam, bilem verò in ipſis deorſum ſitis inteſtinis, bilis tunc cõmodè per alui deiectionem, pituita verò per vomitum excernetur. Tempus etiam indicat per quam partem vacuatio inſtituenda ſit, quùm enim æſtate bilioſi dominentur humores, hyeme verò pituitoſi, meritò enũciauit Hipp. (æſtate ſuperiores, hyeme inferiores purgare oportet:) quãquàm Muſa ꝑ ſuperiores ventres thoraeẽ & caput audiuerit, per inferiores, quæ ſunt inferiùs poſitæ: ſed præter Philothei

Iothei mentem, qui τὰ ἄνω, γαστέρα καὶ στόμαχον, τὰ κάτω, ἔντερα: id est per superiores ventriculum & stomachum, per inferiores, intestina interpretatus est. Preter hoc quòd hyeme potius purgandũ sit caput & thorax, ob id quòd p nares ingresso frigido aëre, cerebrum multis crudis succis oppletur & catarrhis, quod docet experientia, & deinde facta distillatione thorax eadem corripitur labe & vitio. Subinde nemo iret inficias, pituitam in ventriculum defluxam, promptius atq; directius per vomitum expelli, quàm per intestina: ast ventriculus eo autore inter infernas partes cõnumerandus est. Iuuat etiam ætas & regio ad noscendum locum conueniẽtem vacuationi: nempè iuuenibus vomitus, senioribus alui deiectio est conuenientior in calidis regionibus vomitus, in frigidis verò per aluum facta expurgatio est vtilior. vtrunq; sanè eadem fit ratione, nimirum calidas habitantes regiones & ætatem agentes calidam pluri abundant bile: pituita vero, qui frigidas plagas cohabitant, & ætatem degũt frigidiorem. His refragari videtur Celsus libro primo cap. 3. vbi vtiliorem hyeme putat vomitum quàm æstate: ob id quòd plus pituitæ tunc sit, & capitis maior grauitas. Cui patrocinari videtur experientia: est enim hoc pluribus hominibus familiarissimum, vt sæpius hyemis tempore, vomant aquosam pituitam, quam aut ciborum causa, aut destillante cerebro in ventriculo coaceruant assiduè. Quibus nisi subscripsisset Hippo. libello de salubris victus ratione cõmen. 15. sex hybernis mensibus vomitum imperans, aliqua semper

Qui in ventriculo cõtinẽt humores quecunque tempore sunt vomendi.

per suspitione teneremur verùm hanc controuersiam diremit Galenus in expositione eius loci, vbi Aphorismum dudum adductum, respondere & cócordem esse voluit, cum ea oratione quæ nobis in præsenti facessit negociū. dicens. Si in ventriculo aceruatur pituita, vt in hyeme contingit per vomitum est repurganda: & si bilis in intestinis inhæreat, per aluum: nam hoc docet positus indicatio quæ quò vergit natura, vacuationem expostulat, hocq; faciendum est dum præsentibus affectionibus medemur. At si obsistere velimus ne augeantur succi, aut futurum aliquem morbum saltu ingenerent, per contraria loca retrahere eos debemus: & hoc facit Hippocrat. quùm loco iam citato æstate per cataclismata purgare docuit, innatantem bilem, deorsum iam reuellendo. Et quæ hactenus dicta sunt, de particulari vacuatione ventriculi & intestinorū extant intelligēda quod si vniuersum corpus euacuare institueris, æstate per superiora hoc est, per vomitum, hyeme per inferiora expurgabis, vt in Apho. est enunciatū. Celsus ergò de pituita locutus est quæ in ventriculo aggregatur tēpore hyemis, quam nemo non per vomitū euacuabit: sola enim euomi natura apta sunt, quæ in ventriculo continentur. eorum autem quæ in intestinis continentur, nihil potest per vomitus euacuari, 12. quartæ Aphoris. locus ergo faciendæ vacuationi aptissimus ab idea humoris potissimùm indicatur, quam quùm tempus, regio ætas varient, diuersis temporibus per diuersa loca iubetur euacuatio. quocirca quùm causa aliqua cōtra tempo-

ris aut regionis naturam, humor discors excellit, nihil mirandum si æstate per inferiora fiat expurgato, pituitæ scilicet & melancholiæ, Quare, quãquam de totius corporis vacuatione sermo sit, nõ perpetuò æstate per superiora, & hyeme per inferiora fiet. est tamen verissima enunciatio quãtum est ex parte temporis, quòd si æstas, sit, bilem progignit, si hyems, pituitam, sua ratione. Sed cur perpetuò melancholiam per inferiora vacuat, quùm pituitæ instar ventriculum possidere valeat? Præsertim quùm, hellebori albi frequentissimus sit vsus antiquis, ad purgandam atram bilem per vomitum. Perplexus est sanè locus, nisi vt plurimũ, locum inferiorem nancisci dicatur, sed idem de pituita dici poterat, desuetudine etiam factum est, vt tempore etiam æstatis, vomitus non veniat in vsum, quidquid Hippo. præceperit. Alia sunt quæ humoris ideam perdocent, consequenterq; locum vacuationis, nempe quæ in illis versiculis compræhenduntur.

Ars, ætas, regio, virtus, complexio forma,
Mos: & symptoma, tempus, repletio, victus.

Inter quæ forma gracilitatis quæ biliosa est natura, quod cognoscitur vasorum amplitudine & calore, purgari per superiora nata est, præcipuè si facilis sit ad vomendum 4. Apho. 6. contrà, gracilitas melancholica, quæ vasorum angustia, & frigiditate, colore plumbaceo dignoscitur, per inferiora, quoniam hi scatent melancholia. Forma item tabi prona, vt sunt thoracem angustum gerentes, aut qui iam ptisim patiuntur, inepta est vomitui: *Vtroq; modo tabidi dicuntur. 1. epi. part. 1. comm. 18.*

ob periculũ vasorum ruptionis, quæ in instrumentis respirationis hærent, quæ .4. Apho. 8. commento docentur. Artes quoq; quemadmodum inter se differunt, ita quoq; differentes creant humores: nimirum faber ferrarius, lanista, biliosos adgenerabunt succos, nisi victu, & potu vsq; adeo at temperentur in contrarium, vt pituitam magis aggerant quàm bilem. Temperamentum calidum calidos gignet potius humores, sicut frigidum gelidos, quantum ad temperamentum attinet, accumulabit; de victu quid opus est verba facere? Est enim illud in propatulo, consuetudinem erga quamuis materiam habitam, tantas obtinere vires in permutando corpore, vt hæc sola polleat amplius, quàm cæteræ causæ in altera statera appensæ, quæ si circa cibos & potus qui necessario crebrò vsurpantur, euenerit, non dubium quin secundum eorum postulationem, permutabitur corpus. Aliam tamen per se consuetudo adsociat indicationem, præter eam, quam ob connexionem cum aliqua rerum non naturalium indicabat: qui enim consueti sunt vomitui, illum tolerantiùs ferunt, & qui alui deiectioni, per aluum factam euacuationem: contrà, qui nulli istarum vacuationum assueuerunt, difficillimè, earum quamlibet substinebunt. Sed hallucinari quosdam video, in erroremq; delabi non ferendum: qui quùm, consuetudinem demonstrare locum vacuationi conuenientem legerint, inde colligunt, ob solam eam quotannis in vsum debere venire expurgationem. Vndè quamplurimi huius consuetudinis timore perculsi, crebrò detra-

9. meth.

Cõsuetudo vacuationis, non infert eius necessitatem nisi redeat eadẽ causa quæ in principio ad id coegit.

ctant,


ctant, aut sanguinem sibi demi phlebotomia, aut aluum cieri medicamine expurgante: quòd hoc crediderint sequi necessariò, vt si semel aperta sit illis vena aut facta expurgatio, quotannis eodem tempore iure quodam necessitatis, cogantur ad repetendam & sanguinis detractionem & purgationem & è conuerso. Si nunquam id genus remedij fuere experti, nunquam esse id tentandum arbitrantur. Quos libello de assuetudinibus prudentissimè Galenus vituperauit: propterea quòd consuetudo sola non indicet vacuationem esse necessariã, nisi eadem humorum plenitudo redeat, ob eandẽ victus speciem: & quùm inexperti laborum nascamur omnes, oblata etiam necessitate, non esset nobis adeũdum periculum vnquam. Itaq; mos erga vacuationem obseruatus, non ipsam indicat sed erga ipsam coindicat: quùm illud antea persuaserimus ineuitabile, à genere affectionis indicari speciem auxilij, cætera aut quantitatem, aut modum, aut locum coindicare.

Lib. de sanguinis missione.

Caput sextum.

M*ORBI præterea genus spectandum erit, nam is cui solidæ corporis particulæ in leucophlegmatiam resoluuntur seu in aquam inter cutem phlegmaticam, medicamento eget pituitam educente, ac primò quidem per inferiora, deinde per vomi-*

tum, postremò per nares & apophlegmatismata: nam redundantia per vniuersum corpus extenta, omnes uacuationes admouebimus, in ascite autem hydropa, quippiam aquam detrahens offeremus, sicut & in ictericis, quæ bilem eijcient. Expurgare verò oportet & in his multifariam bilem, & per superiora, & per inferiora, & per vrinam, & palatum & nares. Eodem modo si bilis atra supercreuerit, vt in melancholia, cancro, elephante: vacuans medicamentum nigrum humorem porrigemus, nam in epilepsia, pituitam exinanientibus, expurgamus. Ex quibus manifestum est, & morbi constitutionem, vacuandi humoris speciem, & locum per quem ipsum vacuare conueniat: nempe in inflammatione iecoris post maturationem, purgatione per aluum vtimur si in sima parte resideat affectio; per vrinas verò, quando gibbam vexat. Eadem opera & in alijs considerandum est, quis humor redundet, & quis patiatur locus, ex quo tamquam causa morbus incæperit: hæc etenim commostrabunt vacuandum humorem, & modum vacuationis, & ad hæc locum per quem exercenda sit vacuatio.



Com-

Commentarius.



ORBI species atq; differentia totam morbi constitutionem, & humoris differētiam proculdubio demonstrat, cōsequenterq́; & locum vacuationi debitum: neq; inconuenit humores, morbos quos generant indicare; & rursum morbum, humores quos sui habet autores, valent etenim alterum alterius esse indicium. Quare in morbis omnibus, locum patientem considera, humoremq́; redundantem; hæc etenim morbum, locum, causam ostendunt, ex quibus vacuandum sucum, locū per quem, & modum vacuationis seu differentiam iudicamus, Habes porrò omnem morbi curatoriam indicationem, à quatuor rebus potissimùm simul coindicantibus sumendam, positu scilicet, forma partis, virtute, temperie. 2. ad Glauconem, & 7. meth. inter quæ quantum virium obtinuerit positus ad genus vacuationis variandum, docuit fusissimè libello de sanguinis missione Galenus, & liber cui nauamus operam, de locis patientibus. Morbi idea ostendit humorem ipsum, vt. 2. de crisibus, & de differentijs febrium copiosè disceptatùr. Quæ rursum, ex tempore, ætate, regione, victu, symptomatis, consuetudine deprehenditur, quæ si συστοιχά, id est eiusdem ordinis sint, & om- 1. apho. 12.

nes bilem prænunciant, biliosus est morbus exactè; si pituitam, pituitosus, ac talem esse vacuandũ succum ostendunt. In epilepsia magna ex parte redundat pituita, rarò melancholia, 3. de locis affectis. inflammato iecore & cocta inflammatione, expurgamus, antea minimè ex. 4. acut. 21. & 13. metho. idq; fiet quando in simis partibus inhæret affectio; quando vero in gibbis, per vrinas: nisi adsit multitudo, quæ non nisi per aluum est deponenda. 7. meth. ad calcem: cientia quippe vrinam ante plenitudinis vacuationem, præsertim quæ vehementia sunt, nullo pacto recepit Galenus. 8. metho. quòd per loca angusta delata multitudo necessariò faciat obstructionem: quæ tandem omnia indicatione à positu desumpta, liquet & suam indipiscuntur ostensionem.

Caput septimum.



T ad hæc omnia etiam tempus monstrabunt; si quidem inter initia morbi, tenues & aquosos humores euacuabis; vbi tenaces & crassi fuerint, quales suapte natura sunt pituita & nigra bilis, concoctionem expectabis.

Com-

Commentarius.



LIA est contemplatio de tempore quam hucusq; distulimus examinandam, accipiturq; tempus hoc loci, Græcis καιρὸς, pro rei gerendæ occasione quę certum tempus non exigit, quæq; in tempore est, & non est tempus multũ, libro de præceptis, apud Hipp. porrò, opportunitas pro quacunq; re dispensanda, articulum temporis quendam efflagitat, quem citra vltraq; nequit tempestiuè res fieri, ac proinde dixit Hipp. (non est tempus multum licet sit in tempore.) De hac Hippo. 1. Apho. 1. loquens, eam præcipitem asseruit, & certo tempore circumscriptam, vario quidem, pro varis rerum gerendarum occasionibus. Alio modo solet apud Philosophos vsurpari tempus, pro numero motus secundum priùs & posteriùs considerato: iuxta quam considerationem ætates animatorum, sua tempora habere dicuntur, pueritiæ, iuuentutis, ac senectutis, & secundum analogiam morbus sua percurrit etiã tempora atque ætates, cuius decursus ratione, principium pueritiæ respondens habet augmentum adolescentiæ analogum, postremò iuuentuti, respõdet morbi status, post quem declinatio senectuti animalium compar, sequitur, totam morbi dura-

Tẽpus pluribus modis capitur.

Lib. de temporibus totius morbi.

tionem terminans. Quocirca distincta sunt tempora auxiliorum à temporibus morborum, nimirum hæc coctionis gradibus distinguntur, principium dictum, quando crudus morbus perseuerat: augmentum incipit, quā primum incipit apparere manifesta coctio, nebula scilicet aut appendiculū in vrina: status quùm optima fit coctio, quæ sedimento albo, læui & æquabili denotatur: declinatio quùm absoluta coctione sedantur accidentia morbi propria. Quoniam quùm generatur sedimentum maiores dolores & febres accidunt quàm sedimento genito. 2. Aph 47. de quibus omnibus ad rauim vsq; disseruimus in expositionibus quas in libros de crisibus parauimus. Tempora autem auxilij illud solùm efflagitant, vt res sit quæ poscat remedium, & vires haud quaquam dissentiant, vt luculenter libro ad Trasybulum scripsit Gal. Quare, quùm morbi principio vires sint integriores, si morbus sua vehementia remedium poposcerit, eo tempore conuenientissimè debet adhiberi, iuxta illud (inchoantibus morbis si quid videtur mouendum, moue.) Quin & aliquando in futuris ægris tempus adest auxilii capessendi, quando nullum ingruit adhuc morbi tempus. Distinguuntur igitur ab inuicem præcipuè, quùm in vno tempore morbi, pluribus nonnunquàm auxilijs vtamur in morbi remedium. In declinatione etenim victum, iniunctiones, cataplasmata præstituimus: & in diuersis temporibus eadem vsu veniunt auxilia, vt sanguinis missio, quæ in principio & morbi augmento assolet crebriùs vsurpari. Ex his itaque con-

Lib. de tēporibus totius morbi & 1. cris. 17.

Distinguntur tempora morborū à tēporibus auxiliorū.

2. aph. 29.

constat auxiliorum tempora longo separari interuallo abs temporibus durationem morbi constituentibus, si de vniuersalibus acta sit res hactenus. sed haud dissimilibus demonstrationibus, separantur particularia præsidiorum tempora, à particularibus paroxysmorum temporibus. Porrò remissiones morborum Græcis, ἀνέσεις, dictæ, sunt obseruandæ ad remediorum adhibitionem, præsertim in febribus; in alijs verò morbis ipsa doloris vehementia; quòd illic febris pertimescamus exacerbationem motione remedio facta exaugendā: hic verò, quòd solicitè malo vrgenti, terga dare nequeamus, sed actutùm periculo obuiare, (aut periclitandum,) cogamur. Ac quùm non semper remissiones morborum sint æquabiles, fit equidem, vt non similiter in eis applicentur remedia: alijs etenim imperatur inædia priùs, vti. 1. acuto. 33. alij pransi & poti plus aut minus ad venæ sectionem accedunt, lib. de vlceribus ad finem: & ij quibus subuertitur ventriculus, aut animi deliquium patiuntur, si ante venæ sectionem, modicum cibi nō esitauerint. cruditas etiam ventriculi differt phlebotomiam, donec excoquatur, quemadmodum superiùs cùm de sanguine mittendo ageremus, discussimus. Stercus alui detentum, sicut prohibet ciborum oblationem, ob causas primo acuto. 32. redditas, ita quoq; ne fiat sanguinis emissio ante alui subductionem vetat. Iam verò sæpissimè, eis, qui aliqua de causa alguerunt, non audeo priùs sanguinis eductionem imperare, quàm incaluerint aut tecti lodice, aut ope alia, iuxta morem, quem

Lib. de sanguinis missione.

Lib. de vlceribus.

loco nuper citato Hip. obseruabat. Designata itaque inter tempora morborum & auxiliorum differentia, quandoquidem de tempore ad purgationem exercendam destinato meminit Galenus, haud iniuria controuertetur quod nam sit tempus quo istud præsidium conueniẽter exerceri debeat. Multi medicorum indefesso studio contendunt defendere nulla ratione purgandos esse humores priùs quàm cocti sint, & à natura sufficienter edomiti, quod non nisi statu morbi transacto, datum est: hoc etenim Hippo. voluisse ferunt, quùm oraculo illo proclamauit,) cocta medicari oportet, mouere non cruda, nisi turgeant: plurima verò nõ turgent,) quòd eo tempore adminiculantem habeamus expultricem facultatem, quæ non anteà humores extrudit sponte sua, quàm alteratrix excoxerit. Secundò, quartò acutorum commentario. 43. & 44. (quòd si vrinæ tenues inter initia fuerint, tales non purgabis, (paucis interiectis,) ventrem ab initio clysteri duces, sed medicamẽta purgantia non admouebis: nam si ventrem moueris, vrina non maturabitur, febrisq; citra tùm sudorem tùm iudicationem in longum tempus protrahetur) in expositione Gal. hanc elicuit Hipp. mẽtem: vt prorsus vitandæ sint purgationes, cum in humoribus adest cruditas, propterea quod cõcoctionibus suffragetur, quies, vnctio, & pannis facta cõtectio, quibus ex diametro purgationes contrariæ existunt. Tertiò, arguunt esse absurdissimum, velle sine vllo discrimine in cuiusuis morbi principio, expurgatione vti: quùm rarò admodum natura

Argumenta quibus vulgus medicorum probat ante coctionem nõ esse pargãdos succos.

per

per aluum crisim faciat.3.crm.cap.3.& naturam, quantum datur, deceat artis peritissimum quęq; imitari. Alij, non spectant coctionem succorũ prauorum, quos haud quaquam credunt in substantiã nostram conuerti posse: verùm eos statim inchoante morbo, ceu coctioni inhabiles, purgare non cessant. Quòd si Hipp. visum est, coctionem esse priùs procurandã, quàm fiat expurgatio; crudorum, inquiunt, & pituitosam formam indeptorum, quos verè crudos appellauit Galenus.4. de tuenda valetudine, quùm sanguinem in medio collocauit crudorũ, & biliosorum. Corroborant suam hæresim per ea quæ Galenus eodem libro asseuerauit, dicens, (oportet igitur excremẽtum siue calidum id sit, siue frigidum, ipsum aut expellas, aut alteres: recipit verò non omne excrementum alterationẽ à natura, siquidem nec omnis cibus, in cuiusuis animantis ventre concoquitur; sed cognatio quędam ei quod coquit cum eo quod concoquitur intercædere debet. Quod igitur omnino alienum est, nulla fieri ratione potest, vt id naturæ gratiam recipiat sed educere id, quàm primum est tentandum: æquè certè, vt quæ in ventre corrupta prorsus sunt, ea vel vomitione, vel deiectione expelli profecto est optimum.) charta deinde interiecta, hæc addit. (Quoniã ergò duo prima sunt quibus primum intentus sit oportet, qui eiusmodi affectibus medebitur, crudorum siue etiam semicrudorũ quæ ante sanguinis perfectionem fuerunt, percoctio: & acrium ac mordacium qui secundi sunt & sãguine posteriores, eductio, abstinere eos oportet
ab

ab omni valido motu.) Quorum verborum corticem forsan secutus Auerrous lib. 3. c. 4. & 8. suarum collectionũ, desperauit prauos humores posse coqui, vt bilem denegauerit esse febrium biliosarum causam, aut febrem esse insanabilem, (ita enim subaudiendum putaui): ob id quòd impossibile esse iudicauerit, vt bilis in corpore hominis coctionem recipiat: quia non est possibile (inquit) illi rei quæ transiuit terminum decoctionis, vt redeat ad terminum coctionis, sicut fieri nequit, vt assum reuertatur ad elixum. Capite octauo sequente, hæc addidit. (Et debes scire quòd ægritudines simplices nõ fiũt ex humoribus simplicibus istis, & maximè ex illis qui non recipiunt coctionẽ, nec apti sunt ipsam recipere; quia quando bilis vel melancholia simplex dominatur singulariter & simpliciter, fiunt ægritudines ex eis quæ nullo modo habent curationem.) Quùmq; definitionem coctionis quæ in morbis admittitur, quæq; tertio artis medicinalis hoc pacto habet, quæ facit cessare putredinem manente sũbstãtia) illis obtrudimus, eam prohibere ne vlteriùs augeatur, affirmãt, nequaquam omnino putredinem finire. Vt neutiquã videantur excipere, inutiles semel factos humores nutritioni, posse à natura coqui amplius: quod vtiq; fieret, si putrentes succi, coctione corrigerentur, & in pristinam bonitatem redirent. Sed hos facilè refellet, qui in Galeni voluminibus, vel mediocriter fuerit versatus: nam quùm tres fiant mutationes in humano corpore, prima quidem quæ
47. simpliciter proba dicitur, estquè nutritio partium anima-

Improbantur vulgares medici.

animalis: secunda, simpliciter vitiosa, quæ cũ mutatione seu putrefactione fit malè olida: tertia, quę mutatio est sanguinis in semiuitiosum: prima à calido fit natiuo solo: secunda ab eo qui est præter naturam solo: tertia ex vtroq; permista est, vocarique solet à Galeno coctio, tametsi putredini sit copulata, primo de differentijs febrium capi. 6. quæ tantò est exactior atq; completior, quantò minus recipit putredinem iuxta deffinitionem datã modò ex tertio technes. Sic etenim, illud diligentiùs speculatus Galenus, primo Epi. parte 2. comm. 44. definiuit coctionem seu morborum maturationem quùm dixit, πέψις ἐςὶ τῶν παρὰ φύσιν, πεπασμὸς τοῦ νοσήματος. id est, maturatio morbi, coctio est eorum quæ sunt præter naturam. Est autẽ hæc, si vlteriùs quæsiueris, ἀγωγή τις ἐςὶ τοῦ πεπτομένου, εἰς τὴν τοῦ πέσσοντος οὐσίαν. idest, deductio eius quod coquitur, in substantiam coquẽtis. Est tamen illud notandum discrimen inter naturalem coctionem, qua nutrimur, & inter eam quę fit erga causas morbificas. Quippe in illa, aut tota materia aut maxima eius pars assimilatur, paucissima manente semicocta: in hac verò, paucum est quod assimilatur, superfluum semicoctum multum. Imò verò, si Galeno credendum est, ea causarum morbificarum alteratio, qua quantum datur, nobis reddantur similes, coctionis nomenclaturam semper retinet, tametsi, earum nihil in nutrimentum corporis cedat: quod splendida oratione exposuit Galenus secundo acutorum, commẽtatione. 44. his verbis. Quanquàm demutati humo-

mores nequeant corpus nutrire, quemadmodum bilis & ichores, verùm tamen postquam vincit natura, consueuerunt appellari cocta quæcunq; excrementa à natura ipsa vincuntur. Illud idem iterum explicuit Galenus tertiò de causis symptomatum dicens. (Communis terminus omnium preter naturam est, si nequeant cocta nutrire.) secundum generalem itaq; coctionis rationem, quam victoriam causarum morbificarum, Galenus interpretatur, non inconuenit coctos succos appellare qui non nutriunt: contraria ratione, illa excrementa quæ ceu in cadauere putruerunt, nihil illis calore natiuo concedente, à coctionis appellatione exciderunt prorsus. Neq; hoc à Philosophorum decretis dissidere arbitrari debet quispiam, quandoquidem Aristotelis disciplina, quædam coqui proprissimè constet, vt animalium partes quæ vera coctione generantur, seu nutriuntur: alia minus propriè, quemadmodum excrementa, fructus, & tumores, quibus suam maturationem tribuit Aristoteles, licet vrina in substantiam non conuertatur corporis coquentis seu illam alterantis. Quòd si eò pertinaciæ quispiam promotus sit, vt tantùm ea dicat coqui quæ nutriunt, multis modis peccat, præter id quod legislatoris vice fungitur: si quidem excrementa in cocta nominabit, quæ in sana dispositione egeruntur, quæ tamen passim cocta dicuntur & suo modo perfectissimè cocta, vt optima vrina, optima deiectio, sputum album, læue & æquabile, quæ omnia licet non nutriant, sed potiùs extra corpus veluti nutritioni inutilia reiiciantur

tur, cocta dicuntur, aut si hoc nomine illa non digneris, vocato semicocta: quemadmodum possunt appellari quęcunq; à natura domātur, tametsi non nutriant, respectu illius coctionis quæ nutritioni coniuncta est. Hoc enim nomine non dedignatus est Galenus causas morbificas semicoctas interim designare, ea parte qua non potuerunt corpori assimilari: primo Epidem. parte 2. comm. 44. Postremò, qui iussit purgare cocta, aut egit de vera coctione, qua corpora reficiuntur, aut aliam coctionem effinxit, quæ in extra corpus expellendis humoribus locum habet: si priori ratione coctionem vsurpauit, rem nobis indixit impossibilem, quæ illa quæ in substantiam nostram sunt translata, doceat dissipare, præcipuè quùm sola qualitate vitiosa expurganda sint. Si verò coctos appellauit humores, qui purgatione sunt dignissimi, eosquè suis signis coctionem figurantibus consignauit, nemo vitio nobis posthac merito vertet, si cum Hippocrate & Galeno, coctionem nuncupauerimus eam, quæ erga causas morbificas facta est, licet nihil alant. Aliôqui, omnis humor morbi autor & causa immutabilis esset prorsus, siue ad mortem finiendus sit, siue ad salutem, quando nutrire non valet. Quod per Castorem, vniuersam philosophiam de medio tollit, quæ suas actiones inter contraria comminiscitur quæcunquè, dum in mutuum congressum conuenerint. Quod si natura permutare potest humorem quodamtenus, hanc mutationem appellamus maturationem seu coctionem. Neq; aliter maturari voluit Galenus causas

3. de tēperamentis.

ſas præter naturam, qui primo Epidemiarum, parte 2. comment. 46. hæc decreuit, (Meminiſſe autẽ oportet, quòd vniuerſa morbi coctio, in humorum alteratione conſiſtit.) Sed arguit, cocta medicari, mouere non cruda, edixit Hipp. crudi autem ſolùm dicuntur humores pituitoſi & qui citra ſanguinem ſubſiſtunt, igitur in his duntaxat ſpectauit coctionem Hipp. Reſpondetur, cruda etiam appellari apud Hipp. vrinam, bilem, vt paulo ſu-
2. ſect. 44. periùs citauimus: præter id quod, qui excepit turgentes humores, ſub nomine (cruda) bilioſos cõpræhendiſſe iudicandus eſt, vt qui maxima ex parte turgere ſint nati. Galenus verò, libro quarto de ſanitate tuenda, quùm coctionem exegit in humoribus cognatis & naturæ familiariſsimis, de coctione naturali locutus eſt. Quæ vera eſt nutritio: nimirum, qui præficitur ſanitatis cuſtodiæ medicus, benignos humores coquet ad optimam perducens ſanitatem, reliquos educet foras, ſed non ſine præparatione medicinali, quæ purgationem preire debet ſemper. Deleteria etenim quæ toti naturæ aduerſantur, quanquam educi iubeantur libro de conſtitutione artis medicinalis ad finem, nõ tamen ſine præcedenti alteratione: ſic enim ſcriptum eſt, quę toto genere ſunt præter naturã, qualia ſunt deleteria, & venefica animalia, alteranda ſunt & euacuanda.) Haud ſecus interpretãdus eſt Auerous, qui coctionem negauit bilis & atrę bilis, non eam quidem, quæ eſt alteratio victrice natura peracta: ſed eam quæ eſt nutritio, quam cũ Ariſtotele negabunt omnes qui ſolum ſanguinem no

ſtri

stri corporis reparatorem tuẽtur. Quinimo, si satis perpetuò adhæsisset placitis Auerrous, animaduertisset vtiq; non sequi, morbos ex bile sola aut atrabile, proinde esse insanabiles, quòd nequeant corpus nostrũ alere. Satis porrò est, si à natura permutẽtur, & quantũ datur à putredine spoliẽtur, qua affectæ biles febrem incendebant. Quare falsum est dogma, quod ea de causa in humoribus biliosis & atrabiliosis coctionem non spectat ante purgationem, quòd eam recipere nati non sint: in reliquis verò crudis consentiunt Hippocrati, qui post coctionem, eorum imperauit expurgationem. Sed hos atq; alios qui vsquequaq; existimant spectandam esse coctionem antequam fiat purgatio excepta turgentia, indistinctè fuisse locutos sequẽtibus prodam testimonijs, probaboq; euidentissimè nõ solùm turgentes humores esse excipiendos ab illo canone generali Hippo. qui de coctione spectanda tractauit, sed cunctos eos qui quauis ratione vrgeant & periculum vitæ minitentur; potuisseq; commodius multò Hippo. adiecisse, (nisi quid vrgeat expectanda coctio est.) Primùm quidem nullum inuenio in re medicinali magis commendatũ præceptum, eo quod contrarijs sua contraria opponere iussit, adeo, vt nihil eo magis conueniens potuerit excogitari: sed quum istud non semper cogat, possitq; oblato alio, quo, ad id quod vehementiùs instat, attendimus, feriari, proq; aliquo tempore cedere, iure etiam optimo, præceptum de spectanda coctione, eadem instante necessitate, violandum erit. Esse autem magis necessarium

Refellũtur qui in coctiles esse bilẽ & atrã bilem censuerunt.

11. meth.

Probatur ea hæresis, quæ vrgenti malo fert suppetias, nō expectata coctione.

præceptum quod vrgenti malo succurrere exhortatur quocunquè alio 5. Aphoris. 29. docuerunt Hippo.& Galenus,& primo libro de fracturis,cōment.44.hæc in vniuersum protulit, (Nemo debet existimare præcepta artis medicinalis esse inuiolabilia, sed subinde instare debet medicus ad id quod magis vrget, pręsertim quùm non conueniēter euenerit. Hoc subindè septimo de morborum curatione iussum legimus, (Vbi à quoquam affectuum non leue periculum impendet, ad id quod magis vrget, primum curantis consilium dirigi debet: & affectus vnde primum maximeq; imminet homini periculum, hic primus curari debet, interim verò non primus modò sed solus.) Et si aliquando ordinem statuisse visus est vacuationum quemadmodum.4.acut.21.mox subiunxit purgādum esse corpus, si morbus est magnus, post sanguinis extractionem. Quare ex illo loco, falsò, plures collegerunt in illis affectionibus de quibus illic meminit, non conuenire purgationem, sed id solùm insinuatur, præferendam esse sanguinis missionem. Iam vero 2.acut.comme.11.dolore ascendente ad furculas sanguis mittendus est, descendente verò facienda purgatio est: vbi, quanquam tutius esse præsidium censuerit Galenus, in omnique euentu à sanguinis haustu inchoasse, haud qua quàm reluctatur, quin purgari valeat corpus, tametsi non turgeant humores, in ipso morbi principio, de quo euidenter ibidem agitur. Inter initia etenim fomenta iubentur, quæ si non profuerint, adiecta distinctione ascensus aut descensus, aut san

3. metho.

guinem

guinem dempsit, aut expurgauit: non profecerunt autem, ob id quòd plenum erat corpus, autore Galeno. Nequè video quæ sit causa ob quam necis instanti discrimine, si alia non pateat ad remedium ianua præter expurgationem, vt spe dempta certè perire laborantem permittamus, propterea quòd incocti sint humores: quùm id sit maximè receptum prouerbium, in præcipiti periculo rectè fieri quæ aliàs essent omittenda, & satius esse in ancipiti periculo, aliquid, nonnulla cum fiducia facere, quàm spe dempta, certè perire. Consultum est etiã ab Hippocrate libro de locis in homine, (vt quum periculosissimus est morbus, in eo periclitemur: si enim successerit, sanum faciet, sin minus, quod etiam aliàs futurum erat, id ipsum perpetitur.) Digna me hercule, tanto viro sententia. Si enim artes in id potissimùm inuentæ fuerunt, vt propriam materiam vnaquæquè poliat, seruet, & æternam, quantum in se est, faciat, & si id non datur assequi absquè iactura, illud etiam sinit sequi, vt præcipuã subiecti partem tueatur, hoc est, durationem. Res medicinalis quæ tot machinamentis, tanto studio rerum, tanta cura demum solicitè admodum incumbit indiuidui humani durationi & perpetuitati, quid non tentabit, vt scopum quem tàm auidè cupit, pertingat? Mauult profectò Galenus læsionem corporis quàm mortem, ac proinde quamuis suspicetur eam secuturam ex vsu stupefacientium, si ob doloris vehementiam mortis immineat discrimen, eligenda (inquit) est potiùs læsio licet immodica, quàm mors. Semper ergò, quòd

Celsus. cap. de phrenitide.

10. meth.

12. meth.

mortem fugandam ſuis auxilijs coniectauerit medicus, poſthabita læſione quantalibet, eam deuitauit. Hac de cauſa, membrum excidunt notabilis magnitudinis chyrurgi; arteriam iubet ſecare medicus, crus totum ſerpente malo in perniciem, nō dubitant reſecare, aſperam arteriam ad profundū vſq; diſcindere in deſperata angina, thoracem perfodiunt ad extractionem puris, atq; alia ſimilia mala, corpora mortalium perpetiuntur, vt vitam tandem cuſtodiant, & à præſenti necis periculo liberentur. Si igitur hominem ſtatueris biliosæ factionis, victu, exercitio, regione, tempore atq; alijs bilioſis rebus vſum diutius, opinionemq́; conceperis futuri alicuius magni morbi, niſi expurgetur humor in membrum aliquod princeps aut illi deſeruiens, delapſurus, quid nō eiuſmodi decurſum vitabis purgatione, quemadmodum Galenus ſexto meth. puncto neruo cacochymi corporis, ἀυτίκα ἐκκαθαίρειν, ideſt. expurgare ſtatim iuſsit? Nō

4.meth. ſolum ad purgationem redundantiam ſuccorum vſurpauit Galenus catharticum medicamentum, ſed & ad reuellendum ob ſolam morbi magnitudinē. Vbi igitur morbus ſit, aut timeatur magnus aut ob præſtantiam partis, aut eſſentię propriæ in-

2.aph. 29. tenſionem, aut actionis læſæ præſtantiam, (his enim tribus modis dicitur magnus) inchoantibus morbis purgatione vtendum eſt, ſi eam poſtulet morbus, vt factam minorem cauſam faciliùs ſuperare poſsit natura. In eo ſiquidem conſilio quod ab vrgenti initur, magnitudo morbi eſt expendenda.

7 meth. Scio pleroſq; vocaſſe turgentiam, eam nimirū hu-

mo-

morum dispositioñe, qua ipsi in aliquã partem cer tam decumbunt, vt quùm pleuritidem, freniti-dem, aut aliam quamuis tumorum speciem in cer ta aliqua sede incœperunt generare. Verùm hi, quùm legislatorum fungantur officio, re ipsa nobiscum consentire vidétur, verbis dissentire. Qui enim Galenum rectè euoluerit, neutiquam turgen tiam nũcupabit aliam, præter eam quæ humorum transitum incertum dicit ex hoc in illum locum, & irrequietum pandit laborantem nondum in aliqua parte firmata materia. Quocirca, qui latiùs turgentiam humorum capit, aut in nostram transfugere cupit sententiam, aut aliam sibi vendicat licentiam, qua inuertere nominum significationem, & in alium vsum trãsfundere fas illi sit. Alias adiecimus rationes, libello dudum publicato de ratione permiscendi vsitata medicamenta, quas poterit studiosus illinc petere. reliquum est, argumentationes refellamus, quæ nostræ opinioni repugnare videntur. Non habemus (inquiunt) ante perfectam coctionem adminiculantem naturã, nec cedit antea cruda passio. Respondetur, in mor bis sua truculentia infestantibus & magnitudine, nunquam retinentur humores plenè adeò, quin leuissima quaq; causa iuuante, facultas ad eorum insurgeret expulsionem, iuuat autem pharmacũ satis irritatione, quam infert naturæ. Quòd autem non retinetur plenè, ostendit euidenter, pulsus illa inæqualitas quæ in omnibus morbis totum corpus permutantibus, & causæ multitudine vires opprimentibus, ceu consequens necessario signũ

copulatur: quæ si præmuntur atq; grauantur, prò-ptissimè se ab illo onere expedirent, præsertim adiutæ. Neq; perpetuò naturæ adminiculationem expectare debet medicus, sed tunc solū quùm perfectè operatur ex Aphor. 20. primæ Aph. indebitè verò operantem, in contrarium reuellere docemur, quod multò est humoribus aliò latis violentius, quàm quiescentes dimouere. Meminisse etiā oportet contrariarum indicationum, quarum ea vis est & conditio, vt omnes aliæ cedant ac sileant, vbi earum vna ad se curationis intentionem conuerterit, & nisi prouideatur, necis interminetur periculum. Quod quùm faciat morbi magnitudo, & propulsari possit timor expurgatione, stultissimū foret, si scopo de spectanda coctione intenti, mortem ingruere sineremus. Non igitur quòd detineat natura humores, sunt purgationes abdicandæ, quùm pari opera sanguis familiarior naturæ, nunquam esset minuendus, neq; quòd non cedat cruda passio, idcirco accusan da est solicitante malo per catharticum facta vacuatio, nimirum illud tunc maximè locum haberet, cum systrophas constituunt humores, & eas passiones, quæ in vno sinu conculcatis humoribus pariter ac collectis constant. Secus habet, vbi humores per ipsas venas diffluunt, & minimè firmati quiescunt. Subindè nobis obijciunt, purgatione ante coctionem præmissa, præpediri crisim & morborum maturationem. Respondetur, id esse verissimum, quùm propè est iudicatio, iuxta illud, (Quùm verò consistunt melius est quietem habere,) inchoantibus vero mor-

bis,

bis, si quid vrgeat, aut sanguinem demere aut expurgare conuenit, libello de totius morbi tempo ribus: quod doctissimè libello de humoribus expli cuit Hippocrates his verbis. (Cæterum quæ infra prodeunt, multa agere oportet, non propè iudicationem, sed longiùs ab ea. Aliôqui perperàm decretum esset (inchoantibus morbis si quid videtur mouendum, moue:) si quidem nulla ratione liceret minuere causas morbificas in principio ægritudinis, si vacuatio etiam longissimè à iudicatione facta, eius aduentum arceret, & morbi coctionem. Ecquid absurdius (inquit Fuchsius) quàm velle in quouis morbo inter initia expurgatione vti, cum natura crisim rarenter per aluum faciat? Respondetur, abolendam esse prorsus eorum consuetudinem qui sine vllo morborum discrimine, principio cuiusuis morbi expurgatione vtuntur; nec nos vnquam tam prauæ disciplinæ fauebimus sed vbi vrgeat morbus, minariq; videatur periculũ, tunc differre remedium non permittimus, propter humorum cruditatem. In Apoplexia porrò omniũ morborum crudelissimo, haud quaquam distinerem vacuationem catharticam, ob id quod crudi essent succi: quod tandem deuorauit Fuchsius primo Crisi. cap. nono, licet præfactis argumentis cõtrarium enixè defenderit in Aphorismorum expositione. Atq; hanc præcautionem cathartico medicamine factam per aluum amplecti debemus potiùs quàm vllam aliam, quemadmodum turgentiam cuncti per aluum vitare conantur si tollenda est purgatione, neutiquàm per alium canalem:

nam exiſtente multitudine (quam morbi magnî principio ſupponimus) nequaquam facienda eſt vacuatio per vrinam ſeptimo libro de morborum curatione,nec per ſudorem aut nares,quòd anguſtiores ſint tramites,quàm vt tantam copiam ſecurè recipiant,quod religioſiſsimè ſeruãt omnes medici, qui iſta non priùs permouent,quàm copiam depoſuerint. Sola igitur manet per aluum facienda euacuatio, quoniam ad vomitum non eſt fas concitare quenquam,niſi aliundè propenſiſsimam ad illum ſenſerimus naturam vndecimo metho. Verùm quam hucuſq; fulciuerimus ſectam,ita fore interpretandam volumus. Incipiente morbo, ſi periculi ſuſpicio medicum præhenderit, debet aut ſanguinem mittendo, aut expurgando prout redũdarint humores, illud deuitare, non quidem ſolũ caſsia, aut manna, aut ſimilibus, ſed & efficacioribus catharticis : quoniam principium cruditatis morbi, eſt tempus auxilij, in cæteris temporibus non ita commodè illud præſtabis, quòd in horas vires collabantur vehementia morbi profligatæ. Quo ſenſu dictum eſt. (Medicari in valdè acutis eadem die, tardare enim in talibus malum eſt.) Pro quibus omnibus cõfirmandis ſufficeret Tralliani doctiſsimi pariter ac expertiſsimi medici autoritas,ſequenti oratione promulgata,(febres cõtinuas curare oportet multa cum diligentia citoq; facere quod ipſa docet indicatio,ſiue sãguinis miſsione ſiue expurgatione ſit opus : maximũ etenim malum in omnibus morbis eſt dilatio : febres etenim vehementiores fiunt adaucta putredine, & virtus

Lib. de tẽporibus totius morbi principium latè patet, vt ĩ eo ſi qd vrget aut ſanguinem demamus aut expurgemus.

virtus redditur imbecillior non item ferre potens febrium vehementiam, neq; adhuc valet aliquod ex fortibus auxilijs in curationem suscipere,) Quę concors est impendiò sententia, his quæ de tẽpore auxilij, quod ipsum est morbi principiũ, de mente Galeni superiùs diximus: quanquam enim morbus in vigore sit, quàm vnquam vehementior, ac perinde maximas tunc poscat suppetias, quia tamen vires non consentiunt perinde ac in principio inchoantibus morbis, si quid videtur mouendum, moue. Eadem methodo profligandi sunt, quotquot occasionem principij negligenter prætereuntes, in augmento morbi, quùm manifesta lucet coctio, purgant humores: quippe, si hi, quòd retineantur humores à natura non audent inter initia vacuare, multo minus id idem eos facere oporteret in augmento, in quo euidenter constat retineri humores, siquidem coquuntur iam, quod antea constare cuiquam haud poterat. Vires etiam minùs aptæ sunt tunc ad tollerandum violentiam purgantis medieamenti, & aggressæ semel coctionẽ, certiùs impedientur à coctione & iuditio quod post eam sequi consueuit. in reliquis morbis, qui lento gradiuntur motu, quiq; citra vitæ discrimen ad declinationem peruenient, si non sequatur crisis, aut ea fuerit incompleta, oportet cocta medicari per aluum, nisi natura alium commodiorem ostenderit locum: qua etenim natura vergere incœpit, eo ducere medicum humores expedit. Et quoniam è vestigio rogauit aliquis, quæ sit causa huius expectationis, post quam coctio à natura 1. apho. 21.

facta

Coctio semper incrassat.

facta semper fit in crassatione: subiungere mox oportet responsionem, siquidem incrassatio humorum præpediet magis ad futuram expurgationem. Non dubium esse debet apud eos qui verè philosophantur, quin coctio omnis & à natura facta permutatio incrassatione fiat: hoc etenim Aristoteles sensit quarto metheororum dum hæc scripsit cap. 3. (ex tenuibus crasiora fiunt cuncta quæ coquũtur,) ob id quòd id exiguat mutationis ipsius natura, vt per calorem calfacientem subiectam substantiam, partes tenuiores in vaporem & halitum conuertantur & abeant, rursum terrenæ magis dénsescant, & ad firmiorem similiter & duriorem stabilitatem transeant. Ideo (inquit) Auerrous eodem loco, decoquuntur res, quòd calidum agens & cõsumens, admisceat terrenas partes cum aqueis, aut aëreas cum aqueis, donec spissitudinem & stabilitatem excipiant conuenientem:) cæteras partes resolui autumauit, quæ non sunt aptæ coqui, aut vt reiecta fæx, ab vtili materia sequestrantur aliæ considentes subtus. Medici etiam in eandem sententiam cospirarunt, quorum dissertissimus Gal. in vniuersum elocutus, hanc duobus in locis scripsit orationem. (Coctio omnia incrassat & cogit.) & Coctio crasiorem reddit substantiam quùm benè coquitur, siue in ventriculo, siue in pulmone, siue in vrina, siue in egestione:) quem si quandò contrarium asserentem offenderimus, quemadmodum. 3. lib. de articulis, comm. 5. asseruit (suppurationes crassos humores attenuare:) id equidem de suppuratione quam coctionem nominamus non

4 acut. 4. & 2. progn. 33.

exau-

exaudias, ſed de ea quæ vincenti morbo efficitur, cuiuſmodi eſt corruptio tumorum in malum morem, & prauos ichores. Liber etiam de conſtitutione artis medicinalis cap. de præſeruatione id quod in priſtinam naturam regredi valet, docuit per cõtraria alterando corrigere, quod craſsum eſt attenuando, quod tenue incraſſando, communi autẽ ratione vtrunquè coquendo: ergo non perpetuò incraſſantur quæ coquuntur, ſed nonnunquam attenuantur. Reſpondetur, in his quæ debent ad naturalem moderationem redire, conuenienſq; fieri materia pro conſeruando corpore, mediocritatem humorum oportet procurare, ita vt neq; tenuiores ſint iuſto, neq; craſſiores: qui, ſi ab hac mediocritate diſceſſerint, alteratione ab arte facta ſunt emendandi, iuuandaq́, eſt virtus, vt vtroſq; coquendo in debitam ſymmetriam reducat. In hac reſtitutione, facultas alteratoria ſemper incraſſat, tametſi ope medica modo attenuentur humores, modo incraſſentur: qua quidem in re, licet videatur ars opificio naturæ reluctari, ireq; obuiam, re vera magis auxiliatur & fauet. Comminuens etenim humores eoſq; in minutiſsimas partes redigens ſuis medicamentis ſcindentibus, debitam miſtioni materiam parat, quæ coctioni prærequiritur. Eſt autem debita miſtionis materia, plurimorum minimorũ cum plurimis alterius rei minimis commiſtio, ad quam, alteratio adueniens, ſubtiles partes abſumit, & reſiduas euaporando denſiores reddit. Spirituum generatio plurimis incuſsit ſcrupulũ, quia videntur attenuato magis ac magis ſanguine, ſuã

in-

indipisci generationem. Respondetur, hanc esse cunctis recipiendam philosophis dignitatem, vt non erga omnem propositam materiam progressum vnum faciat natura, neq; promiscuè toti vnicam mistionis tribuat formam: quùm enim omnium consensu nulla sit à natura confecta coctio, ex qua fermè tria genera excrementorum non pullulent, fæcis vnum, alterum spumæ, tertium quod cum ipsa re per aliquod tempus mistum duret, donec maturatione in integra accedēti dissoluatur, fit meritò, vt non iuria dicamus, quandam fieri prius à natura sequestrationem inter partes alterandæ materiæ, & quasdam ceu recrementum respuere quasdam verò deligere ceu cognatas & familiares, circa quas coquendo versetur. Ac vt exemplo familiarissimo res ipsa fiat illustrior quæ sequuntur, attendas. Vinum feruescens, non secundum omnes suas partes coquitur, & ad vini puritatem destinatur: sed aliquo partes ad superficiem abeunt spumificantes, aliquot verò in fundo resident, terrestriores fæces dictæ, aliquot cum ipso vino manent commistæ aquæ naturam retinentes, quæ tēporis successu consumūtur, & vinum purissimum euadit. Oleum, fæcem, & innatantem aliam sordē quùm coquitur, creat, ac tertiam aliam, quæ paucis diebus postea dissoluitur, & oleum syncerum manet. Itidem in coctione quæ fit in iecore, spuma separatur, bilis dicta, melanchimia, fæcis instar, & serosa seu aquosa quædam substantia quæ cum sanguine per vasa fertur donec à calore excocta sit & in sanguinem conuertatur aut euanescat. Coctio igi-

2. colle. 1. 3. simpl. c. 25.

Flos, amurca, & fex.

igitur quæ in humano corpore à natura cõficitur, quasdam succorum sibi obiectorum partes reijcit veluti recrementicias, quasdam vt cognatas mutã te membro delegit atq; adaptat. Quare, non est facienda comparatio, inter rem quæ sumitur in cibũ & sanguinem ex eo genitum, neque inter spiritum & sanguinem ex quo nascitur, sed inter portioné selectam coctioni, & terminum illius coctionis. Quem quùm semper incrassando consequatur, iure optimo coctionem à natura perpetuò fieri incrassando, asseuerauimus. Quòd maiorem ingerit difficultatem & nunquam prorsus expeditur, est illud de fructuum maturatione: quorum quidã maturatione fiunt duriores vt glandes & castaneæ, amygdala: quidam teneriores multò, vt vua, oliuæ, pyra: & mala citonia, quare in his posterioribus attenuatione videtur facta fuisse coctio. Respódetur, ineptissimam esse quorundam barbarorum responsionem, qui respectu humidi omnem coctionem incrassare, respectu sicci attenuare temerè sunt opinati: non enim solùm natura coquit aut humidum aut siccum, sed vtrunquè miscet, & sequestrata fęce, reliquum coquit & perfectione cõcupita dotat. Dicendum est itaque, aliud esse tenuiorem esse fructum, aliud compactiorem nancisci substantiam: prius enim substantiæ copia citra modi substantiæ & formæ permutationem contingit, secundum verò, non nisi permutata rei forma: vnde, pyra immatura multo succo, eoq; impmisto sunt referta, matura verò pauciori, sed magis permisto & compactioris substantiæ. Quamobrem si

Th. in summa philosophia.

mala

mala citonia teneriora fiunt coctura, nō protinus attenuātur, sed supfluo succo exinanita qui tendebat, laxiora reddūtur sed multò compactioris substantiæ effecta. Si igitur coctiones humorum à natura conficiuntur incrassatione, quibus auxilijs est directè iuuanda: quandoquidem potiones quibus medici apparant corpus ad expurgationem, succos attenuant semper, vias aperiunt, & obstructiones delere sunt habiles nequaquam succos compingere. Non impedit medicus coctionis opus suis aperientibus sorbitionibus, sed prærequisitam mistionem ad cocturam comminiscitur; deinde tamen si velit directissimè operā alteratricis facultatis corroborare, calidis & humidis moderatè id prestabit. Quæ dicimus Galenus, 4. de sanitate tuenda docuit egregiè, quùm ait. (quòd si crudos succos attenuatos satis speras, vinum album fuluūuè quod & substantia sit tenue dabis: hoc enim & ad succi bonitatem & coctionem facit & vrinam mouet:) quibus & alijs pluribus orationibus inibi superiùs scriptis, tradenda priùs medicamenta quæ scindāt crassitudinem succorū insinuauit, cuiusmodi sunt oxymeli, diatrion pipereon, apomeli: post ablatum vero vitium quod debitam mistionem & coctionem remorabatur, ad perficiendam coctionem vino festinare visus est. Quarè quùm valenter dat operam coctioni natura, istæ medicamentariæ potiones ceu eidem inimice sunt vitandæ, cuius contrarium seruari vulgo videmus apud imperitos, qui in statu morbi aut prope statum vires medicamentorum exaugent: quù m apertissimè Galenus con-

Quibus remedijs opitulari debeat medicus coctioni à natura faciēda.

4. de sanitate tuenda.

consuluerit eodem libro quæ sequuntur, (Quæ verò vrinam cient, hoc casu non probo, maximè quæ prævalentia sunt, & sanguinem calfaciunt & liquant quippè quòd coquendum est, huic tanta vexatio non conuenit, (sed quiete opus habet.) Addit postea. Sed quod calidis & humidis moderatè patrocinari debeamus coquenti naturæ, præsertim quùm vitiosas qualitates humorum abstulerimus magna ex parte, iam ostẽdam, quippè primo Epide. secunda sect. comment. 44. coctiones excrementorum sunt faciendæ (nam sic quoq; legendum esse censet Galenus in expositione) calidis & humidis modicè, vt balneis, vino, frictionibus, & vnguentis, tegumentis, esse coadiuuandas maturationes morborum interpretatur. Quod ex professo tertio technes, cap. de præseruatione iniunxit esse obseruandum, quùm ita scribit, (intentio vero & horum sanationis duplex exiſtit, alteratio & euacuatio: alterantur igitur vel ab ipso corpore concocti, aut ab aliquibus alijs facultatibus quæ vim medicamentariam habent:) quò cõstat externis auxiliis exteriusq; positis medicaminibus caloris interni corroborari operam, ita vt. 5. de simplicibus medicamentis, c. 6. & calida & humida esse dixerit, quæq; augent natiui caloris substantiam & minime disperdant, quæcunq; suffragantur coctioni humorum extra posita. Hinc cacellos, manus appositionem, summoperè prodesse huic intentioni subintulit, quòd moderato calore, ventriculi operationem alteratricem reddant robustiorem: quod quùm ita habeat, & similis sit pu- *1. de differentiis feb. cap. 5.*

Laudantur animalium pelles, ad corroborationem ventriculi.

putredo quæ intra vasa contingit, ei quæ in inflãmata particula, interiores quoq; coctiones calidis & humidis non dissoluentibus sunt fouendę. Quibus, ne hic quoq; Philosophorum desit autoritas, adstipulatur Arist. qui quarto meth. cap. 2. de coctione loquens hæc ait. (καὶ διά τινος ἐκτὸς βοηθείας συντελεσθῇ, οἷον ἡ τροφὴ διὰ λουτρῶν καὶ ἀλλοιοῦντων. id est coctio item per externa perficitur auxilia, sicut nutrimentum per balneas, & alterantia.) Non igitur præter probatissimorum virorum opinionem efficiunt, qui vulturis, vulpis, lupi, agni pellibus vtuntur ad roborationem caloris innati: nec cum ratione loquuntur, qui negant à calore externo seu præter naturam simul, & ingenito generari pus: quùm illud apertè fateatur Galenus loco dudum citato, & id euidenter demonstretur, propterea quòd sicut id quod generatur pus putredinis est particeps, ita quoq; causæ à præternaturalibus nō absoluuntur quæ ipsum aggenerant. Demum effectus non est omnino secundum naturam, igitur causa similiter non est vniuersim naturalis: quippe si solus secundum naturam ageret calor, forma genita illi soli esset referenda, quæ etsi in materia prauis dispositionibus ornata recipiatur principiò, postea tamen suas tantùm sinet permanere. Quémadmodum enim ignis in materiam aquæ ingreditur retinentem adhuc aquæ qualitates aliquot, postea tamen illas pellit, & in maximè naturalem statum transit: ita quoquè forma puris, licet inter initia subiectum preternaturali calore reperiat permutatum, illum in progressu repellet, vtpote cum

Pus ab vtroquè calore perficitur.

for-

forma à solo calore natiuo profecta discordem. Quod si perseuerant simul, & naturales inductę à calore innato qualitates, & quæ à præter naturali dantur subiecto puris, forma genita vtrasq; qualitates amplectitur ceu sibi socias; quare forma ipsa puris, neque omnino est naturali, neque præternaturali calori refferenda, sed vtriq;, siquidem cum vtriusque dispositionibus commoratur. Sed reuersi ad primam controuersiam, quæ causam expectationis coctionis expostulabat quùm ea maximè purgationem præpedire videatur, vt quæ incrassatione comparetur. Respondetur ob eā causam opperiri nos coctionē tametsi incrassatione, fiat, qꝫ coquēdo discernat vtiles humores ab inutilibus, & reiectaneis natura: quos quū discreuerit atq; separauerit ab inuicē, tēpestiuè illico eos poterit expurgare medicinalis artifex. Hæc sanè pmistio naturaliū cū morbificis causis retrahebat Gal. si qđpiā aliud, ab vsu remediorū, q̄ ea de cā principio morbi tādē collegit esse admittēda, qꝫ tūc vires validæ remediorū violētiā perferunt, & detractionē substantiæ ingenitæ substinent, atque ipsas diuexantia mala excutere possunt melius. Perstringendus itaq; est obiter Ambianus, qui cū alijs quos superius refutauimus, consensit expurgandam esse materiā quoquo modo coctā, vtiliter (inquit) parū coctā, mediocriter coctā medio modo, perfectè verò coctam fœlicissimè: quoniam (vt ait) sicut ex inflammata particula quotidie portio quædam elicitur non expectata integra coctione, ita in his quæ per corpus sunt dispersa fieri debere censuit,

Cur coctio spectetur ad purgationē quū crassities humorum vacuationi repugnet.

Lib. de sectis ad thursibulum.

Lib. 3. pathologiæ, cap. 12.

Refutatur qui purgatiouem in principio morbi vitãtes eam in augmẽto faciunt.

1. Apho. 20.

vt nullo non tempore morbi, cũ visitur coctio præsertim, humor expurgetur. Quam hæresim promiscuè vitũperauimus, cum eos taxauimus qui nolentes inter initia, (quod tempus est auxilij) morbi sua magnitudine vrgentis, expurgatione vti, eã in augmento vsurpabant: nec inchoantibus morbis succurrentes, vt iussit Hippocrates, neque coctionem expectantes integram, quæ separationẽ fecerit, & ad expulsionẽ accingatur; nõ.n. antea admini culãtẽ habebimus expultricẽ, quàm alteratrix excoxerit. Quòd si vt cunq; cocta materia ab alteratrice destituitur, & officio expultricis remittitur, incepta in ventriculo coctione & non absoluta, descẽderet ad intestina chylus. Et in augmento crises faceret natura non minus crebro neq; minus vtiliter, quàm post ipsum statum celebrantur. Et quo argumento Ambianus in augmento suasit esse patrandam vacuationem per catharticum, eodem, in ipso principio conuincet esse faciendam: quippè, in morbis humidis in quibus extẽplo natura quidquam expellit, non opus esset præstolari augmentum. Ac vt tandem ad colophonem seu vmbilicũ perueniamus huius sermonis, illud superaddamus necesse est: humores serosos qui recrementa sunt coctioni prorsus reclamantia, de numero esse eorũ humorum qui principio possunt euacuari morbi, quod hic docuit Galenus, & Aetius confirmat primæ quaternionis sermone 3. c. 23. Hydropa præterea affectio ineluctabiliter demonstrat, quàm sit necessaria aquosorum humorum expurgatio in ipso morbi principio: tùm quia morbus vrget sua magni-

magnitudine, tùm etiam quia humores hi nō sustinent vllam in corpore coctionem, sed solam vacuationem. Sic enim Galenus, (verum seri genera quæ in succis habentur, omnia sunt excrementa, purumq; ab iis esse postulat animalis corpus: reliqua verò quæ prædicta sunt vsum aliquem naturę conferunt, & quod crassum est & quod tenue, purgaturq; ab his sanguis, tùm per lienem, tùm per eam quæ iecinori subest, vesicam.) Hos ergo inter initia morborum, & semper in aliis cum timemus periculum mortis, expurgabimus cum opus fuerit: in reliquis coctionem expectabimus, iuxta illud (coctari medicari oportet,) atq; tunc maximè quū crassi sunt, & tenaces humores, qui præ aliis, purgantibus medicamentis solent pertinaciter oppedere.

Lib. 2. de facultatibus ad finē.

Caput octauum.



X paroxismis ipsis indicationem sumes de modo euacuationis, per superiora euacuans in accessionis tempore, per inferiora in remissionibus: etenim spontaneæ vacuationes sic iuuare videntur factæ, in accessionibus multis vomentibus & per nares reiicientibus sanguinem, in declinationibus autem per vrinas & alui excretiones. Cauere autem oportet maximè tempus exacerban-

tium & iudicantium dierum, quandò expurgare studes multa per inferiora: humoribus quippè sursum vergentibus expurgantis medicamenti facultas impedietur.

Commentarius.



QVID vocemus accessionē, Græc. paroxysmum, habes. 1. Apho. 12. Per accessionē autem te oportet intelligere, deterius tēpus totius circuitus, quòd à primo insultu ad tempus vsq; consistentiæ & vigoris illius peculiaris accessionis extenditur, sicut reliquum tempus declinationis dictum, est melius. Lib. de temporibus morborum, periodum in duas partes secuit Gal. in paroxysmum quæ pars est accessionis vsq; ad statum ipsius extenta, iuxta illud. 1. Apho. (in accessionibus abstinere oportet,) & in anesim, quæ interdum ex sola declinatione constituitur quarto, & vltimo paroxysmi totius tempore, interdum verò ex eadem declinatione, & intermissione, quam, ἀπυρεξὶ ἀνκαδίαλειμμα Græci vocant. Quin & fuerunt aliqui, qui totum tempus reliquum post statum, intermissionem esse voluerunt, siue ad infebricitationem perueniatur siue non: sed vsus prior Gal. magis placet, ac proindè

Apho. 11.

verti-

vertimus nos hoc loci, (in remiſsionibus,) quòd etiam autore, illo, lib. de optima ſecta, præſidia in remiſsionibus debeant aſſumi. Eritq; commune præceptum tàm febribùs intercollatis, in quarum interuallo & quiete adhibenda ſunt auxilia, ſi nihil aliud obſtet, quàm in febribus continuis: quarum exacerbationum remiſsiones obſeruantur. ad remediorum executionem: in ſynochis verò, matutinum tempus eligimus ad id faciendum, quòd eo tempore tepeſcere febris aliquantulum appareat. Ex induſtria additum eſt ſi nihil aliud obſtet, nimirum ſi principium ſequentis acceſsionis proximè ſequatur, in ipſa declinatione præcedentis commodius has ſuppetias afferemus de quibus agimus: hocque faciiè fiet, ſi ſatis amplum ſpacium ſit inter ſummum prioris acceſsionis vigorem, & ſequentis principium. At ſi ſit exiguum admodũ, fueritquè neceſſe, aut ad vigorem præcedentis, aut ad principium ſequentis acceſsionis declinare, diligentiori opus eſt ſcrutinio, quo ſciamus perpendere, tutiusquè tempus ſeligere ad remediorum vſum. Prout enim grauiora ſymptomata ſæuerioraquè attulerit alterum, ad alterum magis inclinantibus, in quo minus infeſtari videatur laborans: ſi enim magnam reuocationem caloris ad interiora faciat acceſsionis inſultus, impéſeq; frigeſcere extrema corporis videantur, in ſtatu præſtaret pharmacum exhibere: rurſum ſi ſtatus ſuo vehementiſſimo incendio & ſquallore, torqueat laborantem, pertimeſcentes quem aliàs medicamentum accerſit feruorem, tempore principij commodior fiet

Non intermiſsiones vt martianus.

Qua parte periodi morbi, ſit exhibendũ pharmacum.

163. d.ffe- expurgatio:quòd si pensato vtriusq; temporis præ-
rentia. iudicio, ex vtrolibet magnam sequi noxam verisimile appareat, arbitrio medici forsan ad augmentum morbidæ accessionis esset transeundum. Sed objiciet quispiam cum Apponensi tempus accessionis fore opportunissimum ad purgationem crassissimorum succorum, cuiusmodi sunt ex quibus pendet quartana, si quidem eo tempore commouentur atq; agitantur humores suapte ratione aut naturæ impulsu, alio verò difficillimè. Aetium adducunt, sermone tertio quaternionis primæ cap. 125. qui quum de veratri exhibitione loqueretur hæc scripta reliquit (at in morbis in quibus interualla sunt, dandum est in interuallis, in alijs quandocunq; contigerit: in quartanis verò & fluxionibus intestinorum in ipsis accessionibus:) quam ob rem per vomitum & alui subductionem, poterit vtiliter vacuari corpus in ipsa accessione morbi ex difficilè mobili materia pendentis: non solùm in quartana, sed & in alio quouis morbo eiusdem cēsus & ordinis. Galenus tamen in præsente vomitus in ipsis accessionibus ciet, aluum verò mouet post accessionem: quoniam ita comparatum esse natura vidit. vt quùm sponte ipsa mouetur, vomitus in accessione commoueat, alui verò deiectionem, in ipsa declinatione. Atq; hoc pacto interpretandus est Auicenna, qui dixit, in die paroxysmi non moueas (inquam) per aluum: nam per vomitum, neq; Aetius loco nobis dudum obiecto, recusauit, ad quem ciēdum veratrum potissimùm vsurpabat, neq; Galenus denegaret, qui hoc loco

illud

illud in vniuersum præcepit,& in curatione tertianarum & aliarum febrium, præsertim si pronã sentiebat naturam ad eum, crebram eius fecit mentionem. Sed argumentabitur quispiam, qua causa prohibetur per aluum subductio tempore paraxysmi eadem arcendus videtur vomitus: sed prohibetur alui deiectio, ne aliorsum atq; natura mandat humores, ab arte reuocentur, igitur pari opera nõ admittetur vomitus, qui alio potest concitare illos, atquè ipsa natura. Secundò, potest contingere alui deiectio in ipso paroxysmo, spontanea quidem, verùm diminuta, ars igitur non inutiliter eam emendabit adaugebitq; copiosiùs. Respondetur, seruandum esse quòd magna ex parte cuncti ex antiquissimis experimento assiduo obseruarũt, quodq; hactenus de tempore sumus tutati: scilicet vt vomitùs iuuemus & irritemus in ipsa accessione, aluum moueamus post ipsam. Et quanquàm contingat in ipsa accessione alui perturbatio & fluxus, non debet medicus illi opitulari: ob id quòd, si symptomatica est vacuatio, & ante coctionis tempus eueniens licet permittenda sit interim quòd eam bene fert virtus, non est tamen iuuanda quòd intempestiuè fiat: si verò tempestiuè fiat & post coctionem perfectam, non debet suppleri defectus quousquè cessauerit aut saltem deferbuerit paroxysmus. Illud equidem imperauit Hippocrates qùm edixit, (quæ iudicantur ac iudicata sunt integrè, neq; mouere, neq; nouare &c. Nam illa Auicennæ nimis recepta sententia, quæ scribitur prima quarti de curatione febrium ex

11. meth et 1. ad glau.

1. aph. 20.

putredine, (quum natura non mouet, moue tu hora motus eius) hoc pacto explicatur mihi. (Si natura non mouet hora motus eius, moue tu) transacto videlicet eo tempore, & quid per se faciat natura, animaduerso, neque æqua ratione vetari habet vomitus, per tempus accessionis, & alui fluxio, nam in illum passim vltroneam naturam concitari videmus, in hanc rarò admodum: quòd si tentato leui vomitorio, ventriculus reluctari videatur, neque vomitus neque alia fortis euacuatio tentanda est, donec absoluta coctione, suo tempore procuranda sit euacuatio, indeq; factum est, vt 11. Method. non nisi pronos ad vomitum, hoc genere remediorum euacuet: quòd si facienda est per vomitũ solennis expurgatio, qualis solet confecta coctione celebrari, in non pronis, potius expectarem vt in alijs, remissionis tempus. Hoc loco Galenus, de particularibus vomitibus, & de idoneis ad vomitum egit. (Cauere autem maximè oportet) diem exacerbationis simul & iudicationis cauere debet medicus, non tantum paroxysmi tempus peculiaris de quo hactenus mentionem fecimus: quoniam illo solet fieri crisis, aut vt melius dixero, in illo expectatur iudicium. Non enim hic iterum cauendum esse paroxysmum insinuat, esset enim tautologiæ incusandus vitij, sed diem iudicatorium qui simul est exacerbationis: nam in hora vehementis accessionis fit iudicium, & Græ. habetur, παροξυντικῶν καὶ κριτικῶν ἡμερῶν, φυλάττεσθαι χρὴ μάλιστα χρόνον, idest, diem iudicialẽ simul & acerbatorium maximè præcauere oportet.

Nõ vacuabit ars ea die, qua sperat futurũ iudicium.

3. crif. vltimo.

tet. Quare perperam Martianus vertit, (maxime oportet cauere, accessiones, & diem iudicij) ob causas nunc adductas. Cæterum quanquam ita habeat, vt diem iudicationis oporteat deuitare ad faciendam vacuationem, quoniam per aliam viam humores trudens natura, pharmaci opera & vi impedirentur aliò vocantis: non tamen ex hoc accipiat quis occasionem, vt nunquam in die decretorio purget quenquam si vrgeat necessitas. Nam præterquam quòd Galeno aduersatur è regione huiusmodi abusus; demonstratione haud quaquã vulgari similiter refelletur: 4. etenim acutorum commen. 76. quum autor ille, medicamentũ expurgans quarto die porrigeret, id notans Galenus hæc addit, (Quarto die medicandum indistinctè pronũciauit: neq; enim inter initia morbi aliquod remediorum huiusmodi ægro iniungere oportet, desumpto à numero dierum scopo, sed quod Hippo. recensuit, est exequendum. Nam vel statim ab initio priusquam in aliquam partem firmentur humores, medicandum, vel postea cùm ad maturitatem perducti fuerint: quàm ob causam, & prima interdum die, & secunda, & quarta, & interdum quinta, medicamenta dedimus, & non in quarta solùm (quomodo is dixit.) Quibus euidenter reprobatur vulgarium abusus, qui, si purgare quenquam decreuerint, in 6. ceu lege quadam ad purgationem exercendam destinato, non in alio illud efficiunt: cum hîc Galenus doceat, nullam esse curam habendam priuatæ alicuius diei, nisi alijs de causis accedentibus, illam cogamur cauere. Nẽpè

Damnãtur qui in diebus iudicatoriis non audent medicamentã porrigere.

aut

aut quia in ea die vehementiùs mouetur morbus, aut in ea iudicandus est: quòd si non tàm citam speras crisim, non est quòd quartum diem criticum, aut septimum, aut alium quenlibet diem reuerearis, qui à sua natura criticus sit. Hoc monstratur, nam qui morbi per pares dies mouẽtur, per pares iudicãtur: & qui per impares in imparibus suas patiuntur iudicationes: in cuius loci expositione Galenus. ob id in accessionibus & diebus motionis fieri crises arbitratur, quòd in his humores vehementer mouentur, & veluti ebullientes erumpant aut sanguinis profluuio, sudoribus, vomitu, deiectionibus, hæmorrhoidibus, menstruis tùm quòd eo tempore impellatur natura, tum quod eo tempore grauatur, tùm quòd funduntur magis humores: eo igitur tempore, quo nihil istiusmodi perpetiuntur humores, nulla causa debet vetari purgationis executio, si sola criticorum dierum ratio, nos interturbet & nihil aliud, Cum itaq; speramus crisim in aliquo die, neq; in eo, neq; paucis horis ante illum, audebit circumspectus medicus porrigere pharmacum, neq; id solùm, imò vero nequè sanguinis missionem, neq; cibum: in alijs verò longè positis à iudicatione, nihil est, quod hæc inhibeat, si sola criticorum dierum notio obstare videatur, & aut ab initio medicãdum est ante quàm in aliquam partem firmentur humores, aut vbi ad maturitatem perducti sint. Subinde post coctionem, nisi natura ipsa vltrò noxios humores expulerit, aut minus sufficienter: arte supplere oportet ipsius defectum, per conuenientem regionem:

[illegible] parte [illegible] com. 13.

per


per disconuenientem vero locum aggressam expulsionem, retardare est operæ pretium, & ad contraria reuellere. Quòd si, primo ad Glauconem de cura febrium cùm fluxu ventris, ab euacuatione desistere præcepit etiam si non sit pro multitudinis ratione: id ea causa fecisse eum dixeris, quod de symptomatica illic texatur sermo vacuatione, & virium imbecillitate pertimescens, id præcauit. 6 epi. parte 2. co. 32

Caput nonum.

IN iam ægrotantibus, si chronicus morbus existit, semper expectare oportet maturationē, in acutis vero quādo turgēt, ab initio expurgare licet: eò quòd quęcunq; purgant medicamenta, facultate calida sunt, febris autem quatenus febris est, & secundum hanc rationem non siccantibus & calfacientibus, verùm maximè contrarijs frigidis humidisquè eget. Non igitur febris causa medicamentum catharticū porrigimus: (hanc quippè scimus quantum est ex parte sua, lædendam,) sed facientium humorum gratia. Quare sperare oportet maiorem vtilitatem vacuatis humoribus molestantibus, quam sit noxa, quæ à purgantibus medicamentis necessariò corpori infertur, quæ tunc erit maior, quando sine molestia omnis noxius humor euacuatus est. Vt autem hoc eueniat, primum considerare oportet, idoneusne sit laborans ad tales purgationes: qui enim infirmantur ex crudis cibarijs

barijs multis, aut viscidis, aut crassis, similiter quibus hypochondria distenduntur & inflantur, aut immoderatè sunt calida & feruida, aut aliqua est in ipsis visceribus inflammatio, cuncti tales ad expurgationem sunt inepti. Hæc itaq; abesse oportet, & succos laborantis quàm maximè fluidos esse, hoc est tenues, & visci minus participes, apertasq; vias, per quas futura est expurgatio: nos etenim & ista præparamus, vbi quempiam sumus expurgaturi.

Commentarius.



ACTENVS visus est de probè sanis corporibus sermonem fecisse, siquidem nunc primum, de ægris vt nunc, se agere insinuauit: fitque profectò, vt interim tractationis communione, de illis etiam differatur, tametsi hanc tractationem ad partem salubrem pertinere, principio dixerimus. In acutis turgentibus & ob eandem causam in vrgentibus omnibus malis sua vehementia & magnitudine, citra coctionis spectationem licet expurgare, non quidem in breui soluendis vt quidam vertebat, multi enim sunt breuis temporis morbi quos Græci ὀλιγοχρονίους appellant, qui quod mites sint & ob suam paruitatem nulla nostra opera indigeant, non opus sit magnis auxilijs vti, donec spectata perfecta matu-

ritate

ritate, naturam erga proprium munus esse pigram atq; socordem sensimus; quos enim natura per se ipsam deuincere nata est ob paruitatem, nõ debet medicus lacessere, irritareúe aliquo modo, sed sola debita victus institutione ad salutis portum ducere. De chronicis morbis, fuit mihi semper maior scrupulus, nec vnquàm à quoquàm explicatus, similiterq; soleo dubitare de præcautione quæ in corporibus sanis vt nunc, exercetur, nunquid oporteat coctionem perpetuo operiri. In phlegmatica porrò febre quæ morborum acutorum terminum excedit, Auicenna non dilexit coctionis expectationem, nec videtur spectanda, propterea, quod multitudine humorum, à qua propè semper est pẽdens, periculum aliquod interminetur, nisi diminuantur inter initia. Quùm medetur etiam Galenus libro primo de compositione medicamentorum secundum partes nostri corporis, ophiasi, alopecicœuè, nihil profecto visus est hanc coctionem humorum attendisse, verùm priùs elargitus vndecim pillulas ciceris magnitudine, ex aloe, non dubitauit, deinde bis in quinq; diebus ihera ex colocynthide eundem purgasse hominem: is tamen morbus, non est quidem de grauissimis, sed longissimis, qui nullum timorem incutiunt. In morbo præterea Gallico, cuius curationi diutissimam nauant operam, per decocti ex ligno indo exhibitionem, neutiquàm videas coctionem expectari vrinæ, tametsi primario hepar ipsum affici in illo morbo appareat: imo vero, eius deprauatam coctionem procurant, prius vniuersum corpus euacuan-

1. *de locis.*

cuan-

euantes purgatione, deinceps, diuturna prædictæ decoctionis & tenuis victus elargitione. Adde plurimos esse morbos qui inconstantes habent vrinas, ita vt nunc coctas & cũ bono sedimento mingi conspicias, nunc verò crudas eas & absq; vlla manifesta coctione: quid facias obsecro? est ne tunc quod coctum apparuit expurgandum, an eo neglecto, crudis danda est opera quemadmodum coquantur, quod cum per plures dies hac vicissitudine prorogari animaduertas, non præter rationem consules, quid sit in huiusmodi rerum euentu faciendum. Similiter, qui in doloribus capitis, qui purgatione egere percipiuntur, cognosces maturationem causarum quùm præsertim nihil foras sensibile excernitur, in quo conspicua sit eius nota: in his profectò satis erit si præmissa præparatione secundum artem corporis & humorum, ad eorum accedamus vacuationem, Iam verò corpora eorũ, qui canhochymia laborant, docent sapienets per epicrasim euacuare, hoc est, paulatim quod vitiosum est vacuare, & paulatim inuicem quod salubre est reponere: in quibus si cocta semel est materia, non deceret tanto tempore eius vacuationẽ differre, si quidem Tralliano doctore lib. 12. cap. de amphimerina febre, coctorum semel succorum non oportet distinere vacuationem, ne intus manentes magis incrassentur, ita vt nequeant à purgantibus medicamentis facilè expediréq; educi crassiores effecti. sic habet (oportet ad coctionem humorum festinare, & non sinere eos immorari: sed purgare: quoniam immorantes magis incras-

9. meth.

san-

ſantur.) Eodem etiam loco præcepit in vniuerſum vt neutiquam craſsi viſcidiq; humores affatim & confertim educantur, ſed per interualla, repetitis vacuationibus, paulatim attenuatione facta & paulatim inuicem interpoſita euacuatione. ſic habet, (oportet autem ne ſimultanea fiat expurgatio, ſed paulatim & per interualla, ſic enim conuenit, in illis morbis qui ex craſsis ſuccis ſuam nacti ſunt generationem, & expurgando & attenuando pedetentim, quouſq; multitudini humorum ſufficiat) in quo progreſſu, quum interpollatis vicibus attenuet & purget, non videtur integram humorum præparationem expoſcere, ad exercendam euacuationem per catharticum diſpenſandam. Ob has argumentationes & pleraſq; alias, quas ad hũc locum potuiſſem promptiſsimè afferre, in morbis prolixam durationem pollicentibus, non videtur abſona illorum opinatio qui confeſtim apparente coctione, vtiliter expurgant, vtilius multò magis perfecta viſa coctione, fœliciſsimè adhuc, quum abſoluta coctio eſt: ad hoc enim nos vrget ipſa medicandi neceſsitas, quæ per quam citam, morborũ deſiderat ablationem, quæ ſi completam coctuuram maneret, inanem prorſus, & nimis deceptoriam medicinam apud vulgus redderet, quod ſedulam medicorum diligentiam quotidie expoſtulat, crebrum remediorum vſum, & ociſsimam liberationem. Quo circa in illis chronicis aut acutis morbis ſpectanda eſt coctio, quos feſtinare ad coctionem intelligimus pro ſuæ durationis curriculo. Præcipuè quum, in morbis præ cruditate productis,

Alia etiam ratione, in chronicis, nõ videtur ſpectãda integra coctio ad vacuationẽ præcipue ſi abſque febre ſint.

ductis, periculum immineat, an æger durare pos-sit donec morbus coquatur: quare vrgentiæ causa hîc quoq; subuenire adurgemur purgatione quidem, si hæc ex vsu esse videatur. Pharmaca purgatoria, per excessum calida & sicca temporibus antiquis censebantur omnia, prima Aphoris. 24. & nos contra Aristotelem optimè admodum in superioribus ostendimus, temporibus dixi antiquis, nimirum nostra tempestate, rosarum succus, tamarindi, manna cassiafistula, myrabolani, probantur purgare corpora, tametsi aut frigida sint, aut parũ calida. Nec laudo eorum expositionem, qui aut compressione, aut emollitione à prædictis medicamentis fieri vacuationem contendunt: cum plurima sint medicamenta & adstringentiora multò, & magis emollientia, quibus nunquam corpus tantopere commouere poteris. Ex hoc commentario, explodenda est controuersia illa tritissima, quæ an febris passio calida sit & sicca, an solum calida contentiosè admodum inquirit: euidenter. porrò, hoc in loco dictum est, febrem quatenus febris est, & secundum hanc rationem, refrigerantibus & humectantibus egere, quæ cum contrarietatis ratione admoueantur, febris citra dubitationem calida est & sicca. Sed alibi, refutauimus hanc opinionem, vt qui distemperiem calidã tantum fingentes, quæ eò vsq; increuerit, vt actionibus sensibiliter noceat, nequeamus illam in aliam classem morborum referre, quàm febrilium. Præsertim quum distemperantiam calidam simplici er libenter admiserit Galenus libro temperamen-

ramentorum: nisi fortè cuiquàm arrisserit ea sententia, videaturq; dicendum, dari sanè distemperantiam simplicem naturalem, febrilem nequaquam: quia, quum adeò increuit calor vt noceat, necessariò sibi siccitatem associat. Sed huic obijcies calorem eximium cum humiditate copulatum: qui si ad febris intensionem ascenderit, febrium factioni adscribetur, nulli alij morborum generi. Aut deneganda est omnino isthæc qualitatũ coniugatio. Pharmaca, perniciosa dicuntur & nostris corporibus aduersantia, præterea nacta deleteriam facultatem secundo acutorum comment. 12. quamobrem nocitura creduntur corpori, præcipuè si febre correpta sint vehementi: ob id enim libello de purgantibus medicamentis scripsit Hippo. (qui febre forti corripiuntur, non purgantur) & Celsus libro secundo, cap. 12. vetuit prorsus horum vsum in febribus, dicens. (Ergò nunquam in aduersa valetudine medicamentũ eius rei causa rectè datur, nisi vbi is morbus sine febre est. (Si quando igitur dari debent, maiorem oportet nos sperare vtilitatem ex eorum potione & humorum vacuatione, quàm sit noxa quæ corpori est inferenda: quæ tunc erit proculdubio maior, quum omnis noxius humor sine molestia vacuatur. Vt autem hoc optimè eueniat abesse debent impedimenta quæ vt plurimùm in ipsis hypochondrijs inhærent, & humorum præcedere præparatio, quæ attenuatione succorum, & apertione viarum adstruitur: impedimenta autem sunt, crudorum succorum copia, hypochondria di-

Febris passio calida est duntaxat: aut calida est & humida nõ nunquã, si calida est & sicca.

1. aph. 24.

Preparatũ est corpus ad purgationẽ quum quedã adsunt, quædam vero absunt.

 stenta,

stenta, aut supra modum ignea. Adiecit seorsum, καὶ πεφύσηνται, idest inflantur, cum proximè dixisset, quibus τέτακται, idest, distenduntur seu in tumorem subleuantur hypochondria: duo per se impedimenta narrans ad futuram expurgationem, alterum tumorem, alterum quidem ex flatu distensionem, quæ verè vacuationem impediunt, propterea quòd hæc sicut & alia impediunt humorum transitum qui per has partes efferri debent. Vnde millies taxaui imperitorũ quandam ignorantiam, qui quum animaduerterint laborantis querimoniam erga prædictas partes designatam, audent tamẽ sorbitiones catharticas propinare, quæ à longinquissimis etiam regionibus trahant: duplici sanè de causa peccantes, altera quòd occlusa sit semita purgationi humorum venturorum, altera verò quod humores aliundè deuenientes, nouo nocumento ventriculum & vicinas partes torqueant. Satius ergo semper existimaui, vt picra medicamẽto tunc ventriculum inanias, quod expurgat & roborat: postea vero, si morbus id expostulare videatur, vniuersum corpus expediet euacuare.

Caput

Caput decimum.



N acutis verò morbis ab initio statim, aut prima die aut non vltra secundum, expurgaturis nobis quando turgent, huiusmodi præparationem non licet efficere, nisi fortè quis occasionem arripiat exhibendi aquam mulsam impermistam in qua quidquam aut origani, aut tragorigani, aut pulegij, aut quidquiam aliud ex sic attenuantibus, decoctum sit. Quocirca meritò in acutorum morborum principijs rarò ex vsu venit nobis pharmacum expurgans, ob id quòd non sæpius turgeant in principio infestantes succi, neq; si hoc adsit, laborans aptus est ad expurgationem, neq; occasionem opportunam nobis præstat ad præparationem. Turgere autem humores dicuntur, cum motu vehementi agitantur, ac ab vno loco in alium locum transeuntes ab ipso morbi principio hominem diuexant, dolorifici titilantes, & quiescere eum non permittentes. Hos igitur talesquè humores euacuare conuenit, hoc est, in motu, fluxu, & latione positos: qui verò in aliqua parte firmati sunt, neq; medicamento nec vllo alio auxilio mouere est expediēs, antequam coquantur. Tunc etenim naturam habebimus adminiculantem vacuationi, ipsa etenim post coctionem, uidetur discernere humores, superflua expellere, in quo tempore iuditia fiunt. Cæterum quan-

dò ipsa perfectè operatur non opus est pharmaco, moderatius & imbecillius operante, quod deest medicos ipsos apponere est conueniens expurgando. Scire autem oportet rarò contingere, vt humores ex vno loco in aliū confluant; magna ex parte, in vna aliqua parte, in vna aliqua parte resident, in qua toto morbi tẽpore coquuntur vsquè ad solutionem. Quando igitur non solum acuta fuerit passio, verùm cum vehementissima copuletur febre, cauere decet medicantis remedij largitionem, ac tunc potissimum cum incognita fuerit laborantis conditio, sunt etenim qui suaptè natura difficiles sint ad purgationem, alij autem exigua data potione, copiosè soluuntur. Attamen quùm febris non est fortis, expertusquè sis naturam ægrotantis, dabis expurgans medicamentum, aut helleboro nigro vtens, aut similium aliquo, cuiusmodi est diacolocynthidos, quam hieram vulgò appellant, quæ cum vario modo compodatur, quæ helleborum accepit, scammonium autem non habet, optimum est medicamentum.

Commentarius.



VLTA repetuntur in præsenti, eorum quæ in alijs capitibus fuere disceptata, potissimum illud, quantum conueniat corporum præire præparationem, priusquàm expurgentur: adeò vt in acutis ipsis morbis, quiquè ex

sua-

ſuaptè natura mobilibus humoribus ortum duxerunt, arripiatur occaſio exhibendi attenuantia medicamenta. Quod certè laudabilius multo exiſtimari debet, quàm eorum opinio, qui aduerſum turgentes humores adſtringentibus & ſiccãtibus vtebantur quò ipſos immobiles redderent: quos elegantiſsimè carpſit Trallianus libro duodecimo, quum eos, ineptiſsimos efficere humores comprobat ad ſequentem expurgationem. Præter id quòd vi detenti, in aliquod membrum inſilient princeps, aut in ipſum pulmonem, qui iugi motu agitatus, nullos non rapiet ſuccos, & in ſuffocationis periculum laborantem ducet. Sed de his libello de ratione componendi vſitata medicamenta, dictum eſt. Illud non eſt ſilentio prætereundum, quod perperam ſentio eſſe declaratum apud quoſdam non infimæ ſortis medicos: eſtquè, quid ſit turgentia, & à quibus humoribus proficiſcatur. Circa priorem quæſtionem, neglecta modo Barbarorum ſordidiſsima expoſitione, quę arbitratu ſuo turgentiam amplificat, in præſenti commentario luculenter explicatur, per vagam humorum lationem, qua huc atq; illuc inconſtanter feruntur, ita vt quieſcere laborantem nõ ſinãt: idq; ſiue principio morbi turgeant quemadmodũ hîc inſinuauit Galenus, & 1, Prorrheticorum. 12. ſiue in proceſſu morbi, vt Trallianus loco dicto, c.6. Neq; putat Trallianus ad turgentiam hanc requiri, vt certum locum petant humores: imò verò hæc ſcripſit valde utilia, & neceſſariò expendenda in omni morbo ad exactam prouidentiã, ſcilicet

(cognoſces autem fuſam eſſe iam ſubiectam materiam, à victu temperato & humido, ex eo quod qui immoti erant quodammodo humores, nunc incipiunt moueri, & ex alio in alium locum tranſmutari, aliquando quidem in os ventriculi, & in inteſtina, & nonnunquam in articulos, aut cutẽ: oportet igitur peritum medicum hanc humorum motionem acutè contemplari, & donare aliquod ex dictis purgantibus, antequam errantes humores noceant, in aliquod ex pręcipuis membris decumbentes.) Quanquam igitur in certum aliquẽ locum vt pote in os ventriculi aut in inteſtina irruerent, non proinde deſiuit eos ferocientes compellare, & perquam citò remedio illis ſubuenire. Quod conſilium haud quaquam vulgare, ſi fueris ex animo complexus multos euades morborũ inopinatos inſultus, & inſidias vitæ crebro intentatas. Nec hoc alienum videri debet à Galeni ſententia, qui alicubi, per mutationem læſionis phantaſię, in eam quę mentis, turgentiam nominauit, ſimiliter, & quę fit inter ſenſus ipſos exteriores ad inuicem: quo planè teneas, apud peritiſsimos medicos, turgentiam humorum latius capi, quàm vaga, & incerta humorum latio. Reddens inſuper Fulginates cauſam tam vagi motus, eam in formã humoris, aut vaporem retulit, non quidem cuiuſcunque, ſed tenuis ſimiliter et calidi: alios quippè ab his humores ſedentarios eſſe dicit, & quieti paratiſsimos, conſequenterquè turgentię ineptiſsimos. In eandem ſententiam iuit Manardus multis nominibus egregius vir, qui libro epiſtolarũ 13.

Translatio vaga humoris ex vno in alium locum est turgentia.

1. porrhetisorum comment. 27.

1. quarti.

cap. primo, tenues calidosq; succos esse debere pfessus est, qui turgentiam faciant: non enim (inquit ille) sufficit sola tenuitas qualis est serosarum superfluitatum, quare calidi sint tenuesq; oportet acrimonia quadam praediti, aut venefica infecti qualitate, vti in pestilentibus febribus. Caeterum quùm nusquam apud Galenum, crebrò admodum de turgentibus humoribus tractantem, repererim distinctum, quales nam sint qui turgentiam pariant, huius fui hactenus opinionis vt eam omnibus humoribus conuenire facilè dixerim. Secundò, si à crassis humoribus non proueniret interdũ haec turgida ferocitas, non arripuisset occasionem exhibendi aquam mulsam ex hysopo aut origano: cum si calidi essent succi & tenues, nequaquam permitteret adeò calidorum medicamentorum vsum, qui tertio acutorum solam aquam mulsam bilescere in biliosis edixerit, & vndecimo Metho. eandem cauerit maximè, intensa existente febre. Tertio, turgere humores declarauit Galenus, copia aut qualitate molestantes, ad quorum vacuationem properandum esse inter initia morbi decreuit; quod quùm ita habeat, pituitosi humores, & sanguis, qui plerunq; multitudine sua vires dilaniant ac vexant, turgentiam creabunt. Quartò, expultricis munus est alienum siue qualitate siue quantitate propellere, illudq; saepius facit ante tempus qualitate vellicata, aut quantitate grauata: cur non igitur sanguis vel vtilissimus quidem, sua multitudine non concitabit expultricem, atquè mutua repulsa inter partes habita, in aliquam

Humorum omnis speci es turgere valet.

1. prorh. 12

4. de praesa gijs expulsu vltimo.

dem decubitum faciet? Eruginei prasinique humores, salsi item, nunquid non causones efficiunt & febres malignissimas, atra bilis fermentat terram, abigit muscas: quæ causa est, vt membra his tam prauis humoribus lacessita, huc atq; illuc eos non transmittant, & à se ipsis expuere quantum datur, non conentur? Errauit grauius Fulginates, qui ratus est hunc tam varium humorum motum ex propria forma eorum emanare: cum octauo physicorum solis animatis corporibus id ipsum duntaxat conuenire Aristo. explicauerit. Et Galenus centies hunc motum expultrici membrorum nostri corporis vendicauerit quarta Aphor. 10. &. 6. Epidem. par. 2. comm. 37. turgentes nuncupauit, quando natura ad eorundem expulsionem festinat. Definiuimus superius, quantò tutius sit remedium sanguinis emissio, quam expurgatio, ob causas eò loci commemoratas, maiusquè robur requiri ad expurgationem quàm ad sanguinis missionem: proinde ab vlteriore expositione supersedemus. Hanc hieram ex colocynthide, memoriæ prodidit Galenus 2. Acutor. 11. commento, duobusquè modis parari eam significarit, cum scammonio, & sine scammonio: primo de compositione secundum locos capite primo, componitur ad hunc modum. ℞. Colocynthidos partem vnam, aloes & scammonij vtriusquè partes duas, eum succo absinthij catapotia formentur: sed hanc mistionem ex aloe ibidem appellat, hieram aliam insinuans diacolocynthidos: pondo drachmarũ quatuor & quinquè pro viribus, deuorandã: cuius de-

scri-

ſcriptionem apud Galenum nuſquam legi. Aetius Galeni nomine, hieram ex colocynthide annotauit ſermone tertio, primæ quaternionis cap. 113. non aſpernandæ efficaciæ.

Cap. XI.



BI autem exorbuerit expurgans medicamentum, conueniens eſt, ptiſannam ſuperbibere vt inquit Hippocrates: ipſum etenim pharmacum, vtcunquè ſit exiguum, in fundum ventriculi peruenit, & in tranſitu, gulę quantum ſupra ventriculum exiſtit, non ſolū qualitate purgantis medicaminis, ſed & ſubſtantia, in ipſo tranſitu appulſa, infectum magnoperè læditur. Vtilis ergo eſt ſuccus ptiſannæ ſuper bibitus, vt detergat & inferius detrudat id quod inter ſorbendum adhæſit, et valeat attemperare atq; immutare medicamēti qualitatem ipſis partibus inſidentem. Ob id ergo Hipp. poſt epotum medicamentum ſorbitionem ptiſannæ iubet, incipiente vero purgatione, non amplius vult propinari ptiſſannam: cauens ne operatio pharmaci exoluatur. Cæterum aliquando venter nihil egerit epoto cathartico, aut ob proprietatem naturæ laborantis, aut ob præſtiti medicamenti exiguam doſim: ſæpe vero ſtercus durum impactum in aliquo inteſtinorum, quod priuſquam exhiberetur pharmacum,

pote-

poterat per clysterem vacuari, prohibet euacuationem. Potest quoquè natura per vrinam vergente, nihil agere medicamentum: interdum etiam suo fine frustratum, præter id quòd non lædit corpus, alimentum fit animalis, interdum verò, in deleterium & perniciosum transit.

Commentarius.


ANC disciplinam docuit Galenus 2. acutor. comment. 12. Hippocratis vestigia secutus, ob causas ab ipsis ibidem enumeratas: verùm id seruandum ducerem, post fortium pharmacorum, cuiusmodi apud antiquos vsurpabantur, potationem, nostra quippè tempestate benignioribus vtimur, nihil prorsus prædicto remedio indigentibus. Si tamen vsu venerit, vt aliquando laborantis improba petitione, post cathartici potum, potionem aliquam concedere cogaris, non est præter institutum medicorum primæ etiam classis, qui in omnibus illam porrigebant, quæ saltem detergeret. Quod abhominatione videri debet maximè dignum, quodque vniuersus rectè medicantium chorus detestatur, aliud est longè diuersum: nempe paucos inueniri admodum, qui non statim, postquàm bis terúe aluus deiecerit, ius pulli insulsum sorbendum, præcipiant, dicentes hoc pacto calcaria

subdi

ſubdi maiora purganti medicamento. Abuſus tamen hic, nec Hippocrati aut Galeno innititur, ſed neque ipſi Auicennæ, vt 4. primi ſcriptum eſt: quòd ſicubi, aliter obſeruaſſe legatur, libello de ratione componendi medicamenta vſitata, rationem eius reddidimus, vbi præſentem locum locupletius exegimus. Itaque poſt inceptam purgationem, non eſt vtendum vllo cibo, niſi fluitantem ſorbitionem pharmaci ſenſerimus: quo tempore, pyra, oliuas, malum citonium, cum Galeno libro de alimentis porrigere non recuſamus, qui ſuper ingeſtis pyris morantem purgationem accelerauit. Aliòqui, non debet edere quicquam donec abſoluta ſit medicamenti operatio: quòd ſi nihil effecerit pharmacum, non eſſe mirandum Galenus monſtrat, propterea quòd, aut detento ſtercore in inteſtinis, aut paucitate pharmaci, aut quòd per aliam viam humores porrexerint, aut quòd à natura vincatur, id poſsit accidere. Auicenna, ſanguinis imperauit emiſsionem vbi inanẽ operam cernebat pharmaci, neſcio qua de cauſa permotus: nam ſi id factum ſit, ob ſtercus impactum, aut quòd alia via lati ſint humores, per ſudores ſcilicet vti in æſtatis feruore, qua ratione ſanguis mittendus erit? Ergò clyſteri vteris vtiliſsimè detenta purgatione propter ſtercus: ſi ob id quod alio tetenderint humores, eo ſolo ſis contentus: ſi exiguam credideris pharmaci quantitatem, eam nihil nocebis, ſi aquæ mulſæ potu largo adiuueris, aut clanculum roſaceum ſacharum cum diacridij granis tribus aut quatuor exhibueris, non oblitus, leuiſ-

Notatur Auicenna.

leuissimo interdum superdato pharmaco, copiosam sequi expurgationem, similiter & iniecto aut clysteri, aut glande. Videmus tamen, neque id rarò, contingere, vt, plures horas prorogata medicamenti opera, laborantes ad cibi sumptionem adurgeantur, atq; post prandium ipsum, ad frequētius aluum deonerandam inuitentur. Non igitur vera est atq; ineuitabilis præceptio, quæ nihil cibi ingerere permittit, quousquè perfecta sit operatio pharmaci. Non constat sanè, quantum temporis requiratur ad hoc quòd pharmacum suam quodq; debeat expromere operationem ita vt si semel fuerit illud prætergressum, inutile atq; inane debeat recenseri protinus: illud perspicuè cunctis innotescit, irritam medicamenti operam ad tempus præstitutum, prandio subsecuto, aut leni aliquo auxilio, reddi fęlicissimam sępius. Fortasse fiet, quoniā attracti humores ad intestina ipsa, aut circum ipsa circumiectas particulas, non potuerunt expultricem ad deiectionem inuitare, qui deinde, superuenientis clysteris leuis, aut sibi pondere, magnum accumulant excitamentum, quo virtus expultrix incitetur: nisi interdum cibo corroborata virtus, expulsionem faciat, quam antea efficere haud poterat. Vnde fieri arbitrandum est, vt sorpto illo iure insulso, sequatur ex accidenti plerumquè commerita morbo alui deiectio: quæ quum sua quantitate tantum grauantia id faciant, si nondum tracti fuerint humores ad intestina aut illis proximas regiones, absque his, coget cibus aut leue illud auxilium ventriculum & intestina receptum phar-

Responsio.

Vnde fiat, ut plerūque oblato cibo, aluus vbrius soluatur.

ma-

macum eijcere solum. Cum igitur incertum sit quando tracti sint ad prædictum locum sufficienter humores, incertum quoq; erit quando conueniat cibos exhibere, aut quidpiam aliud quod videri poterat pharmacum præpedire. In hac ergò ancipiti rerum censura, illud est amplectendum, vt interim quoad durat pharmaci operatio, nihil præbeamus, ne ampliorem succorum tractum inhibeamus, & si consuetam horam purgandi humores præterierint iam, suspicari oportet aut tractos esse iam ad ventriculum & non sufficienter incitare, quo casu, ciborum oblatio, sua quantitate ad irritationem iuuabit vt dictum est, aut nihil præ sua imbecillitate operatum fuisse pharmacum: quare, non oberit, post soliti temporis, & aliàs ad purgationem sufficientis expectationem, ciborum esus. Vnde autem constiterit, quantum tempus oporteat operiri, ad hoc quod valeat suum munus explere pharmacum, nondum diximus: quòd illud non aliunde queat depræhendi, quam vsu & sapientissimorum autoritate, qui summo manè aut paulò maturius, sorbenda esse pharmaca decreuerunt. Ab hoc igitur tempore ad prandij horam satis intercedit temporis, coquendo pharmaco, & eius edendæ operationi: in quo, si nondum peregisse quod optas, olfeceris, (quod quidem ex gustu, aut ventriculi tranquillitate cognosces) non pigeat cibum efferre. Postremò, solet pharmacũ ob similitudinem illam quam cum humoribus habere diximus, vbi frustratum est à purgatione, in nutritionem animalis transire, secundum aliàs

partes

partes verò, potest esse veneficum: hoc dignoscetur, per hoc quod pulsus roboratur, & maiorem acquirit magnitudinem, tales enim pulsus creat cibus, tunc igitur vera esse potest Auicennę assertio, quæ non subsecuta purgatione, sanguinem educere commonebat.

Caput XII.



Vnctis porrò expurgantibus medicamentis vitiantibus ventriculum, potissimum autem eius os, quòd neruosius sit & magis sensificum, excogitata est permistio rerum benè olentium, vt non sola neque syncera ipsorum facultas corpus ventriculi attingat. Sed quæ permiscentur semina, talia esse debent quæ vitium retundant, & operationem ipsorum non prohibeant: cuiusmodi sunt quæ sua facultate attenuant secantque crassos humores, & vias per quas euacuantur, aperiunt & laxant. Oportet præterea, vt commista ad inuicem medicamenta consentiant: qui consensus tunc non fiet, non quando hoc quidem bilem illud verò pituitam vacuat, quippè vterque humor eodem modo vacuari potest, sed quando hoc quidem statim, illud verò longo tempore post sorbitionem, natum est deiectionem mouere. Namque hoc modo inæqualis fit vacuatio, licet simul offerantur: inæqua-

æqualem autem dico, quando altera iam cessare videtur, altera rursum incipere.

Commentarius.


PLuries commendauit Galenus benè olentium rerum permistionem cum purgantibus medicamentis, ne sua praua qualitate tantopere noceant ventriculo, potissimumquè eius osculo: est enim ea parte ventriculus exquisiti sensus, quo sentiant alimenti defectum, eaque de causa plures neruos aut valde sensificos à sexto pari neruorum cerebri recepit, Pharmaca omnia lædunt ventriculum, solam excipiunt aloem, atquè hanc in siccis ventriculi distemperamentis aliquando notauit Galenus obesse plurimum: proinde summopere studuerunt prisci autores, vt corroborantia miscerentur, cuiusmodi anesum, daucum, cinnamomum, mastichem, & similia passim comperies laudata, ad id muneris consequendum. Sed hac lege facienda est commistio dicta, vt iuuent pharmaci operam, non impediant: quocirca non satis scies vnde nata sit apud messuem consuetudo miscendi tragacantham cum scammonio, cum ea glutinosa sit & ad obstructiones producendas aptissima. Ac quùm id studiosè ad-

4. de vsu partium.

Paulus libro. 7.

admodum, cauerit Galenus, ne quæ obstruunt aut incrassant, ad correctionem ventris admisceantur, sed quæ secant attenuantquè succos & vias
2. acut. 12. aperiunt. Secundò præcipiunt, vt si quandò diuersos humores misceantur pharmaca purgantia, aut diuersa eundem, sint consentientia seu similis in purgando naturæ & speciei Gr. ὁμοειδῆ quæ idcirco talia dicuntur, non quidem quòd similes humores euacuent sed quando eodem tempore suas edunt operationes. Quæ enim ex diuersis temporibus expurgantibus fit compositio, omnium est deterrima & ab omnibus reprobata medicis: nam alterius operatione cessante, alterum operari incipit, ac subinde seditionem in corpore faciũt nimis tumultuariam humorum. Quod Auicenna ipse animaduertens hæc prodidit. 4. primi, cap. 4. medicinarum præterea ventrem soluentium, deterior est illa quæ est composita multæ diuersitatis in tẽpore, in quo soluendus est venter: quoniam ventris solutio conturbatur, & prima ventrem soluit, antequam secunda, & quandoque prima secũdam expellit. Quare qui indiscriminatim permiscent casiam fistularem cum agarico, scammonio, electarijsq; alijs purgatorijs, temere id faciunt & præter artis præcepta: multo adhuc incautius, qui nesciunt præscribere medicamentum aliquod, cui non casiam in ipso principio adstituerint & limine: in cautisimè, qui nisi simul omnia electaria cõfuderint, quæ penes seplasiarios sunt recondita, crimine ignorantiæ se putant esse notãdos: de quibus omnibus libello illo dudum diuulgato fecimus mentio-

Non misceãtur varia medicamenta purgantia.

mentionem, in quo methodum explicuimus quã-tum potuimus exactam, qua tyrones noscerent, sua componere, pro tempore necessaria receptaria, absq; longis ambagibus. Illum legant, qui de hac re latiorem desiderant interpretationem, & qui citra lectionem vulgarium autorum, scire cupiunt quî debeat, componi expurgans medicamentum: qui enim illis plenam adhibuerint fidẽ, non possunt certè, non labi in pelagus errorum, & passim mortalium necem procurare. Illud tandem manere videtur ambiguum, ex his quę nunc diximus: quo pacto Galenus & alij Scammoniũ in malo citonio decoxerunt ipsumq; citonium mandendum præbuerunt ad purganda corpora, siquidem quæ corrigunt purgantium medicaminum violentiam simul & malitiam antidota, non debent adstringere & semitas corporis occludere, sed potius è diuersò scindere crassitudinem humorum. Respondetur, non esse dubium quin apud medicos etiam classicos, in vsu fuerit adstringentium cum purgantibus medicamentis permistio, hoc enim docent præter exemplum adductum, electarium diacydonites dictum, & rhodomeli apud Trallianum cap. de tertiana febre conscriptum: verũ ista permistio magis vsurpatur ad biliosorum purgationem, quàm aliorũ crassiorum, & (mea sententia) in illis potissimum corporibus, quibus amplæ sunt semitæ, latæ venæ, propterea quòd in his minus nocebit adstrictio, nisi fortasse potius iuuat, ob robur quod partibus p̃stat

Quæ miscẽtur pharmacis antidata, iuuẽt eorum operationem: & qui, fiet cõtrarium.

ad expellendum causas morbificas à pharmaco commotas. In alijs profectò corporibus & humoribus huiusmodi adstringentium vsus esset deuitandus: tunc præcipuè, quùm è remotissimis partibus vacuationem facere velimus.

DEO GRATIAS.

LIBER DE RATIONE PERMISCENDI MEDICAMENTA,

QVÆ PASSIM MEDICIS veniunt in vſum, dum morbis medentur.

Nunc primum natus Autore Ferdinando Mena.

Philippi Magni Hiſpaniarum regis a cubiculo medico, & profeßore Complutenſis ſcholæ.



AVGVSTAE TAVRINORVM.

Apud Io. Baptiſtam Beuilaquam. 1587.

Quid hic libellus contineat præſens pagina reddet perſpicuum.

DE RATIONE PERMI-scendi medicamenta.

Procemium.



Aria ſunt apud medicinalis artis profeſſores medicamentorũ ingenia, quibus nituntur contentioſè admodum morbos ipſos depellere: aut enim ſyrupis, ſeu ſerapijs, quibus ſuccos ad expulſionem parant, vtuntur: aut pharmacis humores morbificos è corpore extrudunt: aut factam diſtemperiem, & membris veluti inſertam ſtudent diligenter admodum abigere contrarijs alterantibus, atq; hoc per epithemata, vnctiones, emplaſtra ſeu cerata, irrigationes, & condita. De quibus omnibus breuem quandam apponemus rationem, ne ſtudioſi longius requirant, quæ tantopere ſunt neceſſaria ipſis medendi actionibus operam nauantibus. Ac primùm quidem de ſerapijs agendum mihi videtur: quod reliqua magna ex parte antecedere ſoleant: & ad reliquorum commodiorem vſum corpora ægrotantium reddant paratiora. Serapii nomen pleriſq; magnam fecit controuerſiam, nunquam ſatis definientibus, vnde nam deductum illud ſit: & an in Græcos fontes ſit referendum: an potius barbarorum ſapiat farraginem. vtcunq; tamen decretum ſit, vix apud aliquem

Grȩcorũ reperias hanc nomenclaturam, excepto Actuario, qui lib. De compositione medicamentorum serapii nomine parum permutato vocabulo interdum vsus, occasionem forsan præbuit posteris vsurpandi syrupos suos. sed parum interest isthæc ad viuum (quod aiunt) expendisse: cum id semper fuerit antiquissimis autoribus maximo in pretio, res scilicet ipsas medullitus callere, nihil curantibus, quo nomine quæque res nominanda sit.

Caput secundum.

De serapijs.



Vatuor itaque sunt, quibus crebrò vtimur (re ipsa non ita multum distantia, nomine verò perquàm distincta) serapium, zulapium, rob, & loch. Serapium, seu syrupus ex melle, aut saccharo & decocto aliquo herbarum seu aqua siue stillatitia, siue pura concinnatur: decoquiturque à pharmacopolis vsq; ad hanc redigatur perfectionem, vt si instilletur guttatim, tenuia filamenta mittat: neque statim abrumpatur (punctum vocant, seu syrupi perfectionem.) Qui si vlterius decoquatur, & compactiorem admiserit consistentiam,

tiam, Zulapium ſeu iuleb nuncupatur, (quamquã, vt quibuſdam placet, ex aqua, & ſaccharo exigua coctione iuleb paretur, quo recens potetur, vide Saladinum) pectoris vitiis opportunior medela: propterea quod laryngi tenacius inhærens, poterit parte aliqua per aſperam arteriam ſimul cũ aëre inſpirato deſcendere. vii. De comp. ſecundum locos. Quòd ſi glutinoſam aliquam materiam, qualis eſt tragacantha, gummi, & ſeminis lini mucilago, amylum ve receperit, & pluſquam zulapiũ excoctum tenaciorem indeptum ſit ſubſtãtiam ac duriorem, elegmatis, ſeu loch meretur appellationem: quod quidem thoracis ægritudinibus eſt impendio conducens ob cauſas non ita pridem enumeratas. cuiuſmodi etiam ſunt quas Græci hyppoglottidas dicunt: ab eo quod ſub lingua continentur donec paulatim tabeſcentes in ſuccum deglutitioni adaptatum conuertantur. Quocirca minimè in dubium verti debet, an huiuſmodi medicamina rectà per aſperam arteriam deferantur, non alimenti ritu, per gulam & ventriculum, atquè exinde per iecur, & cauam venam in thoracem exportarentur. nam præterquam quòd itineris longitudine debilia admodũ illuc peruenirent, tot membrorum conflictibus exhauſtas penè iam vires deportantia, Galeno autore, vt iam dicam, corroboratur. ſeptimo namq; libro De compoſitione pharmacorum ſecundum locos iuxta principium, quod ſequitur ſcripſit. Induſtrium porrò eſſe oportet, qui pharmacum linguæ ſubdit, quò eo paulatim liqueſcenti, aſperæ arteriæ ſummum,

id quod ipsum defluit suscipiat, renitendo oborienti tussi. obluctantes enim vt ne tussiant, permittent quidpiam ex pharmaco in arteriæ summum, ipsamq; adeò arteriam demanare. lib. etiam sexto in ipsis propemodum initijs, de indicatione sumpta à particula subnectens orationem sic inquit: Inest autem & aliud quiddam oris particulis, atque id duplex, quod non adest ipsi cuti: insuauitatem enim medicamentorum quæ adhibentur, sentiunt: & duos meatus subiacentes habent per quos in ventrem & pulmonem defluere quippiã ex stomaticis pharmacis potest, quale est quod per attramentum sutorium constat. Hinc fit, vt vitio thoracis laborantes sæpius sint commonefaciendi, vt musculos laryngis laxent, & feriari sinant: quò liberius stomatica pharmaca per interclusos meatus præterlabantur.

Caput III.
De ratione componendi serapia.


SI ergo quispiam è propria minerua componere aueat serapia, & quæ prefata sunt medicamenta, sciat herbarum folia, flores, & ramos, manipulorum, seu fasciculorum additamento præscribi: fructus numero: semina drachmis: radices vncijs,

& nisi

& niſi copioſiſsimo opus ſit decocto, quódq; lauandis vniuerſis corporibus aſſolet apparari, vulgo eatenus decocta parantur, vt manipuli, ſeu faſciculi herbarum, foliorum inquam, florum, ramorum, numero quinq; ad ſummum ſubſcribantur pro libris duabus aquæ, aut tribus: ſeminum drachmæ quatuor, aut ſex: radicum vnciæ quinq; plus minus ve pro totidem libris aquæ. maceratur prędictorum quodq; per aliquot horas (ſępè enim Meſues macerat per diem & noctem) quo tenereſcentes herbæ, & madore aquæ perfuſæ, plenius aquas ſuis viribus imbuant, quùm coctæ fuerint. Hac de cauſa ſæpius ſum expertus lignum ſanctū ſeu guaiacum alio nomine, nequaquam ſudores ciere: quòd cùm dura ſubſtantia conſtet, nec facilè ſucculentam remittat ſuppellectilem, niſi prius viginti horas ad minimum maceratum tenereſcat, ſimiliter ac flaceſcat, inefficax profecto decoctum reſultabit. Macerata igitur decoqui debent quouſq; media portio aquæ conſumpta fuerit, aut ſaltem tertia, quando minus efficacem exigere videtur morbus medicationem: quibus deinde colo transfuſis, ac debitè percolatis, pro decoctionis ſingulis libris ſemiſſem ſacchari, aut mellis deſpumati adijciunt: ac denuo ad ignem purum illa ſimul excoquunt donec perfectionem iam à principio præmiſſam aſſequantur. quod ſi aromaticis quibuſdam libeat ſerapia efficaciora reddere, aut ori ventriculi magis ex vſu, cuiuslibet decocti libræ drachmas duas pulueris poteris permiſcere. Hæc ſunt quibus intentus per te ipſum citra temporis

poris

poris diſpendium poteris effingere medicamenta ad præparandos ſuccos conuenientia : præcipuè tunc, quando non datur locus illa petere à pharmacopola perito. quamquam me iudice, ſi tibi magnæ curæ eſt ægrotantem à morbis, quibus grauiter vexatur, expedire, perpetuò conſulerem recenter iſta præparare, abſq; eo quod ad illã prius decantatam perfectionem pertrahantur: illa etenim ſeplaſiariorum lucro magis, quàm ægrotantium patrocinio eſt expediens. Quis eſt enim adeò caliginoſa mente obcæcatus, qui non videat huiuſmodi tàm exactam ſerapiorum cocturam, idcirco fuiſſe tam ſedulò excogitatam ſcilicet nè diut. aſſeruata putore corrumperentur, aut vapæ in modum euaneſcerent? De ſuccis hanc protulit ſententiam Galenus libro ſexto De compoſ. ſecundum locos ad principium de ſucco mororum ex profeſſo locutus, hunc in modum ſcribens. Magis idoneus eſt ſuccus mororum cum melle apparatus: non ſolum quòd citò corrumpitur citra cocturam cum melle repoſitus, ita vt ſequenti anni tempore eo vti non poſsimus: ſed etiam quòd vtilior eſt ad ſequẽtia inflammationis tempora. Nec mirum videri debet ſi hoc, quod modo aſſeruit de ſucco mororum de omnibus in vniuerſum proferatur: docente Galeno libro tertio De ſimplicibus medicamentis cap. v. ſola oleum, mel, vinum in longum temporis ſpacium perdurare. alios verò omnes ſuccos, aut aceſcere, aut corruptos putreſcere: proindeq;, aut coctione, aut perdurantis ſucci permixtione egere. de melle hæc addantur, ex
lib.

lib.v.De.comp.ſec. genera:Quippe & ipſum mel ex his eſt, quæ non putrefiunt, & miſta à putredine reſeruat, præter quàm extremè ad putreſcēdum idonea. Ob hanc igitur cauſam, ne qua anni parte medicis deeſſet materia ſanandis morbis perutilis, melle condierunt, aut ſaccharo herbarũ decocta, & ſuccos: & quum id adhuc nõ ſufficere animaduerterint, niſi nimium excòxiſſent, ad illam dictã ſuperius perfectionem curauerunt, vt dictum eſt perducere. Cæterum efficatiores multò crederem huiuſmodi condituras, ſi non tam exactam ſuſtinerent decoctionem: propterea quòd mellis deterſoria facultas retunditur tanto magis, quanto diutius decoquitur, 3.Acut.19.comment. At quis eſt, qui non dum ſibi perſuaſerit haſce potiones ob eã cauſam exhiberi: vti putrefactos ſuccos & inhabiles iam effectos nutritioni, aut ſudore, aut per aluum & vrinam propellerent, viſcoſos detergant, craſſos diſſecent? quemadmodum pulchrè ſatis illud oſtendit Galenus lib.11.De morbis curandis. Quæ munera perfectius quidem abſoluerent, ſi ad ſolam vſq; deſpumationem igni admouerentur. Quam ob rem cum pertinaces morborum curationes aggredior, nihili faciens hæc apud ſeplaſiarios repoſita ſerapia, recentia paro parum cocta, ſed efficatiora mehercule ob ea, quæ dicta ſunt.

Caput

Caput IIII.

De quantitatis serapiorum ratione, dosim vocant.



Ecimus mentionem ex industria solius plantarum decoctionis in construendis serapijs: quòd inefficaces admodũ existimemus aquas stillaticias: atq; adeo nihil amplius operantes, quàm aquam elementariam: vt æquo fermè iudicio, aut aqua, aut stillaticiarum aliqua sit vtendum. Nam quam, obsecro, absinthij destillatus liquor, eius sapit, aut saporis, aut odoris portionem, vt de reliquis taceã? Quod si ita habet quemadmodum experimenta ostendunt, vt pauca, aut nulla in destillatis liquioribus reseruetur herbarum facultas: quid opus est adeò contentiose illos magna quantitate penes magistros artis custodire? præsertim cum classicorum, autorum testimonio parum probẽtur. Facilè porrò cunctis medicis est decoctis plantarum vti, cùm illis offertur occasio propinandi syrupos: voti quoq; compotes expeditius, atque accumulatius euadent, quanto herbarum seu plantarum vires integriores propinauerint, quod proculdubio

in

in ipſis decoctis potius, quàm ſtillatis eueniet: Quod ſi quando placeat ſtillatas aquas in vſum aduocare, id fiet commodius prefecto vti Manardo viro vndiquaque doctiſſimo arriſit in duplici vaſe: nunquàm tamen promiſſas herbarum vtilitates plenè experieris, niſi decoctis vtaris. In duplice vaſe fieri interpretatur tunc Galenus, cum in lebete aqua pleno, alterum vaſculum ſuperponitur re deſtillanda oppletum: quemadmodum Galenus ad calfaciendum oleum, ne alioqui ſicco igne vreretur, vſurpabat lib. De facilè parabilibus & vi. method. Sed de quantitate ſyruporũ bibendorum non conuenit inter neotericos: nam eorũ maxima pars religiosè ſatis obſeruãt, ne ſyrupi potus vncias quatuor cum ſemiſſe tranſcendat, dicentes. R. ſy. vnciam. 1. 5. aquę vncias tres: nefas eſſe putantes, ſi aut maiorem aut minorem longe quantitatem ægrotantibus quiſquam erogauerit: nec pudet eos ſuam conſuetudinem fulcire Galeni interdum falſo teſtimonio, peierantes primo Acutor. comment. 43. illam euidenter inueniri præſcriptam. Verumtamen cum apud Auicennam capite De amphimerina febre herbarum decoctiones vnciarum trium menſura elargiri ſemel atque iterum offenderim, potionis paucitatem admiratus magnam cæpi occaſionem inquirendi, nunquid mendoſus codex errandi anſam illis ſupeditaſſet, an vſu tantum, & citra demonſtrationem autoritate iſthæc animis inculcata ſint: ſed non me fefellit animus, & præſaga mens alioqui mali: quippe hoc modo ſcriptũ eſt primo Acutorũ loco citato.

Ὅταν οὖν ὁ πυρετὸς ᾖ δυνάμεως οὔσης, οὐ μόνον οὐκ ἂν βλάψῃς τι ὁπηνίκ' αὐτῷ δοὺς τὸ ψυχρὸν, ἀλλὰ καὶ μεγάλως ὠφελήσεις· ἡ μὲν δὴ τοιαύτη πόσις τοῦ ψυχροῦ τοσαύτη τὸ πλῆθος ἐςὶν ὅσον ὁ κάμνων οἷός τ' ἐστὶ πιεῖν τὸ ψυχρὸν ὕδωρ ἐπισπασάμενος ἀναπνευστὶ. Τὸ δὲ ὀξύμελι βραχὺ διδόμενον, οὐ πλέον ἡμίσεως καθ' ἑκάστην προσφοράν, idest Cum igitur febris adest constanti virtute, non solum non nocebis tunc exhibita aqua frigida, verùm iuuabis magnopere: huiusmodi enim potio frigidæ aquæ tanta esse debet quantitate, quantā laborans ipse sine inspiratione exhaurire queat: oxymelitis vero exiguum datur, nec plus dimidio singulis oblationibus. Hactenus Galenus. Cùm ergo multa sit aquæ quantitas, quæ vrente febre potatur vnico haustu, dimidiumq; illius ex oxymelite Galenus liquido exhibere videatur; maiorem multò quantitatem quam vnciarum quatuor, aut quinq; necessum est elargiatur, qui mentē Galeni veraciter imitari studuerit. quippè si ingēti lacessitus homo calore, triginta, quadragintaue vncias aquę haud ægre ingurgitabit dimidium erūt quindecim vnciæ aut viginti, quas oxymelitis sorbere commodè ægrotus poterit. quòd si oxymelitis hanc quātitatem sumere liceat, ęquius multo aliorum syroporum tantundem fas erit assumere: nimirū parcius esse bibēdas ex aceto potiōes res ipsa monet: propterea ꝙ eius vis profundius vniuersas penetrat nostri corporis particulas; atq; adeo, vt neruos ipsos manifestè percutiat. quòd sępè alibi ostendit Galenus. Sed insignius. 2. De fracturis comm, 29. 3. Acut. de oxymelite. Rursum aqua mulsa, & oxymelite, præsertim quum neruosæ par

tes non laborant, ſitim ſedare procurat Galenus commentario nunc adducto, non ſecus ac apomelite, quod ὀξυγλυκὲς ibidem appellat, adhibita aqua frigida æſtatis tempore permulcere conſentaneũ ducebat. Eſt autem huiuſmodi potus Hiſp. meloxa vocatus, decoctum fauorum expreſſo prius melle. Largior igitur potus præſtandus eſt ægrotantibus, quàm vnciarum quinq;, qui labra & palatum (quod dicitur) vix ſufficiet ſatis alluere. Poſtremo vt conſtat ex Galeno 2. ad Glauconem, & 7. De morbis curandis indicatione ſumpta à laborante particula, augendum eſt robur medicamentorum, vel minuendum. abditiſsimis igitur partibus affectis, auctior potus ſyruporum exhibebitur, ac longè copioſior, quàm ſi vicinæ præſtaretur particulæ. Quamobrem ſtultè ſatis faciunt qui ſine partium diſcrimine omnibus quinquè vncias ſyrupi & aquæ tribuunt, daturi aliquando libram ſi ſaperent. Hinc puto natum eſſe forſitan vt in morbis pertinacibus, & qui vix clauo decapitari queãt, nullam aut ſaltem exiguam frugem ſe excerpere ſentiant, qui ſuis exiguis ſorbitiunculis aut locum patientem non attingunt, aut tametſi (quod dubito) attigerint, cauſas morbificas nondum plenè intingunt: tantum abeſt vt aperiant obſtructos pertinaciter canales, & craſſos ſecent humores, atque viſcoſos abſtergere ſint potentes, quod quidem euidentius inſinuauit artis medicinalis magiſter Hippocrates ſexta. Epide. parte. 5. com. 29. & quarta aphoriſmorum 13. dicens, Ad helleboros qui non facilè ſupra purgantur, eorum corpora

ante potionem pluri cibo atque quiete sunt humectanda: nec solum his sed balneis lib. 6. Vulgarium morborum.5. sect. comment. 29 at quanam ratione aqua mulsa, aut oxymel paria faceret cum balneis inhumectandis corporibus, si tam exiguam portionem ægrotis elargiaris? adde Galenum libro septimo De compositione secundum locos capite De asthmate sic scripsisse. Multus contra potus in his quibus bronchia viscosis, ac crassis humoribus sunt obturata: etenim pharmaca quæ eiusmodi humores abstergunt, necessario quidem tusses mouent: non vero facilè per sputum reijcitur, quod abstersum est, ob crassitudinem videlicet: quapropter humectatione multa opus habent, quò facilè efferatur, hæc ille. Quare si spiratione reijciendi humores multa potione egent quo liquescant, & attenuentur mediocritatem aliàs requirentes: multo æquius qui in venis continentur, quiq; expultricis sese comprimentis munere sunt expellendi reddentur longiori potione fluentiores, cùm ibi nulla impediat ad expulsionem tenuitas, sicuti in commentarijs quos fecimus De purgatione abunde demonstrabimus. Siticulosi præterea ægrotantes, quales sunt, qui perquàm calida præditi sunt temperie, atque impensè arida, sicuti inædiam ferre non possunt, sed quo tempore alijs prohibetur, indulgenter accipiunt, ita quoquè quando aliis circumscribitur potus, potione multa fungi permittuntur. his igitur potus largior est exhibendus, quàm vnciarum quatuor aut quinque, vt squallor & ari-

ditas membrorum irrigetur, & ad purgandos ſuccos apti reddantur. quod dicimus Paulus docet libro 3. capite De inflãmatione renum: vbi his, quibus magis acres & biliosi adſunt humores, quàm cæteris, vitat multam potionem, concedit liberalem pariter ac cumulatim epotam, quæque ex aliquo citra rosionem vrinam moueat. quæ ſatis oculato teſtimonio fulciuntur lib. de locis in homine, vbi febrienti aquam mulſam, oxycratũ, propinat: addens, Hæc autem quam plurima. Donabit ergo medicus peritus ſerapiorum quantitatem, quę cõmunem potionis quantitatem dum prãdemus exæquet plus minuſue, quæ me iudice octo, decemue vncias capiet: & pro temporis & temperamentorum varietate, aut eam augebit, aut minuet.

Caput V.

De vſu ſerapiorum.



STatim gliſcit animus ad maiora, & in quos vſus ſorbeãtur ſerapia ſcire vehementer deſiderat: quos equidem proximè narrabo ſicuti cætera Galeno autore corroborans, atq; eius ſectatoribus. Primum quidem ad ſedandam ſitim huiuſmodi potionibus vtebantur Antiqui, vti ex comme. nunc

citato 29. secundi De fracturis erit perspicuum: atque ex. 1. Acut. commentat. 43. quæ hoc modo scripta est: Vbi autem dolor aliquis vexauerit, oxymeli bibendum dabis, hyeme calidum, æstate frigidum, quod si multa sitis fuerit melicrato vtendum & aqua. hæc Hippocrates, idque merito nam tùm aquæ potus copiosus, quiq; ad sedandam sitim sufficiant ante morbi coctionem ibidem non permittatur: oxymelite aut aqua mulsa, aut apomelite, aut consimilibus erit placanda, quibus ante morbi coctionem vti non cohibemur. Vtuntur quoque effatis iam potibus maxima ex parte ad dissecandos crassos humores, viscosos detergendos, vasorumq; meatus aperiendos: quibus peractis, eisdem sudores ciere conatur, aluum mouere, & succos per vrinam agere paulatinis quibusdam vacuationibus, & quæ perquam exiguam violentiam naturæ admoliantur, omni morbi tempore inutiles succos detrahentes: aceruata verò euacuatione non nisi quos iam alteratrix coxit, iuxta illud Hippocratis oraculum, Cocta medicari oportet, & mouere non cruda. huius assertionis partẽ priorem perspicuè satis comprobat Galenus libro 11. Methodi ad hunc modum scribẽs: Ergo quemadmodum singulis sit opitulandum id postea conuenienti sermonis ordine disquiremus: cuius initium à putredine, quæ totum corpus occupat, quæque continentes febres, quas synochos vocant, excitet faciemus. Ergo à corporibus quæ sic afficiuntur, expellenda quæ putruerunt per vrinas & aluum, & sudorem sunt: quòd si ad os ventriculi ali-
quan-

quando ſua ſponte impetum capiant, etiam per vomitiones: aliter autem non eſt quòd eas præter naturam irrites, ac eorum quidem quæ iam dictis vacuationes promoueant non parua materiæ copia eſt, ſed maior eorum portio, cùm calida ſiccaque facultate ſit, febrem auget. itaque deligenda medico ſunt ea, quæ citra calfationem ſiccationẽque valentem ſupradictas vacuationes præſtent, cuiuſmodi ſunt ptiſanæ cremor, aqua mulſa, oxymeli, apomeli, & apij radix in aqua quæ potui datur incocta. hæc autem ipſa ventri quoq; ſunt idonea, qui ſi nihil reddat, inijcienda per clyſterem aqua mulſa cum oleo eſt. Quibus docet apertè Galen. ſemiputres humores eſſe coquendos calidis & humidis, ac poſt coctionem expellendos: putrefactos verò iam reſecare & foras proijcere tum ſudore, tum per vrinas & aluum hiſce ſyrupis qui clanculum id efficiunt, quod ſanè complexus eſt Hipp. 2. Aph. par. 9. com. dicens. Corpora cũ quiſpiam purgare voluerit, oportet fluida facere. fluida autem tunc fiunt affirmante Galeno, omnibus meatibus reſeratis, humoribus inciſis, atque extenuatis. Non eſſe autem faciendas tam affatim iſtiuſmodi vacuationes donec quæ obſtruunt diſſecta deterſaque ſint eodem libro paulo inferius declarauit inquiens. Itaque ijs, quæ citra calorem liberare obſtructiones valeant vtemur: vbi autem, quæ obſtruunt diſſecta deterſaque ſint, per aluum, vrinas, ſudorem ea vacuare tentandum. Secundã partem præfatæ enunciationis quæ aceruata euacuatione coctos ſuccos iubet vacuare, Galenus

etiam cum Hippocrate sæpe confirmat, de qua cũ de pharmacis agemus luculentius differetur. Id pro præsenti loco admonendum duximus, non debere artifices medicæ artis quo tempore operam nauant expellendis putrefactis succis, illis modicis vacuationibus, quæ per syrupos fiunt, à coquendis semiputribus cessare, tertio Technes (Coctio facit cessare putredinem) quò cesset putrefactio, & adueniat morbi vigor, post quem aut natura iudiciũ faciente, aut arte purgante, morbifici humores extra corpus humanum expellantur. Imo eodem tẽpore vtramque operam exercebit medicus & attenuandi succos, & vacuandi putrefactos, atque coquendi semiputres: quippe paulo inferius eodem libr. 11. De morbis curandis subiungit. Hoc verò tempore etiam vires roborare quò putredinem superantes succos concoquant, studebimus: quæ quidem firmantur modicè calidis, vt sunt cibi, fomenta, cataplasmata, frictio modica, & balneæ. vt autor est Galenus primo Epide. par. 2. comm. 43. coctiones excrementorum sunt faciendæ & c. & 4. Acutorum comment. 44. corpus quieti permittere, vngere & æqualiter contegere oportet. Tertius vsus syruporum densatio humorum existit, quem Galeni sectantes dogmata tunc duntaxat amplectimur cùm thoracis humores tenuiores sunt quã oportet, quos neque oportet esse crassos neque tenues, sed mediam seruare consistentiam, quòd per efflatum debeant extrudi. 2. libro de causis symptomatum. si verò à reliquis partibus fieri conueniat expulsionem, quæ sese contrahentes ad eundem

dem modum, quod continent expellunt, quo manus noſtræ compreſſæ aliquid extrudunt: nũquam impedit humorum tenuitas, ſicuti neque vrinæ. quod latius de purgatione humorum ſcribentes ſumus interpretati. Denſamus etiam humores quando fluxiones fiunt immodicæ ad exteriora: quemadmodum fit in diarrheis, lienteriis, diſſenteriis, & id genus aliis fluxionibus. Quamobrem in his qui præ tenuitate humorum exoluebantur 12. meth. cutem denſare & humores incraſſare iuſſit. conſimiliter etiam vbi aluus plus iuſto effluxerit potionibus incraſſantibus & quæ ad fluxum minus habiles reddant humores, quod fiet ſi incraſſentur, eſt vtendum. Cuiuſmodi ſunt ſyrupi de citoneis, de mirtho, de portulacis, de piris, de agreſta, & ex eiſdem parati ſucci rob barbaris appellati, qui idcirco efficacius ſiſtẽt fluxiones, quod melle & ſaccharo magis careant. Haùd temere adiecimus in immodicis fluxionibus & ad exteriora factis id genus medicamenta adſtringentia nobis vſu venire: quippe ſi fluxiones modum tenuerint neque vires labi cœperint inſigniter, nõ ſunt cohibendæ. tametſi intempeſtiuè, hoc eſt, ante morbi coctionem viſantur: hoc etenim virorum doctiſsimorum teſtimonijs comprobatur, & acceſſitis hinc & inde demonſtrationibus. Nempe Galeno autore libro. 8. de morbis curandis huiuſmodi extat ſcripta ſententia. Si igitur ea tantum quæ corrupta fuère, vacuata eſſe videntur, tùm lauandum, túm nutriendum in remiſsione febris eſt: ſed iis, quæ circa ventriculum ſunt prius conſulito:

ſin ita multa inanitio aut prius facta ſit, aut nunc etiam in homine duret vt virtus iam deffeſſa ſit, ſatius eſt omiſſa lauatione cibare: ſed conſulito prius iis quæ circa ventrem ſunt. Reliqua non adduco vitandæ prolixitatis cauſa, & quod ſatis ſit ſi ſummam totius Galeni progreſſus in mediũ produxero: in quo ſummo conſilio deffeſſa facultate non antea, foris admotis medicamentis adſtringentibus ventrem adſtringit, ſimiliter, & his quæ potantur citoniorum, pyrorum, myrthorum decoctionibus. 1. etiã ad glauconem cap. 13. ſi febris cum profluuio ventris incœperit, hoc ſolum adhibet conſilii, vt illa ſimus contenti vacuatione: nulla de retinendo ventre facta mentione, quod nondum conſtaret de virium imbecillitate, quæ ſi validæ ſint & ſufferre tales fluxiones commodè videantur opera eſſe naturæ non ſymptomata cenſet Galenus libro de differẽtijs ſymptomatum ad finem, quoniam nihil eorum, quæ ad animalis cõmodum fiunt ex hoc genere ſymptomatum eſt.. Aetius ſermone 1. tertiæ quaternionis cap. 35. in hiſce fluxionibus ſequentem protulit ſententiam. Conuenit itaque rebus ſic ſtantibus, aut vſq; quò natura curam ſuam omnem impenderit expectare, aut ipſius etiam motus adiuuare: etenim obluctari & excretionis cohibitionem moliri, maiorem morbum facit: ſiquidem quæ cohibentur ſurſum prolata dolores capitis, phrenitides, lethargos, aut parotidas inferunt perniciosas. quare in principio ea quæ in corporis commoditatem vtiliter excernuntur minime inhibere oportet: poſtquam vero

iam diutius perſeuerauerint fluxiones non ſolum ſuperuacua vacuantes, verum habitum veluti colliquantes, vireſque conſumentes: tùm ſane eis reſiſtere oportet, tum per ea, quæ per os ſumuntur, túm per ea quæ per annum infunduntur, atque ea quæ forinſecus imponuntur. Adiecimus quoque adſtringentes ſyrupos conuenire influxionibus ad exteriora factis, quippe ſi internæ ſint fluxiones & in aliquam partem noſtri corporis incumbentes, nequaquam debent propinari, propterea quòd vetita fluxio in partem aliquam principem facilè irrumpet ac præcipuè in eam quæ iugi motu agitata vndecunque illabentes materias exorbebit vt pulmo. & quanquam paradoxam ſententiam protuliſſe videamur, & vulgaribus medicis nimis contrariam, qui hoc modo affectis mox ſyrupum de plantagine, aut roſaceum propinant, ſtudebimus tamē probatorum virorum autoritate & demonſtratione illam confirmare. Ac primo quidem Gale. lib. de theriaca ad piſonem, docens quas vtilitates adferat theriaca, quæ ſequuntur ſcripſit. Alia vero medicamenta quæ podragrici in morbi auxilium bibunt, ad pedem quidem humores ferri vetant, ſed horum ſuperfluam humiditatem non diſcutientia, maiorem quendam morbum faciunt: nam fluxione per corpus oberrante, pulmo ſemper ob ſpirandi neceſsitatem motus, ac propter corporis ſui raritatem ad illam excipiendam facilis, totam ipſe ad ſe trahens, ita hominem ſuffocat, quod ego in multis experientia didici: atque huius rei gratia omnino ab hiſce medicamentis abſtinere conſu-

luerim.theriaca verò in talibus vti etiam vehemẽter adhortor, etenim humores superfluentes exiccans iuuat, & alios colligi non permittit. Quod si Paulum & Galenum lib.10.de comp. secũdum locos, medentes articularibus morbis terque quaterque legeris nusquam medius fidius potionibus fluentes humores sistentibus vti eos offendes, sed potius his quæ per aluum aut vrinam eos traducãt aut dissoluant insensibiliter. Id etiam corroboratur adhuc firmius ex gal.1.acuto.18.inquiente Nemo siquidem adstringentibus vtitur cibis, nisi vel propter symptoma quod animi deliquiũ inducat, vel ob immoderatum ventris profluuium. cogunt siquidem constringuntque corpora, viasq; distributionis & alimoniæ, tum eius quæ foras fit perspirationis conniuere faciunt, quas reclusas apertasque esse conducit. Iam versi barbarorum cupias testimonium, sit tibi pro cæteris solus Auice. qui lib.3. fen. 22. tractatu.2.cap.7. vt cætera prętercam, ex quibus abundè contraria sententia vituperatur, hæc asseruit. Veruntamen plures habẽtium dolores iuncturarum frigidos & complexiones humidas non iuuantur cum solutione plurima facta potione aut clystere, & cùm medicantur cũ diureticis, sanantur, quid multis moror? 5.de sanitate tuenda vinum decoctum cum radice petroselini tribuit, & attenuantia non negat arthriticis. 14. meth. eadem medicamenta conuenire obesis affirmauit quæ articulari morbo affectis conducunt: ast obesos quæ attenuant, quæ detergẽt, quæ demum potius corradunt quàm affigant succos, iu-

iuuant, vt ſunt rutha, ariſtolochia, gentiana, centaurium, polium: eadem igitur articulorum morbis laborantibus opitulantur. dabit igitur potius peritus medicus in illis morbis qui ex fluxione fiunt, quæ aliò auocant medicamenta, & extra corpus ſuccos propellunt: neutiquam quæ ſiſtant, aut immobiles reddant humores. quinimo ceruicoſum reſpondentem amice rogabo, quid victu & reliqua ratione curatoria denſante intendat, nam ſi humores intus manere ac proinde craſſos & ad motum ineptos facis, præterquam quod promptius in arthritide laborantes particulas vt potè imbecilliores confluent, vitioſi in corpore manentes alios morbos forſitan deteriores aggenerabũt. ſi verò eos educere ſit in animo, melius profectò foret victu probo benigniores effeciſſe, atque ad exitum habiliores reddidiſſe: quod quidem attenuantibus potionibus non denſantibus erat peragendum. adde Hippo. libro de humoribus illud maxime attendiſſe dum hoc pacto ſcribit.

μὴ τὰ ἐκκεχυμωμένα εἰς τὸ εἴσω ἀπολαμβάνειν, ἀλλὰ τὰς ἀφόδους ξηραίνειν.

ſcilicet fuſos humores ne
intus intercludas;
ſed ſuperfluos
deſicca-
to.

Caput

Cap. VI.

De hora sumptionis serapiorum.



SEd quoniam vulgares medicos passim video absque delectu & vt sors ipsa obtulerit, quum primùm ægrotantes adeunt, serapiorum potiones magno studio prestritere, sibi futurum dedecori existimantes si pharmacopolas suis scriptis non salutauerint in ipso curationis principio: de hora qua fas sit ea accipere pauca quædam, sed tyronibus valde vtilia pertractabo. Non statim vt accersitis serapijs est vtendum illis, quos ad aperiendas obstructiones communis schola vsurpat: huiusmodi porro medicamenta multitudinem in vasis offendétia eam ad interiores vasorum capacitates atque angustiores cogunt commeare, adeò vti potius augeatur coarctationis affectus quàm minuatur. hoc namque pacto accidere in exterioribus crebrò obseruatum est, vt si multa confertim materia per canales arctos confluere simul vrgeatur, eius partes se ad inuicem impedientes efficiãt quo minus quicquam defluere valeat. Hac de causa venis multo sanguine oppletis non permisit Galenus purgante

te medicamento vti, ſed poſt exhauſtum ſanguinem. lib. de renum affectionibus. Conſimiliter de detergentibus ſeu de obſtruentibus ſerapijs decreuit Gale. ſæpe per libros de morborum curatione, ſed 8 lib. luculentius adhuc modum. præſtat enim vitioſi ſucci maiori parte emiſſa ad detergendas obſtructiones accedere: cùm alioqui metus ſit, ſi obſtructionibus liberandis priuſquam vacuaueris ſtudeas, ne ipſas magis impingas. At ſoluunt quidem obſtructiones quæ deterſoriam facultatem obtinent, ſeu foris cuti ſint admota, ſeu intrò in corpus accepta. periculum vero eſt etiam nè quæ foras trahunt vna cum his quæ deobſtruunt etiam aliud quidpiam attrahant, & quæ ab interno ſurſum feruntur aliquid ſecum ex his quæ in vaſis cõtinentur, rapiant, quod ipſum ſi tenax ſit & craſſum obſtructionẽ planè geminabit: ſin aliter multitudine certe ſua, non parùm omnino nocebit. Cernimus enim aliquando etiam quod multum eſt, cum ſimul totum confluit, obſtruendo hærere, infigique non minus quam quæ glutinoſa ſunt & craſſa: quod ſi per meatus anguſtos eſt tranſitus multò profectò magis retineri. hactenus Galenus: quæ ſi quis Paulo profundius penſitauerit, exactaquẽ rationis lima perpenderit, non prius ſcindentibus erit aut detergentibus donandus locus, quã totum corpus inanierimus, ac proinde non pigebit tyrones duos aut tres expectare dies, interim quoad aut ſanguinis miſsione, aut alijs vacuationibus depoſita ſit replens multitudo. Sed agè iam vacuata multitudine, quota deinde diei, hora bi-

bendus est syrupus: siquidem summo manè raro vesperè solent deglutiri: est ne hoc perpetuo recipiendum? respectandum sanè est præcedens tempus pariter ac sequens: nam si adhuc in ventriculo adsit alimenti cruditas atque in iecore, donec coctum sit expectandum est, ne incoctus succus cum aperientibus potibus ad penetralia delatus, arctet magis venas: consimiliter quoniam epoti syrupi ventrem subducunt & aluum turbant, non sunt permiscendi cum cibis eodem canone, quo qui ventrem subducunt cibis præcedere per tempus aliquod præcipiuntur lib. de alimentis cap. de prunis & persicis. hæc omnia docuit ex instituto Galenus libro 6. de sanitate tuenda sequenti oratione. Quippe qui dolorem in iecinore sentiunt, ijs tali victus ratione vtendum omnino est, quoad dolor se remisserit, & dextra præcordia leuia quodam modo sentiant. Vtile sane fuerit & liquorem in quo macerata sit absinthij coma offerre: præterea quod tùm ex ea, tùm ex aniso & amaris amigdalis conficitur, quod etiam libere ex oxymelite præstat eo tempore quod inter surgendum lauandumquè interuenit, nam & postquam confecta sunt quæ ex ventre ad iecur redduntur, talia exhiberi præstat & temporis aliquid eorum operi ante cibum sumendum dari. vtramque ergo amplexus rationem manifeste peracta coctione tum ventriculi. tum iecoris propinandos esse syrupos declarauit, & expectandum esse aliquod tempus post eorum sorbitionem ante sequens prandium, ne turbetur venter, & diuersis agitetur motibus.

Caput

Caput VII.

In quo ſerapiorum depingitur ſchema pro diuerſis humoribus.



Vpereſt ad plenam ſyruporum tractationem, eos per ordinem recenſere, ſeorſum diſtinctis generibus adaptata tabella, ne quando diſcentes oblato morbo ad varios legendos libros adire cogantur, ſed habeant in procinctu & veluti numeratò qui ſyrupi quibus morbis, & quo tempore conueniant, quæ vt melius ac breuius comprehendantur, hoc ſchemate rem totam proponemus: quo tres ordines ſyruporum iuxta trium humorum naturam digeſti liquido oſtendant vſum & horam.

PITVITAM PARANTES. SYR.

Aqua mellis	De biſlantijs.
Mel roſaceum	De diarrhodon
Capilli veneris	Oxymel
Duarum radicum	Oxymel ex duabus radicibus.
Duarum radicum cum aceto.	
Ex quinq; oxymel ſyr.	De eupatorio
De hyſſopo.	De abſinthio

De

De ratione

De marubio
De artemisia
De glycyriza
De mentha
Oxymel scylliticum.

BILEM PARANTES.

Cremor ptisanæ syr.
Portulacæ
Endiuiæ
Oxysacchari
Acetosi simplicis.
Violarum
Rosaceus
Iuiubarum
Papauerum
Acetosæ
Ex acido succo citri.

SYR. AD MELANCHOLICOS SVCCOS.

Borraginis
Buglossi
Lupulorum
De pomis
De thimo
De epithimo
De fumoterræ.

Hactenus descripti succos attenuant, qui sequuntur densant.

SYRVPI.

De mirtho
De citoneis
De plantagine
De portulaca
Rob mororum
Rob citoniorum
Rob deribes.

PRO

PRO THORACE.

Caput VIII.

De pharmacis.

PHarmacum hoc loco pro purganti medicamento capitur, quemadmodũ illo aphoriſmo Cocta medicari oportet, &c. græcè etenim, φαρμακεύεσθαι ἀπὸ τοῦ φαρμάκου, eſt autem libro de facultatibus medicamentorum purgantiũ pharmacum, quo certum quendam humorem vacuamus, qui cum familiaritatem & ſubſtantiæ ſimilitudinem habet: qua quidem ratione à phlebotomia diſtinguitur quæ indifferẽter omnes humores vacuat, & abſque delectu, de quibus in commentarijs quos edidimus in librum de ſanguinis miſsione amplam reddidimus rationem, taxantes Auicennæ de ſanguinis miſsione diffinitionem. Hæc non ſunt permiſcenda ad inuicem ſiue ſua natu-

natura simplicia sint, siue arte composita, sed diuturnitate temporis vnicam adepta formã, vt sunt electuaria expurgantia penes seplasiarios reposita vt lib. de purgatione & secundo acut. 11. Galenus. ait & Auicen. 4. fen. lib. 1. cap. 5. quoniam in hanc conuenerunt antiqui omnes sententiam, vt neutiquam permisceantur pharmacà diuersis temporibus purgantia, quod inæqualis fiat expurgatio, & facultate potentius prius moueat, ac secundum & debilius antequam operetur extra pellat. vnde arbitror effectum esse pluries, vt helluones quidam & è commentario medici non perimant passim miseros laborantes, tametsi pharmacorum quàm maximam miscuerint quantitatem, ob id quod diuersis temporibus purgantium pharmacorũ, quod præit purgando, cætera reddat inefficacia. Vidi per Castorem non semel vnciam, & vnciam & semissem diuersorum medicamentorum propinari, sæpè absque eo quod scopum mediocris purgationis attingerit medicus, rarò vero suo fine potitus, sed superfluente purgatione neci proximos efficiens. Id etenim familiare est his qui fortuna non arte quidquam moliuntur: vt cum sæpissimè errarint, interdum tamen voti sui sint compotes, ex quo non mediocrem ansam accipiunt ad eos quos semel imbiberunt prauos mores mordicus amplexandum, veluti ipsi arti consonos. Hoc quoque sequitur hanc tam pernitiosam miscendi varia medicamenta consuetudinem, vt cum pharmacum naturæ humanę inimicum omnes odio prosequãtur, libentiusque eorum plurimi, si optio daretur,

mallent ſæuitiem quamuis atrocem pati, quàm purgatricem ſorbere potionem, hunc illis horrorem imperiti medici, ſua illa, medicamentorũ tumultuaria miſtura ſuperaddant, ſorbitionem, pultis in modum parantes, & tetrum chaos repræſentantẽ. Quin & valentes gratum ſatis iuſculum condire dicentes: Accipe aquæ fœniculi. vnc. 4. electuarij roſacei vnciæ vnius ſemiſſem, ad expurgandam pituitam & bilem, ac multo magis bilem: vti videãtur totum pharmacopolium euoluiſſe, nihil omittentes præſidiorum, ſed ex omni genere aliquantulum dictantes, potionem ſuffarcinant, quam bos oppido valdè ſitibundus vix poſſet deuorare, ſic enim apud hominum hoc genus perditiſsimũ paſſim ſcriptum reperias. R. caſiæ fiſtulæ vnciã 1. diacatholiconis. ʒ. v. diaprunis. ʒ. iiij. diaphæniconis, & electuarii de ſucco roſarum an. drag. iij. miſce in communi decoctione. qua pulte, & tam diſcordi medicamentorum coniugio, non facilè intelligas quid ſibi velint aucupii, nam quòd ſolam quærитent oſtentationem, quam tunc credunt ſibi accedere maximam quùm innumera numerauerunt exoleta & ab ipſis parum intellecta electariorum vocabula, oſtenditur per ea quæ dicta ſunt prius, quibus incommoda tam praui dogmatis demonſtrauimus. Quantò ſatius illis foret vtilius medicamentum & gratius conſtituere, quod ex ſolo ſimplici medicamento, aut electuariorum arte cõpoſitorum aliquo concinnaretur: certius namque hoc modo quod cupiunt aſſequerentur, & quantũ attinet ad humorum expurgationem, & quo ad la-

borantium beneuolentiam nunquam ſatis pro tã grato præſidio agentium gratias. Sed ſentio iam moleſtiſsimos canes ob iam dicta in maximos ca chinos permoueri: qui tametſi aliquando vnico ſimplici medicamento poſſe expurgari ſuccos vitioſos libenter concedant, plerunque tamen varios humores miſtos, diuerſorum medicamentorom expoſtulare connexum aduertant. Equidem non poſſum non admittere neceſſariam eſſe quãdoque huiuſmodi miſtionem pharmacorum, quo niam id comprobat probatorum virorum autori tas, & ad id præſtandum res ipſa nos vel inuitos aliquando adigit: ſed id fieri temere, & abſque vlla methodo, hoc eſt quod refellere contendimus, ceu luem quandam, & rei medicinalis ſæuam calamitatem. Quod quemadmodum fiet, docebimus exemplo, duobus fundamentis iactis, ex ipſis primis autoribus petitis: altero Aetij ſermone tertio primæ quaternionis cap. 57. ad hunc modum ſcripto: Quæ quidem per ſe purgare poſſunt ſimplicia pharmaca, talia ſunt velut iam expreſsimus ac perſcripſimus: non fuerit autem difficile etiam mixturas ipſorum facere his qui ex iam prædictis ſingulorum uires didicerint. ſiquis enim ex relatis duo miſcere voluerit, dimidium pondus de doſi ſingulorum accipere oportet: ſi vero tria, tertiam iuſti ponderis partem: ſi vero plura iuxta eandem proportionem. facimus autem ipſorum miſturas, vbi non fuerit vnus humor qui infeſtat, veluti pituita, aut bilis, aut aqua, ſed omnia ſimul, & ſiquidem putauerimus æqualiter redundare humo-
res,

res,æqualiter ipſa miſcemus in compoſitione. vbi verò vnus plus alijs redundarit, amplius commiſcemus de his quæ talem humorem euacuare poſſunt. Eandem ſententiam, & eiſdem fermè verbis exaratam reliquit Auerrous, ſecunda parte cãticorum commentario 15. Ex quibus, ceu potiſſimis fulcris modum miſcendi pharmaca trademus: ſi prius in memoriam reuocare ſtuduerimus, in hoc genere pharmacorum, ſicuti in quouis alio quatuor ineſſe ordines ſeu gradus. Primus ſanè eorum erit, quorum quantitas à duobus vncijs ad ſex vncias vſque extenditur: huiuſmodi ſunt ſerum lactis, ſyrupus violaceus, aut fumi terræ, mel roſatũ colatũ. Secũdus verò eorũ eſt, qui ab vncia vna ad vncias duas potantur, vt tamarindi, caſia fiſtula, manna, diaprunôn ſimplicis, diacatolicôn. tertio loco deſcribuntur quæ à drachma vna ad tres vſque aut quatuor cum ſemiſſe propinantur: de quorum numero ſunt fermé omnia pharmaca, tùm ſimplicia, tùm compoſita, quæ mediocrem habent in purgando efficaciam: quæ ſi ſimplicia ſint ſua natura ad tres dragmas magna ex parte aſcendunt, vt rhababarum, turbith, agaricus, epithimus ad quatuor drachmas teſte Dioſcoride, polipodium ad vnciam integram, quicquid de his duobus, decreuerit Meſues: ſi verò ſint arte compoſita, à drachmis duabus ad vnciæ ſemiſsẽ attingunt paulòplus, niſi quod diaphœniconis vnciam, atque adhuc plus erogat Meſues: ſed tutiùs putarem ad reliquarum pódus referre. Quarto ordini adſcribuntur quæ à granis tribus ad ſcru

pulũ,& raro ad drachma vſque recipiuntur, iſtius modi ſunt ſcammonium, helleborus, colocinthis, ſuccus cucumeris ſylueſtris: ſcammonij quidem drachmam exhibebat antiquitas, nos duodecim grana non tranſcendimus: hellebori drachmam intrepidè largitur Manardus, verum eius vſum ab horreo, niſi minori multo quantitate potetur: hoc etenim ſeruandum eſſe perpetuo cenſui, vti quæ purgant ſummo gradu, aut nunquam vſitentur, aut minima ſaltem quantitate. accipiamus prætereà generales medicamentorum facultates ad temperatum corpus dici, quando citra latitudinem nominantur. 3. Simpl. cap. 13. exempli cauſa, cum dicitur apud Meſuem, doſim electuarij indi- maioris eſſe aureorum trium, illud procul dubio temperati corporis reſpectu eſt intelligendum, aut omnino huiuſmodi pronunciata ſunt vitupe- randa: conſtat quippe non omnibus corporibus æquam quantitatem conuenire; ſed maiorem his qui difficilè mouentur, minorem à quacunque cauſa commotis ventribus, mediocrem his qui in medio iacent. Quo circa in ea ſemper fui ſententia, omnes ſcilicet methodos curatorias quas practicas appellat medicorum vulgus, eſſe igne vrendas inextinguibili, quòd in quouis morbo citra diſcrimen corporum, purgantia medicamenta reliquerint ſcripta, non diſtinguentes ſi tertiana fuerit hominis ſuapte natura ventrem fluidum habẽtis, hoc expurgetur pharmaco, ſi durum, illo: atque eadem ratione de alijs. ſic enim cautum eſſe apud Hippocratem libro de purgantibus medi

camentis

camentis legimus ſequente oratione: Cum itaq; pharmacum alicui dare voles, ſiue deorſum, ſiue ſurſum purgans, interrogare ipſum opportet, an prius biberit medicamentum, & an aluus ex deorſum purgantibus cita ſit, & celeriter obediat, aut dura: & ſi citam ac facilem ſolutu eſſe dixerit, mollioribus, & paucioribus medicamẽtis opus habet: ſi vero dura fuerit, fortioribus indiget, idem modus in ſurſum purgantibus requiritur. at ſi nunquam nec ſurſum, nec deorſum ſe purgatum eſſe dixerit, nec medicamentum bibiſſe: cognoſcere oportet an ad ea, quæ ſanus in corpus ingeſsit, aluus deorſum ſolutu facilis fuerit, aut ſurſum verſus appoſita ad vomitionem, & an ad repletionem aliquam alui profluuium ipſi ſucceſſerit. hæc omnia interrogare oportet, quò rectè conſulere poſſis: turpis enim eſt calamitas medicamento purganti dato, hominem occidere. Hæc Hippocrates nobis reliquit monumenta erga corporum purgationem in intimis pectoribus cuſtodienda: quibus liquidò ſcripta receptaria damnantur: vtpote quæ pro arbitrio cuiuſq; medici varios atque varios ſcopos ſpectantis, debeant in infinitum propemodum permutari. Sicubi ergo aſſeri certę medicamentorum doſes debent, & ceu leges inuiolatæ perſcribi, temperati corporis in intuitu maximè fiet: aut certa quædam debet ſignificari latitudo, cuius minimus terminus languidis, & celeriter obedientibus adaptetur, maximus duris, & ægrè ciendis, medius moderatis corporibus. ſed hæc poſterior ſignificatio difficillimam habet ad-

huc existimationem: siquidem, quouis corpore dato obediēte, alius potest accidere solutu facilior: & signato robusto & duri ventris homine, alius etiam durior potest obtingere. Quamobrem pro distemperatis corporibus haud quaquam potest certa perscribi pharmacorum quantitas, sed medici acri iudicio extat exactè pensanda. quocirca senex in omnibus admirandus Hippocrates mollioribus & paucioribus facilè obedientes purgat, nullam definiens quantitatem.

Caput IX.

Quo methodus miscendi diuersa pharmaca monstratur.



BI ergò offenderit tyronum aliquispiam morbum cōpositum, hoc est, ex pluribus humoribus enatū, mox adeat discēdi cupidus, ad ea plegēda antidotaria q̄ publicum obtinent consensum: ac inde sciat, quæ sint in vsu expertis iam & veteranis medicis, siue ea simplicia sint suapte natura, siue arte composita: quæ minimè, inter quæ, si fortè fortuna vnum aliquod medicamētum inuenerit, quod, aut natura, aut coctura vnam sit nactum naturam, quodquè purgandis noxijs humoribus sit satis, hoc eligat, ceu tutiùs, & multò minori-

bus incommodis ſuam operam exerturum. at ſi huiuſmodi præſidio deſtitutus componere ad horam ob morbi perplexas cauſas adurgearis, temperatorum corporum reſpectu conſtitutas doſes pharmacorum explorans, Aetianas de miſcendis eis conſulito leges: quibus maturo cnnſilio hinc atque inde æſtimatis, ſi ex ęquo differentes humores redundarint pituita ſcilicet, & bilis dimidiũ de doſi ſingulorũ pharmacorum hoſce ſuapte natura purgantiũ oportet admiſcere: ſi duplo pŏdere magis pituita, duæ tertiæ ſunt ſumendæ eius quod pituitam detrahit, vna verò eius quod bilem expurgat: & ad proportionem de reliquis extat interpretandum. Verbi gratia. Sint quatuor vnciæ pro dimidio pituitę & bilis, propoſitũ ſit agarico, & ſcammonio vti: donabis dimidiam doſim agarici, & dimidiam ſcammonij, dicens. R. ſcãmonii grana iiij. agarici ſcrup. ij. & grana decem, miſceantur in iure aliquo: aut formentur pillulæ cum ſyrupo citoniorum. doſis ſiquidem ſcammonij & agarici pro temperato corpore non eſt ſumma quæ venit in vſum: ſed quæ in medio iacet duorum ſignatorum terminorum ſcammonij ſcilicet grana octo, & agarici. ʒ.i. & ſemis. Eandem rationem ſeruamus cum electaria penes ſepiaſiarios repoſita confundere eſt animus. ſi enim pro temperatis corporibus ſignata eſt doſis electarij roſacei dracmæ quatuor, & diaphœniconis totidem, hoc modo vtrumque miſcebitur: ex æquo peccanti pituita & bile, binas drachmas vtriuſq; miſcentes dictabimus ad hũc modũ: Accipe electarij roſacei &

diaphœniconis ana.drag.2. misce in aquæ passularum, & fœniculi vnciis quatuor. Quòd si dupla quantitate bilis pituitam excedat: duas tertias cholagogi sumemus & vnicam tertiam dosis phlegmagogi. hoc pacto: Accipe electarij rosacei scrupulos octo, diaphœniconis scrupulos. 4. misce in decocti communis vncijs quinque. Eadem methodo vtendum tibi est, si tria misceas, aut quatuor. Ac vt in procinctu teneas vsitata electaria, & pillularum varias differentias, pulueres, pariter ac decocta, in quibus illa misceri consueuerunt: sequens schema scrutator diligenter: & si curiosius aliquod meditere commentum, quod penes te solum haberi magni facias, progressu temporum id commodius efficies: quo etenim tempore magnus fieri laboras, expertis, vt Galenus ait, credito. primo De compo. secundum locos.

ELECTARIA PVRGANTIA AD PITVITAM.

Diaphœnicôn	Elescoph.
Elect. Indum maius.	Diacharthamus.
Indum minus	Catharticum imperiale.

PILLVLAE.

De agarico.	Cochiæ
Sine quibus	Artheticæ
De hermodactilis maioribus	minoribus
	De lucis maioribus
De hermodactilis	De lucis minoribus.

PVL-

PVLVIS.

Agarici
Diaturbit
Polipodii
Chameleæ
Sanæ mundæ
Tithymalli
Colocynthidos
Mirobalanorum.

SVCCI.

Cucumeris ſylueſtris. Thimeleæ.

ELECTARIA PVRGANTIA AD MELANCHOLIAM.

Diacatholicon
Hamech.
Diaſenæ.

PILLVLAE.

De fumo terræ
Fœtidæ
De lapide Armeno
De lapide Lazuli.

PVLVIS.

Senæ
Epithymi
Hellebori nigri.
Lapidis Armeni.

ELECTARIA PVRGANTIA BILEM.

Diaprunôn, tum simplex, tũ compositũ.	Rosaceum Nicolai
	De psyllio
Elect. rosaceum Mesues	Diacydonites soluens
	Diamanna.

PILLVLAE.

Aggregatiuæ	Aelephanginæ
De rhabarbaro	De aloem & mastiche
De hiera simplici Gal.	Regiminis communis razes.
De assfeieret	

PVLVIS.

Aloes	Scammonij.
Rhabarbari	Fumi terræ

SIMPLEXIVS.

Cassiæ fistulæ	Priscorum
Mannæ	Rosarum tum Hispanarum, tum persicarum.
Tamarindorum.	

Maxima ex parte electaria purgantia semiunciæ pondere exhibentur temperatis corporibus. pillulæ efficaces, drachmæ vnius pondere. puluis drachmæ quoque penso exorbetur. Plerasq; alias formas medicamentorum apud Aetium sermone tertio primæ quaternionis, à capite vigesimo tertio infra reperies.

Caput X.

De hora bibendi pharmacum.



Idicimus iam quo pacto parandum ſit expurgans medicamentum, ſi quemadmodum oportet, debeat epotari. reliquum fecimus, quota id faciendum ſit hora, & an ſuper bibendum ſit, iuxta ac dormiendum poſt aſſumptionem. Maxima pars barbarorum medicorum aſſueuit nocte media catapotia hoc eſt pillulas exhibere, ſummo verò mane liquidas potiones: quòd illæ longiori tempore egeant ad coctionem in ventriculo, hæc verò breuiori. forte huius vſus rationem ab ipſo Alexandro medico mutuati ſunt, qui 12. libro, capite de quartana ἐν νυκτὶ δίδου καταπότια, ideſt, noctu tradere iubebat pillulas. Paulus verò libro 7. c. 4. & 6. ieiuno ventriculo, & peracta coctione ad hunc modum fieri imperauit. Summatim in omni purgatione efficace, medicamentum homini, quem certa victus ratione prius alueris, ieiuno, & coctione obita trades: quoniam ſi poſt cibum, aut non abſoluta coctione tum in ventriculo, tum in iecore, exorberetur, alimentum in membra dirigeret in-

confe-

confectum. Qua oratione suffultus perpetuò reprobaui eos, qui non longè à cęna, catapotia succos è capite purgatura bibenda curant, ea quidem causa, vt quum alimenti vaporibus ascendentia, melius peragant suam operationem. hoc etenim euidenter aduersatur Paulo, atque eius demonstrationi: præter id quòd imbecilli laborantes noctē agunt in somnem, quo nihil operosius potest illis obuenire. quippe si sanis vnica vigilia tam assolet esse difficilis, vt se fractos, & ad nihilum respondeant vtiles, qui noctem vnicam vigilarunt: quanto par est credamus, prosternet languidos iam, ac prorsus inermes effectos? Sed neq; perpetuo summo mane potandum est purgans medicamentum etiam liquabile. siquidem nondum confectis succis, sed adhuc alimenti qualitatem referentibus, non decet ingerere pharmacum, sicut neq; cibum alium. nam si in exhibendis sirupis vtramq; coctionem exigebamus absolutam: multo æquius id fiet in eo, qui pharmacum est potaturus. Nisi ergo hic obstiterit cruditas, poterit elargiri qua hora creditur celebrata coctio, & patiens suffiter dormierit: idque siue catapotia sint, siue pulueres, siue cuiusuis alterius formæ. Verùm pro tyronibus hoc adderem, catapotia per horam vnam aut duas ante diluculum esse ingerenda, quod coctione opus habeant diuturniori: potabilia verò serius, ob contrariam rationem, atque hoc seruandum est, dum morbus non vrget, opportunumq; tempus, quale diximus expectat: ast si tam sæuus sit, vt non liceat paululum eius remedium procrastina-

ſtinare, veſperi, & meridie, & quacunq; alia hora eſt ingurgitandum : quemadmodum fecit Galenus 14. libro Da morbis curandis, & Trallianus cap. De opthalmia, & angina, ſecta vena ſummo manè, non dubitauit purgante medicamento vti occidente ſole. Hinc conſtare arbitror, cauſam ob quam vnica die duas ſorbitiones purgatorias plenum ſit timoris exhibere, quemadmodum Auicenna monuit quarta primi cap. 5. & plerumq; ſit neceſſum eadem die prꝺeunte ſanguinis miſsione, veſpere pharmacum ſumere. eſt enim turbatio humorum ſanguinis miſsionem conſequens paululum temporis durans, ac proinde paucis interiectis horis locum dat exorbendo pharmaco: rurſum agitatio pharmaco effecta ſolet duos dies ac amplius permanere. idcircoq; pertimeſcunt cordati medici in tam breui tempore bis aut ter corpus purgatione commouere. Poſt catapotiorum potum omnes dormire permittunt, hoc eſſe ad coctionem eorum neceſſarium dicentes: imò Auicenna in vniuerſum præcepit ſomnum ſuper medicinam fortem antequàm operetur, quod hoc pacto melius eã operari ſuſpicetur. Cæterùm, quùm incertum ſit, quando incipiet ſuam operationem exercere pharmacum, & periculum non leue ſequatur, ſi moti humores propter ſomnum nõ expelantur: nulla ratione eſſe dormiendum poſt epotum medicamentum conſuluerim. ſi namq; poſt vllum eſſet commodè dormiendum, poſt illud maxime fieret. quod aliorum omnium extat fortiſsimum: veruntamen ad helleboros corpus moueri,

& ir-

& irrequietum esse voluit Hipp. 4. Aph. 14. propterea quod motus, humores ad motum parat, & huc atque illuc confluere facit, quod ostendit nauigatio: somnus autem eosdem in eodem statu conseruat, & ad expulsionem reddit ineptissimos, non secus ac illi qui vitam agentes sedentariam, ægrè admodum sua corpora quoquàm transmutant. Bibunt iusculum insulsum paucis à potione interpositis horis, quod hoc modo iuuari pharmaci operam si Dijs placet, existiment: & quoniam id putant Auicennam sanxisse loco citato, vbi ad hunc modum scripsit: Cumq; ipsius omnia sedata fuerint, ambulet, & moueatur paulatim: quoniam hic motus est iuuatiuus: & interpositione horarum ex aqua calida tantum bibat quod medecinam non liquefaciat & expellat ipsam, & eius debilitet virtutem, nisi fuerit in hora, quando necesse est, vt ventris solutio constringatur. quibus dictis Auicennæ vsque adeò manserunt addicti plurimi, vt bis terue exonerata aluo, mox iusculum aliquod pulli quod salis sit expers impertiant, negligentiæ criminis nisi id obseruauerint incusandi. Non debuit tamen quenquam lubricus adeò locus ad nouum condendum dogma excitasse: siquidem manifestè decreuerit, oportere medicinę potatorem, nec comedere nec bibere, donec medicina suam perfecerit operationem: solos excipit biliosos, quibus ob id, quòd facilè ad ventriculum refunditur bilis plura symptômata generans, non veretur panem vino maceratum, antequam operari incipiat pharmacum, præstare: quemadmodũ

eos

eos qui debilem habent ventriculum aut calidũ, præmanſos vino granatorum, aut aqua hordei ad pharmaci potionem accedere conſuluit. nã quanquam in huiuſmodi naturis, aut valdè calidis, aut valdè debilem habentibus ventriculum, ad vitandum ſymptomatum prauorum incurſionem, huiuſmodi licentia vti permiſerit: in cæteris tamen Hippocraticarum præceptionum non videtur oblitus, quæ ſecundo Acutorum com. 12. tunc ſolum ſuperbibi aliquid concedunt, quando inhæſiſſe particulam quampiam medicamenti in ſtomacho, & ore ventriculi pertimeſcimus. at protinus illud ſuperbibendum eſt, vbi quis medicamentum ebibit: purgatione etenim in media ſorbitionem dare non conducit, quod operationem pharmaci eo modo exolui vereatur. Rogandus præterea eſt quiſquis licenter adeò hiſce potionibus laborantes intempeſtiuè ſaturare ſtudet: nunquid iuuare pharmaci operationem intendat, an potius inhibere? ſed poſterius non facilè donabit: controuertimur nempe cum his qui bis térue, quatérue ſubducta aluo id genus ſorbitiones propinant. ob id igitur exhibentur vt calcaria purganti ſuperaddantur. melius ergo fortaſſe fuerit, vt ſale conditæ exhiberentur, non inſulſæ: ſal quippe extimulat expultricem. verùm hi ſine ſale offerunt, & antequàm quò perrexerit pharmacum ſint experti: quamobrem plures ob cauſas ſunt meritò vituperandi.

Caput

Caput XI.

De generali tempore bibendi pharmacum: & an cum cibis aliquando debeat commiſceri.

AVIT itaque Hippocrates ne ſorbeatur quidpiam poſt pharmaci ſumptionem,& ſi quid exorbetur ea cauſa faciendum voluit, ne particulæ malã qualitatem obtinentes pharmaci, in gula aut ore ventriculi remanentes,ſua mordicatione crucient quoquo modo laborantes; cumq; noſtra tempeſtate benigniora ſint,quæ potantur pharmaca,non opus erit ita crebrò huiuſmodi poſt ſumptum medicamentũ præſidio. ſed quia ſæpius arctat medentem artificem de permiſcendis cibis cum purgante medicamento ſumma neceſsitas, non erit præter inſtitutum aperire tyronibus, liceat ne illud nonnunquam efficere, nec ne. Aetius ſermone tertio primæ quaternionis cap. 57. vinum condire expurgatorium, ſalſamenta etiam,quibus cibos mandere intinctos parat, idq; eſſe Hippocraticum conſilium in cibis medicamenta ſumere, ſuaſit: præcipuè in ſanis expurgari timentibus, & ex morbo conualeſcentibus, & diuturno morbo oppreſsis. Nos

etiam

etiam experti ſumus Epidemico illo morbo, qui 1543. & 1544. anno totam hanc Carpetaniam crudeli faſtidio vexauit, quantum conducat iucundis eduliis pharmaca commiſcere. faſtidiebant etenim adeò cibos miſeri ægrotãtes, & reliqua quę offerebantur, vt niſi minis atq; tormentis ad accipiendum adurgerentur, eorum quàm plurimi ſpõtè mortem obiiſſent deſperata ſalute prudenti diligentia fateor me plures pro iniqua illa temporũ ratione ſeruaſſe incolumes, modò paulatim & latenter humores detrahens, modò verò præ faſtidio animum deſpondentes, pluribus exhortationibus ad capiendos cibos exhortans. Actuarius libro De compoſitione medicamentorum huius etiam fuit ſententiæ, quæ permiſcere cibis medicamenta nonnunquam vtile eſſe cenſet: maximè probandus, dum pueros & imbecillimos homines exinanire contendimus, quos nullis cautionibus obtemperantes reddes, niſi in ipſis eduliis lateant pharmacorum vires. Quin & Galenus ſexto Epide. parte quinta com. 29. non ſolum victu humectanti corpora ad helleboros præparaſſet: verùm in ipſo ſumptionis tempore, ſimul cum humectante cibo helleborum libenter miſcuiſſet, quemadmodum libro De alimentis non formidauit, ſcammonio mali cotonei cauitatem impletam aſſare, ac poſtmodum malum ipſum mandendum exhibere. Quamobrem tutò ſatis hodierno die, vulgares medici ſanam mundam, aut polypodij farinam, aut linozoſtis ſuccum cum iure carnium commiſcent: ſiquidem illud effeciſſe conſtat anti-

Dd quos,

quos,& Dioscorides sæpius illud facit, atque Oribasius compendio ad Eustathium filium, radicem incisam cum sardinis & iure gallinæ coctam dat polypodij. quod si cautum est superius ne quid comedat potator medicinæ cibi, id me Hercule non prohibet, quominus simul deuoretur pharmacum & cibus: quemadmodum nullus hactenus vetuit panem cum carnibus edere, & lagumina cum pane 4. Acuto. 92. crudum namq; superingere antequàm perfecta sit ventriculi coctio, nemo est qui non cohibuerit: at verò varios simul deuorari cibos non vsquequaque reprobant experimenta, neque antiquissimorum decreta, quemadmodum Macrobius libro 7. Saturnalium luculenter defensauit cap. 5. Postrema de purgantibus medicamentis dissertatio, quanquam libro De purgatione à nobis extet fusissimè pertractata, suisq; demonstrata syllogismis, nihilominus tamen nuda narratione, quæ ad præsentem attinent commentationem repetentur. Suscitasse quamuis videar liquido illā solennem admodum controuersiam, qua, an perpetuo spectanda sit coctio humorum ad purgationem disceptatur. Sed sentio iam ædepol ringere canem mordacissimum, lapides ipsos mordere, exerere suam rabidissimam linguam ipsa sola rei propositione. Nam quum nihil magis rabidi canes oderint, quàm aquæ conspectum, & lucidissimum splendorem: dum serosos humores absque expectata coctione expurganus, aut quosuis alios vrgente morbo, seu turgente, Dij Deæque, quas tragedias ille non mouet, quas manus non prensat,

ſat,ſuam nimirum prodens ignorantiam? Ego ſanè euidenter aſſerentem Galenum reperio in ipſis morbi initijs fore expurgandos ſeroſos & tenues humores, libro Quos,& quando,& quibus medicamentis purgare oporteat, quem ſequutus Aetius ſermone tertio primæ quaternionis cap, 23. ſic habet. Et ſeroſos quidem ac tenues humores in principio morborum euacuare oportet: alios etiam humores quum turgent, cuncti,crudos etiã non cunctantur mouere expurgante medicamento, vti aphoriſmo illo, Cocta medicari,ſcriptũ eſt: ſed cum morbus ſua magnitudine vrget, hoc eſt, impendens periculum promittit, non omnes cõueniunt erga humorum expurgationẽ ante morbi coctionem: quos in re apertiſsima cæcutire tã eſt manifeſtum, quam certum eſt omnia medicinalis artis dogmata ſubuerti, & nihil prorſum virium poſsidere, quum morbi magnitudo vrget, ſiue periculũ minatur. (minatur autẽ omne quod magnum eſt Celſo interprete lib. v.) ſic enim. 1. lib. De fracturis commen. 44. ſcripſit Galenus. Ad id enim, quod ſubinde vrget, inſtare medicus debet: neque tanquam legem inuiolabilem præcepta ſibi eſſe ſeruanda exiſtimare, præſertim ſi non conuenienter omnia euenerint. Expreſsius multò libro 7. De morbis curandis quæ ſequuntur iniũxit obſeruanda. vbi namq; à quoquam affectuum non leue periculum inſtat, ad id quod vrget primùm dirigi curantis conſilium debet. vbi aliud efficiens eſt, aliud quod ab eo efficitur: ipſa cauſa expectanda eſt: at vbi curari hoc ante illud non

licet, ad id quod ordo dictet est respiciendum. Atque in eo quidem curationis consilio, quod ab vrgente initur, affectus magnitudo perpendēda est. ea triplex est, alia quæ ex lesæ actionis præstantia spectatur, alia quæ ex propria affectus essentia, & tertia præter has qnæ ex facultate, quæ læsum corpus gubernat, æstimatur. hæc Galenus ipse. quibus docet apertè ad id quod vrget, hoc est, quod promittit periculum, instare debere medicum in primis. rursum vrgere morbum, quando magnus aliquo trium modorum existat. hoc ipsum vrgere respiciens Galenus nunquam satis commendauit sententiam illam aphoristicam: Inchoantibus morbis, si quid videtur mouendum, moue. In qua tempus auxilij (quod ex duobus potissimum constat re poscente, hoc est, magnitudine morbi, & nō prohibente virtute) significari, splendidissimo orationis discursu libro ad Trasibulum Galenus ostēdit, quid quod libro 12. methodi vbi ex instituto de febre ex pluribus humoribus pendente crudis agebat, huiusmodi reliquit sententiam? Ergo in huiusmodi curationibus, si iam deprehensus syncope cubans est, omnis solicitudo medentis ad symptoma vertitur: sin noudum ea premitur, vtriusq; curam habebit, & vt symptoma nō incidat, & vt morbus paulatim discutiatur: celerius autem hunc discuteremus, si nullus symptomatis subesset metus: quippe qui multitudine succi crudi grauatur, hunc si modò iustam semel vacuationem ferre posset, nec metus aliquis syncopes impenderet, semel arbitror vacuatum à morbo explicaremus. Hactenus

nus quidem Galenus, qui non ob aliud multos crudos ſuccos ſimul vacuare deſtitit, quàm quod conſentientem facultatem non haberet, aliàs quidem ſemel vacuatum laborantem à morbo explicaret pariter ac liberaret. quòd ſi crudi humores in tanto periculo ſufficerēt vacuationem arcere, falſo ſyllogiſmo Galenus vſus, minus rectè collegiſſet ſequentem analogiſmum: Si non impenderet metus ſyncopes & vires integram vacuationē ferre poſſent: ſemel vacuatum à morbo liberaremus. Præcipuè quum ob ſolam magnitudinem morbi, ſicut docemus ſanguinem mittere ita expurgare iubemur, vt vacuemus & reuellamus, aut vacuemus tantum: tametſi humores mediocritatē ſeruent. iiii. Meth. quod ſeruauit Hippo. ij. Acut. x. qui pleuritide inferiores coſtas profligante, expurgatione vtitur, non reclamante Galeno. Et iiij. Acuto. 99. in peripneumonia helleborum nigrum inter initia propinauit. demúm nullum eſt adeò inuiolabile præceptum, quod non euertatur, ac ceſſet, oblato theoremate omnium maximè neceſſario, quo id quod maius affert periculum in primis expugnare monemur. v. Apho. 19. eò maxime quòd in his morbis vrgentius ſolicitantibus, tametſi natura perſpicuos motus turgentium non edat humorum: ſatis tamen euidenter ad expulſionem ſe eſſe accinctam inſinuat, dum pulſus nimirum inæquales pandit. qui ab hiſce morbis ſunt inſeparabiles, & plenitudinis vires grauantis deſcribuntur certa indicia libro de plenitudine. Deſinant ergo maledicere rabulæ, & impudentiſsimū

hominum genus: quòd nos tam apertis Galeni vestigiis adducti in defendendo tam vtili reipublicæ dogmate tam constanter perseuerauerimus. Quòd si locum aliquem desideras in quo verbo hoc, vrget, Galenus sit vsus, & ob id in principio morbi doceat expurgandum esse, aut sanguinem mittendum, legas libro De totius morbi temporibus, vbi ad hunc modum scribitur. Quæ ab alijs omnibus medicis antiquis dicta sunt, non permittunt nos nomine principij primam accessionis inuasionem intelligere, sed longius tempus in quo sanguinem mittere, clystere vti aliquo, aut si quid vrgeat, expurgare possimus. Sed ad institutum reuertar, quo tyrocinio initiatos quæ tantopere sunt necessaria breuiter erudire proposuimus. Illa tandem teneant alta mente reposita studiosi, in ipsis morbi initijs serosos & tenues humores, & turgentes, hoc est, huc atque illuc motos, (quod ex inquietudine & varijs laborantis doloribus dignoscetur) & vrgentes (hoc est) qui morbum adeò magnum promittunt siue præsentem, siue futurum, vt si non præcaueatur, periclitantem laborantem præ se ferat esse quam citissimè expurgante medicamento vacuandos: quemadmodũ placuit Arabum primo 1.4. cap. de cura putridarum generali, dicenti, Quum times victoriam humoris super naturam &c. Quòd si nihil ipsorum intempestiuam facere purgationem coegerit, coctos humores medicari oportet, & quando expulrricis muneri sint dedicati, ex Aphoris. 22. j. secti. Aphoris.

Caput

Caput XII.

De externis quibuſdam auxilijs, embrocha, inſeßu, fomentis, & epithemate.



Ecretum eſt ſuperius, quem in modũ decoctiones herbarum, radicum, atq; ſeminum ſint nobis parandæ, dũ ſerapiorum miſcendorum rationẽ reddidimus nunc autem quo pacto ex eiſdẽ decoctis alia ſtruantur remediorum genera dicendum nobis eſt. Ac primum quidem fomenta vocantur ea, in quibus vice balnearum, particulam aliquã intingimus panno aliquo duplici: aut ſpõgia, aut veſica, aut vaſculo aliquo præfatis decoctis calidis pleno. idq; facimus plerunq; ad diſcutiendas materias, quæ loco creduntur fixæ permãſiſſe in poſtrema curationis parte, de qua Galenus aſſeruit libro 14. Metho. commune eſt (inquiens) omnium morborum, quos vitioſus creat ſuccus, in fine diſſoluentibus vti: in principio etenim ipſius curationis nondum vacuata plenitudine plus trahimus ratione excitati caloris, quàm exhauriamus. iij. Tech. Gratia etiam dignoſcendæ affectionis, ſecuriſsimum fomentum eſt, & omnino ali-

quam afferens vtilitatem, vel tanquam signum ad dignotionem, vel tanquam causa sanitatis: quando enim nihil influit, fomentum discutiens eam quæ in parte continetur superfluitatem, ei sanitatem restituit: quum verò adhuc influit, quùm primùm adhibetur suo calore aliquod affert mediocre leuamen, sed paulò post dolorem auget, & tūc fit dignoscitiuum 6. aph. Apho. 31. ex quo nos dispositionem comprehendentes ad totius corporis euacuationem peruenimus. Hac de causa nondū cognouisse Hippocratem pleuritidem 2. Acutorum, dum fomentis tentat dolorem sedare, testatus est Galenus 9. De placitis. Quando vero easdem decoctiones in lebete aliquo aut vase alio amplum orificium habente inijcimus calidas atque euaporantes, & laborantem ipsum supersedere iubemus tecta facie ne ad caput vapores aduolent, incessum fecisse dicimur. Vtimur autem eiusmodi remedijs ad sedandos dolores renum, vesicæ obstructiones tollendas, & ad eas quæ in vtero sunt durities emolliendas magna ex parte: nec non quùm intestina dolore aliquo pertinaciq; infestātur. Quòd si pars alqua nostri corporis residem patiatur affectionem, præcipuè si caput existat, irrigationibus ex gutturnio cadentibus, calidisq; vtimur: vocaturq; maioribus id genus auxilij embrocha, hoc est irrigatio, quod ex alto loco decidens, ad profundiora subit. Postremò si huiusmodi decoctorum libræ ad summum duas drachmas puluerum miscuerimus, aceti vnciam, si hepati medemur, aut vini odoriferi, si cordi, superaddentes, epi

thema ta

themata confeciſſe ſeſe arbitrantur vulgares medici: quæ modò ex frigidis aquis ſiue decoctis, ſiue ſtillaticiis: modò ex calidis conſtruuntur, atque ad portionem ex pulueribus. ſolemus autem hiſce vti tunc potiſsimùm quùm æſtu feruentiſsimo excruciari laborantem percipimus: quemadmodum crebrius contingit in cauſonibus, atque in his febribus quæ ex bile ortum accipiunt. antiquiores non ſolum has liquidas ſuperpoſitiones, quibus cor, iecur, & thoracem attemperare attentamus vocabant epithemata: verùm emplaſtra, cataplaſmata, malagmata & vnguēta, vti perſpicuū eſt ex ipſo Paulo libro 7. capite 18. tametſi propius hoc nomine notentur, quæ mediis corporis regionibus accommodantur: & ex ipſo Aui. 4. 1. vtimur his ſupra cor omni tempore morbi, quo vehemens caumam vrgere laborantem percipitur: in aliis partibus in ſtatu, aut prope. Quæ omnia quo clarius intelligantur, non pigebit formulas aliquot ſubiicere.

INSESSVS.

Accipe decocti chamæmeli, meliloti, atque verbaſci lib. iij. fiat inſeſſus pro tineſmo.

IRRIGATIO.

Accipe decocti chamæmeli, meliloti, & ſtechados lib. j. fiat embrocha pro capite.

FO-

FOMENTVM.

Accipe fœnu Græci, anethi & chamæmeli omnium manipulos quatuor: decoquantur in libris tribus aquæ ad medietatem, & fiat fomentum pro pleuritide cum vesica bubula.

EPITHEMATA.

Accipe aquæ endiuiæ, solatri, rosaceæ, acetosæ, an. vnc. iij. pulueris omnium sandalorum drac.ij. aceti vnc. j. fiat epithema pro hepate.

ALIVD CORDIALE.

R. aquæ rosaceæ, acetosæ, buglossæ, an.vnc. iiij. sandalorum omnium.drach. j.ſ. vini albi odori.vnc.j. croci. scrup.j. misce, & fiat epithema. huic addunt osis cordis ceruini scrup. j. margaritarum foratarum, aut non foratarum tantundem.

EPITHEMA CALFACIENS.

Accipe aquæ naphæ. vnc. j. florum mali medici, seu arantij, aquę melissæ, & buglossæ an.vnc.iij. vini albi vnc j.diamoschi drach. j.ſ. misce quoque croci grana viij. intingatur pannus duplex.

Pro pauperibus, solas aquas accipimus, aut hydræleum,

drȩleum, aut portulacam albumine oui, & roſaceo oleo piſtam.

Cap. XIII.

De exterioribus auxilijs vnguento, cerato, emplaſtro, ſeu cataplaſmate.



OLEA ſolent non infrequẽter vnguenta compellari ab antiquiſsimis. Cȩterùm ex ipſis cõſtructa cũ cera, interim dum mollem adipiſcuntur conſiſtẽtiam, vnguenta preſsius nominantur & acopa 7. De comp. ſec. gen. quando verò duriora ſunt, cerata: duriora adhuc, emplaſtra, ſeu, cataplaſmata ſeu epiplaſmata, ſeu malagmata. Celſus minutius iſta diſpeſcuit 5. libr. cap. 17. ab vſu malagmata retulit nominari, quæ emolliunt induratos affectus libro 7. De comp. ſect. gen. vbi nihil referre putauit, ſi emplaſtra aut malagmata velis appellare. Sed dum clarius procedunt autores, vnguenta, ſeu acopa vocitant, quæ quadruplum olei ad ceram recipiunt: ad cerati liquidi formam tenden-

tendentia vnguenta, quæ duplum olei ad ceram, ceratum iam tunc dicitur, & ad emplastri formam accedens, quando tantundem olei, & ceræ inijcitur, sic enim notatum est per Oribasium libro secundo ad Eunapium: & Galenus illud edocuit libro tertio. De compositione pharmacorum secundum genera: emplastri quoque figuram accepisse refert medicamenttum, vel si ceræ sextam partem resinæ immisceas. & subiungitur. Attamen, si, vt in modum emplastri pharmacum fiat nihil curas, resinam addere opus nō est. Iuniores verò vnguentum appellant quod ex oleo & cera cōcinnatur siue mollissimum sit quod quartam partem ceræ ad oleum recipit, poteſtque alio nomine linimentum vocari, siue mediocris sit subsistentiæ, quale est quod fracturis adaptatur; siue durissimum, eritque quod æquali penso ceram & oleum recipit. Ceratum quod ex resina, & oleo, aut ex his cum cera conflatur: quod ideo efficitur, vt agglutinantius sit, & parti laboranti firmius inhæreat. extenditur hoc in corio subtenui aut coccineo panno, nonnunquam ad figuram scuti quando ventriculo est ad commodandum: nonnunquam verò ad semicirculi, vt quum iecori est admouendum: quadrangulare verò, si spleni. quòd si prædictis maiorem efficaciam augere cupiant olei octauam partem, aut octauam & semissem de puluere aliquo ad leuorem protrito adijciunt: quemadmodum libro 8. De compositione secundum locos inter initia, & 8. De morbis curandis Galenus iussit, non transgrediens

grediens ſeſqui drachmam pulueris. Emplaſtrum verò quod ex herbis, radicibus, ſeminibus ad certam compaginem craſsiorem redactis, conficitur ſimul atque ex oleo aut pinguedine: ita tamen vt pro ſingulis herbarum manipulis olei aut pinguedinis vncia vna aut paulo plus commiſceatur. quo modo parari debet emplaſtrum ex ſemperuiuo, & corticibus granatorum, atque rhu in vino coctis, & deinde cum farina hordei miſtis libro 2. ad Glauconem de genu inflammatione: & aliud cataplaſma ex plantagine & lente, pane & oleo roſaceo. ex quo loco perſpicuum eſt cataplaſmata & emplaſtra nihil differre tametſi Fuchſius aliter ednotauerit. quæ quò perſpicua magis ſint diſcentibus, formulas aliquot ſubijciemus.

VNGVENTVM.

R. olei nardini vnc. i. ceræ ſemiſſem, maſticis & aloës drach.i. pro ventriculo fiat ceratum liquidum: ſi acopon malis, ceræ quartam partem mittes.

ALIVD PRO NERVORVM PVNCTVRA.

R. olei vnc. i. ceræ drach. ij. euphorbij. ſcrup. ij. miſce.

CERATVM ANTIQVORVM.

R.

℞.olei nardini & ceræ ponticæ an. vnc.i. aloes & masticis sesquidrachmam. formetur ceratum. viij. Meth.

CERATVM IVNIORVM.

℞. olei nardini & mastichini vtriusq; vnc.I.resinæ vnc.i. aut ceræ & resinæ vtriusque vnc.i. pulueris absinthij & cinamomi vtriusque. drach.& semissem. formetur ceratum scuti forme ad vētriculum.

EMPLASTRVM, SEV MALAGMA, SEV CATAPLASMA.

℞. semperuiui, corticum granatorum,rhu,an. manipulum.i.coquantur in vino rubro ad luti cōpaginem: deinde adde farinæ hordei quod sufficiat cum olei rosacei vncijs tribus ad formam emplastri.

ALIVD.

℞. radicum altheæ, florum chamæmali, meliloti, seminum anethi an. manipuli semissem: oleorum chamæmali & anethi an.vnc.i.fiat emplastrum, postquam herbæ ad spissitudinem fuerint excoctæ.

Eandem seruant compositionis normam synapismi, & dropaces, quæ metasyncritica a Galeno nun-

nuncupantur libro De compoſitione ſecundum locos 2. ad quæ in contumacibus affectionibus curandis, tanquam ad ſacram ancoram confugiẽdum eſt, eius modi eſt quòd ex ficubus aridis & ſynapi paripondere miſtis componitur. Vide Aetium.

Caput XIIII.

De peſſis, glandibus, clyſteribus.



PEſſus glandula eſt oblonga oſculo matricis conueniens naſcale ſeu peſſarium dicitur vulgaribus: ſuppoſitoriũ ſeu glans ano inditur, nihilo, quantum attinet ad figurã à priori diſparatum. quę ſi naribus intromittantur aliud ſortiuntur nomen à particula ipſa: vocãturq; ἔρρινα, ſeu caput purgia, paulò minora præfatis & ad pyramidis formam conficta. poſſunt id genus remedia nonnunquam confingi ex facilè parabili materia, nobiſq; admodum familiari. cuiuſmodi ſunt ſuppoſitoria, quæ ex radice betæ, vnguine ſuillo perũcta, aut lardone, aut ſapone, aut alumine oleo conſperſis, & ſale, aut melle percocto & ſtercore muris, aut quouis alio cum leporis pilis conglobato. aut ipſa ciſti fellis in modum pyramidis

appa-

apparata, construuntur pro pueris potissimum ac pauperibus. Consimilitet pessi pro matrici fingun tur ex mercurialis foliis tritis: hæcq; interdum vnguenti seruant consistentiam, interdum verò solidiorem multò. prioris exemplum esto, quũ emollire osculum matricis intendimus, ex butyro, medullis, pinguedinibus, oleo seminis lini, aut amyddalarum dulcium, & ceræ iusta qantitate vnguentum fit. quod deinde lana ad digiti figuram apparata receptum, ori matricis apponitur. secundi, vt si ex aliquo electario ad formam duram excocto huiusmodi conficeremus formulam: aut ex melle valde cocto & cũ pulueribus destinato scopo congruentibus, commisto: scilicet ex diaphœnicone, benedictave laxante vlterius excoctis, expurgandæ matrici conficitur pessus durus. atque hæc methodo egent vt componantur, eritq; pro mellis vncia vna satis cocti, drachma vna aut duæ pulverum: si ex pinguedinibus & oleis paretur, quæ dicta est in vnguentorum compositione seruabitur methodus auctis aut minutis quantitatibus ad medici arbritrium: tantundemque fiet si cerati instar cum gummi & resinis præparentur. Atq; eandem rationẽ subaudias oportet, quùm pro naribus isthæc paras: nisi quòd quantitate minora, & differente mate ri a exãt subigenda. Clysteris compellatio inde videtur suborta, quòd lauet intestina & fæculentis sordibus emundet ἀπὸ τοῦ κλύζω. idest lauo, quod per ipsum inijcitur instrumentum potest hoc nomine similiter explicari illud, quo matricẽ alluimus, & vesicam: cæterum peculiarius nomen

sibi

ſibi vendicat id, quo vterum proluimus, ſcilicet μητρεγχύτης, hoc eſt, vteri infuſorium. Quorum vt Aëtio placet quidam ſunt molles & ad emolliē da recrementa vtiles, quidam acres, atque alij alios præſtant vſus, vt quum abſtergimus vulnera, ſtrin gimúsve immodicè fluentes particulas: mollibus vtimur in febribus, & cùm præduro ſtercore inteſtina ſunt obſtructa, ac plerumque ex facile parabili materia, vt ex hydræleo, ptiſana, aqua tepida: acribus verò in morbis rebellibus, & ſopore aliquo coniunctis, vti in lethargo, caro, & ſimilibus, in quibus electario forti in iure aliquo diluto vtimur. magna ex parte clyſter recipit decocti alicuius libram vnicam, olei vnc.iij. ſalis. drach. j. mellis aut ſacchari vnc. j. cum expurgare ventrem eſt animus, ita enim Aëtius quartam partem olei aquæ ſeu decocto iniicit, nonnunquam medietatē: non tamen idcirco cuncti clyſteres ſunt ad eundē modum parandi: nempe ſi inteſtinorum dyſenterias ſtudeas extirpare quod non niſi ſanentur vlcera efficies, ſtultum erit ſalem, oleúmve clyſteribus immittere: ſal etenim exaſperabit vlcus deſiccantia ſine morſu expoſtulans, oleum etiam ipſis vlceribus perpetuò reputatum eſt noxium ob id quòd corrumpit carnem, & ſordibus replet. tunc ergo ſola aqua mulſa, aut ptiſana aut furfurum decocto cum melle aut ſaccharo vtetur commodè medicus: & vbi generationem carnis procuret, aloëm, thus, bolum Armenum aut conſimilia permiſcebit, ſalem autem aut oleum minimè. Imò vſque adeò hanc vulgò conſtituendi clyſteres conſuetu

dinē indiſcriminatim receptā vitupero, vt pituitoſis expurgandis recremētis ſolū decoctū cum mel le aut ſimilibus conueniat citra pinguedinem aut oleum commune: quod quidem voluit Aëtius, qui febribus ex pituita accenſis decoctum ex fęno Gręco citra pinguedinem admouendum eſſe pręcipit. quî nam obſecro pituitoſos humores lubricos & pinguia fugientes, veluti aquam, oleum aut pinguedo mundabit, & ex ipſis inteſtinorum inuolucris extrahere poterit? Vtero quoq; non abſimile inſtrumentum adaptamus, niſi quod calamus requiritur oblongior veſicæ alligatus, pro veſica curuior: quemadmodum experimenta docēt, illuſtriora fient hęc omnia ſequentibus exemplis.

PESSVS AD VTERVM MOLLIS

R. pinguedinis anatis, & medulæ ceruinæ an. vnc. v. olei ſeminis lini vnc. i. ceræ quartam partem formetur vnguentum, ſeu linimentum, quod hapſo lanæ ad digiti formam apparato recipiatur.

PESSVS DVRVS.

R. benedictæ laxàntis vnc. i. S. excoquatur, et ad concretam ſubſtantiam reducatur: ex qua ad digiti figuram fingatur peſſus ad purgandum vterum. aut ſi malis ſuperiori addere puluerem agarici, aut ſcammonij, facito.

Ἐρρίνον,

SEV CAPVT PVRGIVM.

R. mellis cocti vnc.i. hellebori.g. iij. nigellæ & origani an.drach. v.fiat peſſus pro naribus expurgandis & cerebro.

SVPPOSITORIVM ANI.

R. hieræ compoſitæ vnc.i. coquatur ad duritiem. ac deinceps fingatur ad digiti figuram ſuppoſitorium.

Aliud.Mellis cocti vnc.j.colocynthidos gran.iiij.& agarici ſcrup.ij. formetur ſuppoſitorium.

CLYSTER PRO VTERO SORDIDO.

R. aquæ mellis vnc. vi.

ALIVD AD EIVS INFLAMMATIONEM.

R. olei roſacei vnc. iiij. ptiſanæ vnc. iiij.

CLYSTER PRO VESICA EXVLCERATA.

R. lactis vnc. vi.

CLYSTER COMMVNIS ANI.

R. decoctionis dissoluentis flatus vnc.x. mellis vncias.ii. benedictæ vnc.I.

Caput XV.

De quibusdam auxilijs externis ab ipsa particula varium nomen sumentibus, caput purgijs apophlegmatismis, dentifricijs, gargarismis, collyrijs, odoramentis.



Aput purgia dicuntur quæ naribus indita caput purgant: quæ si pulueris in modum trita subdantur, sternutamenta peculiari magis appellatione insigniuntur. recipiuntur per calamum sursum tracto inspirato aëre. cumque hæc vehementer commoueant cerebrum, & ad expellendum magno satis nisu illud se quatere adurgeant, periculosa sunt, si prius vsui sint, quàm totum corpus vacuatum sit. atque hoc est commune præceptum ante vsum topicorum auxiliorum lib. vi. De compositione

secun-

ſecundum locos. quantitas verò non æqualis ſemel inſufflatur ſemper: nonnunquam etenim pauca admodum inſpirata, ſufficienter ad ſternutationem excitat: quandoque multò pluri quantitate debet ſtimulari cerebrum: ſed vt plurimum ſcrupuli pondere ſimus contenti. Alia ſunt liquida quæ perpetuò caputpurgia dicuntur: fiuntque è ſuccis herbarum, betæ, braſsicæ, maioranæ, cyclaminis, aqua mulſa: oleis caſtorei, euphorbii. hiſq; aut ſolis: aut puluere aliquo ex his, quæ ſternutamenta cient, conſperſo. Infunduntur vnica vice ſemiunciæ quantitate. Quę quidem quod facile in os è naribus ſoleant effluere, conſuluit Galenus libro De inſtrumento odoratus, vt modica aqua tũc ore capiatur. reliqua inſtar peſſorum ſtructa, prius dicta ſunt. Apophlegmatiſmata vocantur, quę ore capta pituitam é capite expurgant. quæ quidem varijs modis vſurpantur: aut enim paſtillus ſtruitur mandendus: aut decoctum aliquod, ſeu liquidus ſuccus: aut ex adaptatis puluiſculis ſacculus paruus refertus, dentibus atteritur, donec deſcendat cerebri mucusque ore hiante effluere permittet ægrotus. Pro ſingulis paſtillis pulueris ſemuncia cum cocto melle miſceatur, aut maſtice paſſulisve, aut re alia conſimili: pro ſacculis, tantũdẽ pulueris linteo receptum culcitræ in modũ ſuitur. Liquidũ apophlegmatiſma ex decoctis herbis, radicibus, ſeminibus præparatur, cũ melle, aut ſyrupo & aceto permixtis. cuius vnica vice vnciam integram licet ſumere. Gargariſmata perpetuo capiuntur liquida, ad eum modum potiſsimùm con-

ſtructa quo ſerapia miſceri cum decoctis diximus: nempe vbi cœperimus ſerapiorum,aut rob vncias duas, decocti . vnc. iiij. hac miſtura gargarizatum imperamus . vtimur his potiſsimum ad curandos morbos qui guttur, fauces, & circumiacentes partes infeſtant . Dentifricia ob id dicta ſunt , quôd dentibus refricata ipſos extergant , aut firment , aut doloribus liberent.Parantur triplici fermè forma.aut enim intenuem puluerem rediguntur:aut cum liquore aliquo, ſeu vino miſtis,dentes abluũtur: aut linimentum fit , quod tenui linteo extenſum gingiuarum extremis circumlinitur . Collyrium dicitur liquor , quo oculis ipſis medemur . quod multiplex erit iuxta oculorum varias affectiones. aliud extat in vſu Sief barbaris appel latũ: quod liquore aliquo ſolutum plerumque nobis venit in vſum : quale eſt illud ſatis vulgare , Sief album Razes . Solet pluma inſtilari guttatim, hoc ſummoperè nobis cauentibus , ne quoquomodo puluis oculum, exaſperet : ſed exactiſsimo potius leuore nihil offendat. Odoramenta, & ſuffimenta hoc ſeparantur diſcrimine . quòd odoramenta citra ignis acceſsionem nares permutent , hæcque modo ſimplicia ſunt & qualia a natura ſunt creata quemadmodum radices peoniæ , iolent ad hunc vſum geſtari ſuſpenſæ: alia condiuntur ex adaptatis pulueribus , & vnguine aliquo : aut ſi ſtabiliora ſeu diuturniora eadem cupieris , cum ladano reſiniſque duram adipiſcuntur conſiſtentiam , poma odorifera hodre vocitantur . Hæc omnia ſigni admota ſint ſuffimenra proptinus appellantur , ſiue

pulue-

pulueris in modum prunis inſpergantur, ſiue paſtillorum, Ex his quas ſubijciemus formulis patebunt, quæ dicta ſunt amplius.

STERNVTAMENTVM.

R. nigellæ, cumini, an. drach. S. hellebori grana. iiij. caſtorei grana. iij. per calamum inſuffletur.

CAPVT PVRGIVM LIQVIDVM.

R. olei caſtorei vnc. i. caſtorei, aut euphorbij drac. S. pluma per nares mittatur.

ALIVD LIQVIDVM.

R. ſucci betæ drach. I. mellis quartam partem.

APOPHLEGMATISMA EX MANSILI PASTILLO.

R. paſſularum ſine nucleis numero. viij. piſtentur & ſtaphis agriæ, & maceris an. drach. S. miſceantur, & fiant paſtilli.

Aliud. R. mellis cocti vnc. j. pulueris cubebarum, piperis, maſticis, omnium drach. i. S. fiat paſtillus.

APOPHLEGMATISMA LIQVIDVM.

R. origani.pulegii, passularum an.p.i.decoquantur secundum artem, & in huius decoctionis vnc.vi.misce syrupi oxymelitis vnc. ii.

APOPHLEGMATISMA EX SACCVLO.

R.origani,staphis agriæ, maceris, cubebarum an. drach.ii.terrantur,& fingatur sacculus.

GARGARISMA.

R.rob mororum vnc.ii.aquæ plantaginis vnc. vi.

ALIVD.

R.decoctionis origani, ficuum aridarum vnc. vi. mellis rosacei vnc.ii.

DENTIFRICIVM LIQVIDVM.

R. decoctionis ligni Indi in vino rubro vnc. vi. pulueris coralli,mirrhæ, thuris, rhus an. drach. 1.fiat mistura.

DENTRIFICIVM ARIDVM.

R. cornu ceruini vſti, & panni linei vſti, pumicis an. drach. 1. fiat puluis dentibus affricandus.

ALIVD.

R. ſalis armoniaci vnc. S. aluminis vſti vnc. 1. fiat puluis dentibus affricandus.

DENTIFRICIVM AD FORMAM LINIMENTI.

R. aquæ ſeparationis guttam, in qua ſpecilli cuſpis intinctus ſordibus dentium cautè admoueatur.

ALIVD.

R. albuminis oui medietatem, pulueris rhus, coralli, ligni ſancti an. drach. S. fiat linimentũ gingiuis adaptandum cum panno lineo.

COLLYRIVM AD REPRIMENDVM FLVXVM.

R. Sief albi Razes. drach. i. ſolue in aquæ fœniculi vnc. ii.

AD

AD DISSOLVENDVM.

R. fœnu Græci ter loti vnc. ii. meliloti fasciculum. i. S. decoquantur in aquæ libra & semisse ad medietatem.

SVFFIMENTVM.

R. anisi tosti drach. ii. panno lineo recipiantur & naribus sæpius admoueantur.

ALIVD.

R. cumini tosti drach. ii. fiat sacculus sæpius naribus admouendus.

ALIVD.

R. nigellæ maceratæ in aceto forti drach. iiii. recipiantur in sacculo naribus sæpius admouendo.

SVFFIMENTVM SOLIDVM.

R. nigellæ, cumini, anisi, macis, cubebarum, thuris, an. drach. i. & S. ladani & masticis an. drach. iiii fiat globus.

Hæc eadem si igni admoueantur, suffumigationis excipiunt nomenclaturam.

Caput XVI.

De antidotis.


Ntidotus autore Galeno lib. De antidotis, non de his prædicatur medicamentis, quæ exterius admouentur: ſed, quæ intra corpus aſſumpta morbis medentur. qua quidē interpretatione quidquid deuoratur in morborum curationem antidoti meretur epitheton. Veruntamen in præſente diſputatione de his potiſsimum dicetur, quæ trium modorum aliquo nocentibus cauſis auxiliantur. nempe aut medicamentis deleteriis aduerſatur, & vocatur peculiarius alexipharmacum: aut feris mortiferis, & theriaca appellatur: aut tertio his morbis medetur, qui ex praua victus ratione ortum duxerunt, quo tempore medicamenti, aut generalis antidoti retinet nomenclaturam. Sed quo pacto componantur alexipharmaca & theriaca, late ſatis deſcriptum eſt apud Galenum & alios antiquiores: apud quos, vſus theriacæ & Mithridatici, & Philonii reperies commendatiſsimos. De ſolis agemus nunc quæ facilem poſcunt apparatum: vt ſunt electaria, ſolidæ tabellæ, ſeu trochiſci, atque vocatæ conſer-

uæ:

uæ: quibus ad corroborandas ex morbo debiles particulas crebrò admodum vtitur vulgus medicorum:& sin minus illud cupiant efficere, saltem ad modicos languores pęnitus extirpandos. Trochisci vocantur, qui circularem figuram & planam recipiunt: vt trochiscus ex agarico, de rhabarbaro, aut absinthio, aut plirisarchu. finguntur quidem ex pulueribus cum ea succorum conuenientium quantitate subactis, quæ ad duram consistentiam sufficiat, modica ex aëre accedenti deficcatione. daturque pondus magna ex parte drachmæ vnius. Confectiones solidæ seu tabellæ vocatæ quales aromaticus rosaceus Gabriellis, aut garyophillis, aut diaciminum, aut diarrhodon abbatis sunt, solent ex saccharo & puluere aliquo componi: ita vt libra vnica sacchari cum pulueris vncia vna commisceatur. Cæterùm moneo ne operam suam defraudari sinant studiosi, quippe passim imperant medicantes propinandam drachmam aromatici rosacei: quæ quum duodecimam partem complectatur pulueris, quinq; grana tantum pulueris includet, quæ ad producendum effectum aliquem erunt impendiò ineffi acia. aut ergo semũciam tabellarum tribues, aut æqualem pulueris & sacchari quantitatem permiscebis. Quòd si non liceat tabellas condire: puluerem capito adaptatum, & cum modico saccharo mistum exhibeto ad hunc modum. R. cinamomi, pæoniæ an. drach. S. sacchari semissem. trita in liquore exorbeantur. quinetiam solemus puluerem aliquem saccharo obducere instar nucum pinearũ, aut amyg-

dalarum, quo vt in ſecundis menſis vtantur laborantes conſulimus tragemata nuncupantur. Electaria condiuntur ex libra mellis deſpumati & puluerum pondere vncijs duabus, cuiuſmodi ſunt dia curcuma, & dialacca, quæ idcirco nonnunquam opiatorum in modum ſtructa eſſe dicuntur, quod talia maneant conſiſtentia, quale Philonium, & theriaca eſt, & quæ his conſimiliter opium ſuſcipiunt. Conſeruæ, vt roſaceæ, ex borragine, mentha meliſſa & ex ſtechade, duplam ſacchari quantitatem ad flores ipſos expoſcunt: ſed poſt miſtionem, ſoli expoſitæ per plures dies ſeruantur. quantitas harum ſemuncia, & quandoque plus: cum aliqua aqua, aut vino eſt eroganda. Illud obiter medicorum vulgus admonere non dedignabor, neque patiar exoletum hunc medendi morem ſilentio indies maiores vires adquirere. Si namque contigerit medicorum cuipiam humores non integrè purgaſſe, aut quoniam intempeſtiuè illud effecerit, aut quòd leuioribus pharmacis vſus, bonam cauſarum morbificarum intra corpus reliquerit portionem, non proinde tamen roſacei ſacchari obliuiſcitur, imò die poſt purgationem ſequenti dictat ſemunciam potandam cum ſtillaticiarum aquarum aliqua: tanquam hoc ſit de potiſſimis artis medicinalis præceptis vnicum, poſt expurgans medicamentum, ſorbeatur ſaccharum roſaceum, quò virtus (inquiunt) purgatione defeſſa reficiatur, & vaſa laxiora effecta corroborentur, & antiquas recuperent vires. Verùmenimverò qui intellexerit ſtudium curandarum præcipuè

febrium

febrium eò maximè intendi, vt obstructa referentur, crassæ materiæ, atque lentæ proscindantur, à quibus necessariò pŏdere febres ipsas schola propè omnis, ceu ex proximis causis, asseuerat, vsum hunc propinandi saccharum rosaceum, admodũ execrandum exibilabit, ceu scopo artis ex diametro aduersum. resecanda siquidẽ esse putrida, crassa attenuanda, obstructa reseranda perpetuò docent autorum scripta: quibus nihil repugnantius, quam præfato morbi tempore (hoc est, nondum reiectis causis eius) rosaceum saccharum elargiri. Hoc sane non prius vterer, quàm vniuersa morbi causa è corpore pulsa ad corroborandas languentes particulas sola nos aduocaret indicatio, ac omnium postrema: nimirum ante à dissoluentibus in fine morborum omnium nos vti debere iussit Galenus, qui libro 14. medendi ad finem, commune præceptum esse pronunciauit in omnibus morbis vitio humorũ factis, in fine discutiẽtib. vti

Caput XVII.

De mẽsuris vsitatis Galeno Romę agẽti, pariter a vniuersis Latinis ex agricola.



Extarius Romanus viginti vncias cõtinẽs, habet duas heminas, quarum quælibet semissem capit sextarij: hemina duos capit quartarios: quartarius duo acetabula, acetabulum sexquicyathum, cya-

cyathus duodecima pars eſt ſextarij, qui quatuor ligulas ſeu cochlearia continet. Quòd ſi ad maiores menſuras libeat aſcendere, ſex ſextarij congiũ conſtituunt: congij quatuor, vrnam: vrnæ verò duæ amphoræ culeum implent. His menſuris latices mẽſurabant Romani, & Galenus Romæ degens. Quod ſi cum Romanis, non ſolum liquores metiri concupiſcas, ſed & arida, & pulueris in modum protrita, quæ ſequuntur ſunt amplectenda. Modius, duos ſemodios in integrum capit: ſemodius, ſextarios octo: ſextarius, heminas duas: hemina, acetabula quatuor: acetabulum ſeſquicyatum: cyathus ligulas ſiue cochlearia quatuor. Vt hinc ſit perſpicuum, ſextarium, heminam, acetabulum, cyathum, ligulam ſolas menſuras humidorum, & aridorum eſſe communes. Quæ omnes quot libras aut vncias capiant ſatis liquet, ſi libra duodecim vncias, vncia verò octo drachmas contineat.

Caput XVIII.

De menſurarum nomenclaturis Græcis vſurpatis, præcipuè atticis, ſeu medicis.



Etreta capit congios. 12. congius ſiue chus, ſextarios. 6. ſextarius, cotylas 2. Cotylæ, quartarios. 2. quartarius, oxybapha. 2. Oxybaphum, ſeſquicyathũ. Cyathus, cõ-

chas

chas duas: mystra.iiii.chemas. v. cheme cochlearia duo. Ex his cotyla continet nouem vncias mensurales: quamobrem facilè cuiq; erit subducta calculi ratione colligere, quot libras aut vncias quæque prædictarum mensurarum capiat.

Metreta, cadus, ceramium eadem sunt mensura: attica amphora, distinctius loquentibus Latinis appellata.

Iam verò si scire desideras aridorum mensuras: quibus Græci vtebantur: medimnus capit chœnicas octo & quadraginta: chœnix cotylas tres: sextarius cotylas duas: cotyla oxybapha quatuor, oxybaphum sesquicyathum: cyathus cochlearia decem. vt hinc quoque liqueat quæ liquidis & aridis essent communes mensuræ.

Caput XIX.

De ponderibus Romanis.



S, seu pondo absolutè prolatũ libra existit, hæc duodecim vncias pendet, secaturque in deuncem idest vndecim vncias pendens pondus: in dextantem idest decem vnciarum pondus: in dodrantem idest, nouem vnciarum: in bessem hoc est, octo vnciarum: in septuncem, quod est septem vncia-

rum:

rum: in ſemiſſem ſeu ſelibram, ideſt, ſex vnciarum: in quicuncem, ideſt, quinque vnciarum: trientem, ideſt, quatuor vnciarum: quadrantem, ideſt, trium vnciarum: in ſextantem.i. duarum vnciarum: in vnciam poſtremo. ſexeunciæ quoque crebra fit mentio, pendetq́; octauam partem libræ. Vncia duas pendet ſemuncias, in tres etiam duellas ſeu binas ſextulas, quarum quelibet octo ſcriptula, in quatuor ſicilicos ſeu quatuor quartas, quarum vna quælibet duarum eſt drachmarum: ſecaur adhuc vncia in ſex ſextulas vniuerſum eius pondus complectentes, quarum vnaquæque in quatuor ſcriptula: præterea in ſeptem denarios: & in viginti quatuor ſcriptula: apud quos inuenies ſimplium, dimidium ſcriptulum appellari: Denarius in duos ſecatur victoriatos, ſeu duos quinarios, ſeu duas ſemiſſes, ſecundo in ſex ſextantes obolis Græcis correſpondentes. Quòd ſi aliquando vnciam octo drachmas pendere quiſpiam legerit, non tamen idcirco priora perturbantur, quum idipſum tantum efficiat, vt attica drachma octaua pars ſit vnciæ Romanæ. Indeque rectè colligatur denarium grauiorem eſſe drachma.

NOTAE PONDERVM ROMANORVM.



Ibræ, ℔. Du pondij, ℔℔. Semissis, S. Septuncis, ʏ. Bessis-S-. Dodrantis, S = - . Dextantis, S = = . Deuncis, S = - - = . Trientis, = = . Quadrantis, = - - . Sextantis = . Vnciæ - . Sescunciæ, ε . Semunciæ, ε). Binarum sextularum, ʋ, Sicilici, ɔ Sextulæ, ʋ. Scriptuli. ℈. Denarij, *, Victoriati, ψ. Celsus sextantem denarij similiter & libræ, hac signat nota. Z. Qua de re diligenter attendito, quid potius autor velit. Quartæ partis semissis assis, quæ eadem est sescuncia, ∸ Octauæ partis eiusdem semissis, quæ sunt drachmæ sex, ÷ Postremò octauæ partis vnciæ signum. ʒ.

Cap. XX.

De ponderibus Græcis, & medicis.

MINA medica vncias habet ſedecim: libra verò vncias duodecim: vncia drachmas octo: drachma ſcriptula tria: ſcriptulum obolos duos: obolus ſemiobolos duos: ſemiobolus ſiliquam vnam cum dimidia: ſiliqua, grana quatuor.

Medica dixi pondera non temerè: nempe mina Attica, vt aliarum gentium pondera prætercam, centum drachmas aut duas ſemiminas: drachma obolos ſex: obolus, duos dimidios obolos, æreola ſex: æreolum ſeptem minutias. minutia indiuiſa manet. quibus accedat talentum ſi minus ſit, ſexaginta minas: ſi vero maius octoginta pendet.

De ratione

NOTAE PONDERVM GRAECORVM.



Inæ, $\overset{\nu}{\mu}$. Libræ, λ̀, aut λ aut λ. Vnciæ, γο. Drachmæ. Ʒ. Olcæ item seu drachmæ λ. Scriptuli Cf. Oboli, ⟍ Duorum obolorum. ⟍⟍ Silique κε. AEreoli, χα Semissis. ρ

ARABVM VSVS.

SCrupulus est viginti granorum (granum tritici intelligas, quum simpliciter enunciatur) drachmæ tertia pars, figuratur, --). Drachma sexaginta granorũ, habetq; tria scriptula. cuius figura ʒ. Noue drachmæ vnciam constituunt, cuius figura est huius modi. ℥. Solidum & exagium drachmam & semissem pariter ac aureus pendent. Libra duodecim vncijs constat. sextarius & cotila duas libras & semissem. Obolus scrnpuli semis. Kist. sesqui libra. Kirat, grana quatuor. Hemina quindecim vnciarum. Calculus, oboli quarta pars. Satil, duorum sextariorum

pon-

pondus. Kamich pōdus eſt ſex Kirat. Carmes, pondus vnius grani. Dauic pondus ſex granorum hordei. Sacrati ſeſquiaureus, alio nomine Anulalach. Arſimum pondus ſemidrachmę. Decamech, vnius drachmæ pondus. Darchiminum, ſemi drachma. Bactath nouem granorum. Rafitij, ſeſquiſcrupulus. Siliqua, quatuor granorum hordei.

FINIS.

Errata ſic corrigenda.

f.1.p 2.m ſimiliter.2.1.14.p.4.1 f. inexpugnabili 6.1.f. Quares.21.2.p. diſceptata docet.24.1 m.in flatum. ibid. incaleſcent.25.2.iunctio ibid. exauthematis.26.2. infinitis.29. 2.f.abolitam.31.2.m præſtantem.36.2. m.coleret. 37. 2.f. expulſus.39.2.f.vere 40.2.m.Iuſſerat.44.2 m capi. ibid. conſeruandæ.68.1.m colore. 70.2 m.ſortitur.75.2.p.non nunquam 76 2 p. aſſueuere 82 1.f quæ ibid in rectum.94. 1.f.humores97 1 f. ſectionis. 98 1 p. vino. 99.1.p. cribroq;. 101.2.f phlegmonum.109.2.f.ſanguinem 110.2 f.exinanita 112.1.m.vie ibid contingente 116.1 m. acidum.118. 1.m. influit. ibid. 2 m. figulinas. 122. cuminum. 124.1.p. defluxis.128 cathartica.130.1.p.ſequaces. ibid.f cumulatiore ibid f.ab.132.1.m colliquantia ibid.ingerantur 138. 2.m. magna.139 2.f. infamant.146.2.p.dogma 148.1.p. ad.149.1.m. expurgans.156.2.p. quum.161 1 p ſuis. ibid. quod.165.2.m.xigat.166.2.p. iniuria. ibid m aliqua. 170. 1.m cocta 175.2.m. Cathechymia 178.2 m Componantur. 196 1.p anum.197.2. p præſcribere. 207 1.f. expellantur. 215.2.f.florum 219 2.f. hodie.ibid. ſi igni. ibid. proximus. 220.2 m.terantur.

COPIOSVS INDEX EORVM OMNIVM,

Quæ præcipuè in his tribus lib. (s. de sang. miss. humorum purg. & medicamentorum permixtione) proponuntur, alphabetico ordine cũ numeris descriptus, ex quibus, primus, folium, secundus pag. indicat. litteræ tres inseruntur, ex quibus P. principium, M. medium, F. finem paginæ significat.

A.

Ctius

Elegma.

I.

Inflam-

L.

Liene

M.

N.

Nephiritis

facienda

Sanguinis

Salubria

statim

Finis Indicis,

Taurini vltimo Octobris. 1587.

